



DE ORIGINIS PECCATO DISCEPTATIO, IN TRACTATVS duodeuiginti distributa.

ITEM

DE CHRISTI SATISFACTIONE, ET MAIESTATE.

Quibus ea omnia accuratè & dilucidè explicantur, quæ in graues has controuersias incidunt, quæque hac in parte ab Antagonistis in quæstionem adducuntur,

AVTHORE

THEODORO PELTANO,

Societatis IESV Theologo.


AD ROMANOS V.

Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

PSAL. L.

Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Tractatuum & Capitum SYNOPSIN, *vnà cum copioso totius Operis* INDICE, *Lector post præfationem comperiet.*



COLONIAE

Apud Geruinum Calenium, & hæredes Ioannis Quentelij.

Anno M. D. LXXVI.

Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest. in decennium.

EGO MARTINVS EISENGREIN, S. Theologiæ Doctor, & Academiæ Ingolstadianæ Procancellarius, Opus hoc DE PECCATO ORIGINALI, à Reuerendo & excellenti viro D. THEODORO PELTANO, S. Theologiæ Doctore, & Academiæ Ingolstadiensis ordinario Professore conscriptum, à Theologis verò diligenter examinatum, & vt Catholicum ab eisdem approbatum, meo quoque calculo, vt eiusmodi approbo, & excudi permitto.

AD REVEREN-DVM, NOBILEM, AC MAGNIFICVM VIRVM, DOMINVM VVOLFGANGVM ANDREAM ROM A KETZ, AVGVSTANAE ECCLESIAE DECANVM, AVTHORIS PRAEFATIO.



LIQVAM otij quietem tranquillitatéque, Magnifice Domine Decane, à continuo illo, diuturnoque profitendi munere tandē aliquando nactus: ne absque vllo prorsus literario negotio, publicoq; commodo illud effluat, visum est argumenta quædam Theologica ex illis, quæ breuiter, succinctéque per Theses explicâram, publiceque disputanda, ac discutienda non paruo numero proposueram, denuo in manus sumere, eademque in illorum gratiam, qui eiusmodi Scholasticis exercitationibus interesse non possunt, paulò latiùs, & ad popularium captum aliquanto accommodatiùs tractare, & explicare. Acuit hoc meum propositum non parum grauium quorundam Theologorum iudicium, qui existimant hoc rerum statu parem, vel etiam maiorem fructum hinc ad Ecclesiam redire posse, atque ex publica professione. Cæterùm cùm alicunde commentationis huius exordium sumendum esset, inde potissimùm exordiri lubuit, vnde omnis omnino

laborioſa inquiſitio, & frequens illa humanæ mentis, in rebus præcipuè grauibus, hallucinatio maiorem in partem defluxit: nempe ab antiquo illo, naturæque noſtræ cognato vitio. Non quòd argumentum hoc principem inter cætera locum obtinere autumem: neque quòd vnam hanc controuerſiam vtilitate vel tempore cęteris omnibus antecellere perſuaſum habeam: (Certum eſt enim, qui Theologica methodo ſacra tractant, priùs de Deo diſputare ſolere, quàm de homine, aut alia quauis mundi parte: de hoc, reliquarumque creaturarum multitudine, ordine, ac diſtinctione priùs rurſum, quàm de hominis lapſu, alijsque quæ ex eo lapſu conſecuta ſunt. Aequè certum & exploratum eſt, ſi horum temporum iniquitas, aut Sectariorum improbitas pateretur, longè maiori vtilitate & fructu, multoque maiori guſtu, de incarnati Verbi œconomia, de Sacramentorum vi & energia, deque alijs Salutis noſtræ adminiculis tractari & diſputari poſſe, quàm de intrinſeca peccati huius notione. Sed & dubium quoque nullum eſt, multò antè de multis alijs in Eccleſia Dei diſputatum, & dubitatum eſſe, quàm de hoc naturæ vitio. Nam ante exortum Pelagium altum paſſim de peccati huius ratione ſilentium obtinebat. Solùm tum credebatur, & docebatur, ortu ipſo contrahi: contractum verò, qua quidem noxa eſt, ipſo denuo regenerationis Sacramento expiari. Qua autẽ in re vis illius poſita eſſet, vel qua ratione, aut via ex hoc in illũ tranſiret, iſtuc per id tempus, aut non inquirebatur, aut certè abſque omni animi an-
xietate,

xietate,& molesta cõtentione inquirebatur.) Sed quòd vna hæc multarum aliarum grauissimarum,& hac tempestate maximè controuersarum quæstionum fundamentum, ac quasi basis existat. In confesso est nanque, neminem de Christi Redemptoris satisfactione, aut de nostra iustificatione, aut de hominis in assentiendo vel dissentiendo libertate,aut de insidente carni nostrę libidine, cæterisque pluribus, quæ hinc dependent, cõmodè satis disserere posse,si, quæ in hanc controuersiam incidunt, mediocriter perspecta explorataq; non habeat. Accedit huc quoque, quòd Sectarum magistri falsa peccati huius explicatione, prodigiosáque eiusdem exaggeratione,ingentem errorum multitudinem magno Christianæ reipublicæ incommodo inuehant, & crucem Christi Seruatoris salutiferam insigni iniuria & contumelia afficiant. Confingunt enim, peccatum hoc in homine, quousque is vitæ spiritum duxerit, semper viuere,ac perstare: nulla Sacramẽti vi,nulla Christi passi energia extingui posse. Iram, odium, verbi Dei contemptum, conscientiæ terrores, ac desperationes, & quiduis aliud eiusmodi, instar ardentis cuiuspiam fornacis continuò, citra vllam omnino intermissionem euomere atque eructare.Imò verò non desunt ex scabioso illo phanaticorum hominum grege, qui omnia peccata, & scelera, quæ quouis modo in hominem cadunt, vno originalis peccati nomine complectantur. Alij, qui ipsammet hominis substantiam, aut substantialem eiusdem formam originis vitium esse,

 non

non tam priuatim ſomnient, quàm ſumma quoque animi contentione publicè defendant. Alij tandem, qui alia æquè paradoxa, atque in cœleſte numen æquè blaſphema de hoc innato naturæ vitio in vulgus proſeminent. Cùm itaque eiuſmodi commenta Chriſtianæ religioni plurimùm officiant, latiusq́ue quotidie ſeſe diffundant, refert, atque adeò neceſſum eſt, nonnullos extare, qui cum eiuſmodi monſtris interdum congrediantur, hydræq́ue capita alia atque alia cornua identidem proferentia validè contundant proterántque. Porrò autem egóne iſtuc in hoc præſtiterim; haſceq́ue, vel explicationis, vel refutationis partes vtiliter ſuſceperim, aliorum iudiciũ eſto. Vnum ſcio, nempe vt vtrunque mediocriter præſtarem, ſedulò me conatum eſſe. Sed & ſpero quoque ea me hîc in medium attuliſſe, quæ ad veram & propriam peccati huius naturam, vim, & indolem cognoſcendam, rectéque iudicandam quàm maximè pertinent. Quicquid autem iſtuc laboris exiſtit, id totum ſecundùm Deum, cui, & meipſum, & omnia mea debeo in ſolidum, nomini tuo, vir præſtantiſſime, inſcriptum, nuncupatumq́ue cupio. Primò quidem quòd, ſi vllus alius, de tota hac cauſa, deque conatus noſtri ſucceſſu, quàm optimè cognoſcere, & quàm rectiſſimè arbitrari queas. Neque enim magnos tantùm in Iuris ſapientia, & Theologia progreſſus habes, verùm etiã in veneranda illa Synodo Tridentina, vbi de hoc originis peccato, deq́; alijs grauiſſimis controuerſijs argutiſſimè diſputatũ, & ſapientiſſi-

ſimè definitum eſt, ampliſſimi Cardinalis Auguſtani
otthonis, qui Chriſto æternũ viuat, loco, nomine, &
authoritate, animo, corporeq; preſtò fuiſti. Deinde ve-
rò, quòd in celeberrimæ ciuitatis huius Clero, hoc præ-
ſertim interregno, quo hęc ſcribimus, vnus inter omes
primatũ obtineas. Ea enim authoritate polles; eo iudi-
cio, ac rerum vſu vales; ea, vt paucis dicã, vitę integritate,
morumq; grauitate præſtas, præſtitiſtiq; ſemper, vt ab
omnibus digniſſimus fueris habitus, qui primario Cle
ro in primaria totius Imperij vrbe Decanus præficerê-
re. Quem quoq; Magiſtratum tanta dexteritate, tantaq;
prudentia, & religione hactenus adminiſtras, vt ſpes ſit
minimè vulgaris, fore, vt breui per te id totũ in priſtinũ
nitorem inſtauretur, quod ſuperiorũ temporũ iniuria,
ſi non conciderat, aliquã certè in partem labefactatum
fuerat. Poſtremò autem, quòd noſtri ordinis homines
iam inde ab initio amãter præ cæteris Eccleſiaſticis cõ-
plexus fueris, eiſdemq; perbenignè ſæpe feceris. Nec
dubitare poſſumus, quin pium hunc animi affectum
maioribus ſubinde beneuolentię argumentis, euiden-
tioribusq; humanitatis, ſyncerę q; dilectionis indicijs
erga id genus hominum porrò declaraturus ſis. Precor
interim Deum Opt. Max. vt magnificẽtiæ tuæ, & firmã
corporis valetudinem, & in gubernanda excellenti hac
Eccleſia virtutem, vberemq; gratiã largiatur. Vale. Au-
guſtæ Vindelicorum M. D. LXXV. Idibus Iunijs.

M. G. T. deditiſſimus

Theodorus Peltanus.

SYN-

SYNOPSIS OMNIVM ET SINGVLORVM TRACTATVVM OPERIS HVIVS DE ORIGINIS PECCATO.

PRIMI.

HOminem solis naturæ viribus instructum multa, & nôsse, & velle, & perficere quoque posse.

SECVNDI.

Deum Opt. Max primum generis nostri parentem, non condidisse iustitia vacuum, aut exarmatũ, aut obliquum: sed rectum, iustitiaque & sanctitate egregiè instructum atque ornatum.

TERTII.

In statu naturæ integræ, cùm generis nostri principem Adamum, tum cæteros quoque, qui felici illo seculo ex illo nascerentur, multa præclara, & velle, & perficere quoque per solam originis iustitiam seclusa gratia potuisse.

QVARTI.

Adamum, dum diuinam legem, quam acceperat, nefariè præuaricatur, omnibus illis opibus, virtutumque ornamẽtis, quibus abundabat, cum vniuersa sua posteritate excidisse: & graue præterea vulnus, innumerasque miserias, & ærumnas, cùm sibijpsi, tum toti quoque, naturæ humanæ accersiuisse.

QVINTI.

Non solùm præuaricationis Adæ pœnam, in omnes & singulos, qui ortum ex eo ducunt, permeâsse, & porrò permeare, sed noxam quoque & maculam.

SEXTI.

Originis vitium veræ rationis peccatum esse: Neque cauillationes, quibus Antagonistæ nituntur, oppositum euincere.

SEPTIMI.

Formalem peccati huius rationem, non in aliquo priuato actu, aut actuali primi parentis præuaricatione, non in aliqua reali qualitate, aut morbida

bida tabe, non in carnis libidine, aut nuda originalis iustitiæ debitione, non in totali totius hominis corruptione, aut aliquo alio eiusmodi: sed in habituali quadam voluntatis à Deo auersione, cæterarumque virium obliquitate præcipuè positam esse.

OCTAVI.

Originale peccatum non sola imitatione, aut sola externa patrati sceleris imputatione, non seminis propriè, aut carnis infectione, aut animæ ex anima, aut animæ ex semine traductione, non malitiæ ingeneratione, aut aliquo alio eiusmodi: sed ipsamet naturæ propagatione, ex Adamo in vniuersam illius posteritatem transfundi.

NONI.

Deum Opt. Max. humanæ generationis opus propter originis peccatum impedire non debuisse. Iustos æquè ac iniustos commune hoc naturæ vitium tantùm vnà cum natura in prolem transfundere, cæterorum autem nullum omnino. Primam primi hominis ab hoste tentante victoriam non omnibus statim confirmationis gratiam parituram fuisse.

DECIMI.

Originis peccatum, quod vnum est specie in omnibus, vnum numero in singulis, ad voluntatem, & reliquas animæ partes virus suum ita diffundere, vt tamen eiusdem essentiæ insideat proximè.

VNDECIMI.

Omnes originalis peccati effectus, & pœnas, vna mortis appellatione contineri, & vna hac sæpe quoque designari.

DVODECIMI.

Amissa, per inobedientiam, iustitia & sanctitate, hominem mox in ruborem & infirmitatem, iniustitiæque & Sathanæ seruitutem incidisse.

TERTIIDECIMI.

Originis peccatum nulla sensili pœna, post vitæ huius curriculum plecti, sed tantùm exilio, & pœna damni.

DECIMIQVARTI.

Concupiscentia, quæ in renatis fit reliqua, & vitium esse, & ex peccato esse, veri tamen peccati rationem non assequi, tametsi tropo quodam peccati nomine interdum designetur.

DECIMIQVINTI.

Firmamenta, quibus nituntur, qui concupiscentiam, quæ post Baptismi Sacramentum ritè susceptum in renatis fit reliqua, lethiferum peccatum esse contendunt, non esse satis firma, imò ne firma quidem, sed assystata planè & putrida.

DECIMISEXTI.

Liberum arbitriũ neque actum esse, neque habitum, neque aliquid aliud eiusmodi, sed naturalem animæ facultatem, sola ratione ac voluntate distinctam.

DECIMISEPTIMI.

Liberum arbitrium, nec omnibus inesse, nec promiscuè circa omnia occupari; sed vel solùm, vel præcipuè circa media, & illa quæ aliter habere possunt.

DECIMIOCTAVI.

Originis peccatum liberũ hominis arbitrium non extinxisse, sed tantùm vulnerâsse: atque hoc ipsum ex Scripturis, & Patribus, tum ex ipsa quoque rationis luce, & certa experientiæ fide euidens esse.

SYNOPSIS CAPITVM DE CHRISTI SATISFACTIONE.

PRIMI.

QVæ parentis noxa conciderant, ea Deum Opt. Max. per filium suum instaurare voluisse. Alia ratione instaurare potuisse: Conuenientiori, nobisque salubriori modo redintegrare nequiuisse.

SECVNDI.

Christum Iesum sua efficaci voluntate, perfectaque obedientia tantum construere potuisse, quantum Adamus sua peruersa voluntate & inobedientia euerterat.

TERTII.

Christum Redemptorem nostrum sua illa præpotenti voluntate, expeditaque & prompta obedientia non modò tantum commodi adferre potuisse, quantum Adamus sua inobedientia attulit incommodi, sed reipsa quoque attulisse.

QVARTI.

QVARTI.

Sectarum duces plus virium largiri parenti primo in vulnerando, quàm secundo in sanando: Eosdem rursum multò minus tribuere Christi merito & satisfactioni in amoliendo peccati malo, quàm eidem tribuere solent Catholicæ Ecclesiæ doctores.

QVINTI.

Catholicos doctores non solùm in amoliendo peccati malo, quod ostensum est hactenus, verùm etiam in impertiendo virtutis, iustitiæque & gratiæ bono multò plus tribuere Christi liberatoris merito, quàm eidem tribuant communes Sectarum magistri. Confirmatur rursum, eosdem illos errorum magistros multò plus roboris admetiri Adamo infundenti venenum, quàm Christo adhibenti antidotum.

SEXTI.

Citra fidei errorē satisfactionis Christi modum in quæstionē vocari posse.

SEPTIMI.

Purum hominem humanæ salutis causa id præstare nō potuisse, quod eiusdem gratia præstitit Christus. Potuisse id tamen, & quiddam eo etiam amplius, si ponatur non ad exactam iustitiæ rationem, sed tantùm secundùm legis præscriptum, vel Patris acceptationem fecisse satis.

OCTAVI.

Christum Redemptorem nostrum integrè pro omnibus mortaliū omnium peccatis fecisse satis, ex integræ satisfactionis conditionibus, alijsque Scholæ rationibus, & argumentis in eundem scopum collimantibus demonstratur.

NONI.

Eadem illa copiosa Christi Seruatoris redemptio, meritorumque eiusdem magnitudo graui quorundam Patrum authoritate denuo statuitur, & confirmatur.

DECIMI.

Christum Deum ac Dominū nostrum cumulatè id totū, quod debebatur, exoluisse; sacras quoq; Scripturas non prorsus obscurè testatū facere.

VNDECIMI.

Quæ contra confertam illam cumulatamq; Christi Domini satisfactionem ab Antagonistis adferuntur, ea, quæ enixè illi obtinere contendunt, validè non obtinere.

INDEX SEQVENTIS OPERIS THEODORI PELTANI, DE ORIGINIS PECCATO, CHRISTI SATISFACTIONE ET MAIESTATE, COPIOSVS.

A

Aposto-

B

à Dei

N

Nata

Christi

de

FINIS INDICIS.

THEO-

THEODORI PELTANI, SOCIETATIS IESV THEOLOGI, DE ORIGINIS PECCATO DISCEPTATIO, IN DVODEVIGINTI TRACTATVS DISTRIBVTA.

TRACTATVS PRIMVS.

Hominem solis naturæ viribus instructum multa, & nôsse, & velle, & perficere quoque posse.



E originis peccato, deprauatęque naturę nostræ conditione, ac miseranda illa primi hominis prolapsione disputationem instituturi: ab ipsa humanę naturę secundùm se absolutè consideratę vi initium facere placuit. Non quòd huiusmodi naturę status aliquando extiterit, aut olim extiturus sit, sed quòd eiusmodi quispiam extare potuerit, atque etiam nunc, si cœlesti numini ita visum esset, extare posſit. Etenim vt Deus Opt. Max. cętera omnia, quę infra hominem & Angelum posita cernimus, nullis gratię prerogatiuis aucta produxit, ita & hominem quoque solis naturę pręsidijs munitum, nisi aliud lubuiſſet, procreare potuit. Neque istuc apud eruditos in quęstionem cadit: Nôrunt quippe primo ac summo illi rerũ omnium opifici ęquè procliue fuiſſe, & esse, condere, & hoc, vel illo modo affectum condere.

Aug. lib. 3. c. 12. & lib. 3. c. 20. de lib. ar.

Genes. 1. Soli Angelo & homini in ortu suo gratia obtigit.

Imò aliud de hominis ortu seculi huius sapientibus in mentem nunquam venit, neque venire quoque, citra peculiarem diuini spiritus illapsum potuit. Videbant illi sanè vniuersum mortalium genus corpore quidem infirmo, fragili, ac nudo; animo verò omni rerum cognitione vacuo, & virtutum ornamen-

Aug. lib. 4. c. 12. cont. Iul.

A

Eccl. 40.

Ad Rom. 7.

Cic. de Rep. Aug. loco cit.

namentis deſtituto in lucem edi. Animaduertebant grauem & planè acerbam iam inde ab ipſo exortu humanę vitę conditionem exiſtere. Experiebantur alteram, & alteram in membris ſuis legem: tum animo ſe eſſe ad moleſtias anxio, ad timores humili ac fracto, ad labores molli & ignauo, ad libidines plùs ſatis propenſo. Cernebant, vt verbo abſoluam, ingentem malorum vim circumquaq; volitare: Attamen hanc tantam malorum ſegetem, hoc tam irreconciliabile inter carnem & ſpiritum bellum, ex protoplaſti ſcelere originem trahere, id ne per febrim quidem ſomniârant aliquando.

Seculi huius ſapientes naturæ noſtræ vitium animaduertebãt vitij cauſam non item.

Aug lib. 4. c. 13. cõt. Iulian.

Nec mirum ſanè vulgares Philoſophos, qui de primi hominis ſtatu & lapſu nihil audiuerant, nihil, vt hîc ſtatuimus, legerant, veram ac propriam tanti huius mali cauſam ſubodorari nequiuiſſe; cùm ex ijs quoque, qui Chriſto nomina dederant, ac fidei lucem vnà cum lacte hauſerant, non defuerint, qui, & mortem, & carnis cum ſpiritu pugnam, & cętera incommoda, quibus præſens hęc vita agitatur, merè & abſolutè naturalia eſſe definire auderẽt. Digni profectò, qui illis poſthaberentur, qui hominem ob ſuſcepta in altera vita ſcelera in triſtẽ hanc, ac moleſtijs plenam lucem profundi perſuaſum habebãt. Nam etſi μετεμψυχώσεως commentum ſtatuentes, hominum more errarent, & quidem fœdè ac turpiter errarẽt, quippiam tamen funeſtum ac triſte, quodcunque tandem illud eſſet, communi hominum naturę accidiſſe, ſapienter diuinabant.

Aug. lib. 4. cont. Iulian.

Pythagorici de naturę noſtræ morbo Pelagianis rectiùs ſtatuerunt.

At quęnam, inquis, eiuſmodi homo neuter, & quaſi medius, hoc eſt, nulli peccato aut vitio contaminatus, nec vllo rurſum diuinæ gratię dono ornatus: qualem quidem Deus nullum condidit, condere tamen, vt modò aiebam, potuit, aut intelligere, aut velle, aut perficere potuiſſet, aut poſſet, ſi quiſpiam talis modi in rerum vniuerſitate exiſteret? Sanè id certò definire eô minùs procliue eſt nobis, quô de humanarum virium magnitudine, deq; accepti per peccatum vulneris grauitate, & de conatuum ſingulorum quantitate minùs certò nobis conſtat. Dici tamen poteſt iſtiuſcemodi hominem, Deum eſſe,

Quid ſolę humanæ vires per ſe queãt, non ſatis cõpertum.

ſe, eundemque iuſtum & ſanctum eſse, per ſe deprehendere potuiſse, & poſse. Vtrunque enim ipſa quodam modo natura clamat, & ratio clara demonſtrat. Nã quî aut mouentiũ ordo? aut neceſsariorũ ratio? aut efficientiũ ſeries? aut perfectionũ diſſimilitudo? aut ordinatiſſima illa rerũ omniũ, & earũ maximè, quę mẽte & ratione deſtituũtur, œconomia? certaq; vniuſcuiuſq; in ſuum finẽ impulſio, & nixus cõſtare poſsẽt: niſi in rerũ vniuerſitate extaret vnũ primũ efficiẽs, nõ effectũ: mouens, nõ motũ, per ſe abſolutè neceſsariũ, per ſe ἁπλῶσ ἓν, καὶ ὢν κατὰ πάντα, καὶ ὡσ ὄντωσ ἔχων, quod ſuam proinde, aut neceſsitatis, aut quidditatis, aut vnitatis, aut ſimplicitatis cauſam aliunde non mutuatur: cęteris omnibus perfectione & bonitate pręſtans: imò verò cęteris omnibus omnẽ, qua pollẽt, bonitatem & perfectionẽ liberaliter impertiẽs: cętera tandẽ omnia ſapienter gubernans, ac ſuauiter in ſuos fines dirigens? Hanc autem tam excellentem naturam, hanc tam nobilem, potentemque, & ſapientem ὀυσίαν cum vniuerſa Theologorum & Philoſophorum Schola Deum appellamus.

Deum eſſe natura clamat.

Ariſt. 8. Phyſ. & 12. Meta.

Deum eſſe ratio demõſtrat.

Plato in Tim. Ariſt. 8. Phyſ. & 12. Meta. Thom. 1. q. 3. 8

At nouimus interim nõ deeſse, qui has Philoſophi rationes, aliasq; hiſce cognatas labefactare contendant: Sed hi ꝓfectò caſso labore ſe fatigãt. Nã etſi quędã ex illis eneruari vtcunq; queant, & ſingulę per ſe ſumptę minus quoque virium habeant: certum eſt tamen, ſi quod in tota rerum vniuerſitate extat, in quod omnes hę excellentię & prerogatiuę ſimul cõueniant, id diuinitatis expers eſse non poſse. Sed neq; incertum quoque eſt, Auguſtinum, Ambroſium, Damaſcenum & alios cõplures eximios Theologos; imò ipſum quoq; Apoſtolum, his ipſis, & alijs ꝑterea quibuſdã his minùs euidẽtibus & efficacibus, vt verè euidẽtibus & efficacibꝰ in hac materia vſos eſse.

Petr. de Alia. 1. q. 3.

Quod vna nequit, plures rationes euincunt.

Auguſtinus: Viderũt Philoſophi, quos cęteris nõ immeritò fama atq; gloria prelatos videmus, nullum corpus eſse Deũ, atque ideo cuncta corpora tranſcenderunt quęrentes Deum. Viderũt quicquid mutabile eſt, nõ eſse ſummũ Deũ: atq; ideo omnem animã, mutabileſq; ſpiritus omnes tranſcenderunt,

Lib. 8. c. 6. de ciui.

Deus corporis expers.

In Deum non cadit mutatio.

Omne, quod est, à primo ente est.

quærentes summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacunq; mutabili, qua est, quicquid illud est, quoquo modo, & qualiscunq; natura est, nõ esse posse, nisi ab illo, qui verè est, quia & incõmutabiliter est. Quia non aliud est illi esse, viuere, & intelligere, & beatum esse. Propter hanc autem incommutabilitatem & simplicitatem intellexerunt eum, & omnia ista fecisse, & ipsum à nullo fieri potuisse.

Quicquid in Deo est, Deus est.

Ad cap. 1. ad Román.

Ambrosius: Notitia Dei manifesta est, ex mundi fabrica. Vt enim Deus, qui natura inuisibilis est, & à visibilibus possit sciri, opus factum est ab eo, quod opificem sua visibilitate manifestaret: vt per certum incertũ possit sciri: vt per hoc, quod cæteris impossibile est, ille esse Deus ab omnibus crederetur, qui hoc opus fecit. Hæc ille, non ad Philosophi solùm, verùm & ad Apostoli sensum admodum apposítè.

Aspectabilis hęc mundi machina, Deum esse demonstrat.

Lib. 1. c. 3. de orth. fid.

Damascenus: Oportet opificem increatum esse. Nam si ipse quoque creatus est, omnino ab aliquo creatus sit oportet: & eousq; procedemus, dum quippiã occurrat increatum. Hoc autem quid aliud fuerit, quàm Deus? & addit: Sed & ipsa quoq; mundi coaptatio, conseruatio & gubernatio Deum esse apertè nos docent. Quomodo enim aduersantes naturæ, ignis, aquæ, aëris, ac terræ, in vnius mundi complementum ad inuicem concurrissent, & sine dissolutione perdurarent, nisi quæpiam omnipotens virtus, & ea coniunxisset, & semper conseruet indissoluta?

Primum efficiens à nullo effectum est.

Quod omnia gubernat, & conseruat, Deus est.

Rom. 1.

Apostolus Paulus: Quod notum est Dei, manifestum est in
" illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à cre-
" atura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur,
" sempiterna quoque eius virtus ac diuinitas: ita vt sint inexcu-
" sabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glo-
" rificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitati-
" onibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.

Quicquid in Deo est, cum substantia illius vnũ est.

Exprimit aũt Apostolus Deũ hoc loco multitudinis numero, nõ quòd multi dij sint, aut quòd multa in ipso existãt reipsa inter se distincta: (est enim Deus οὐσία quędã simplicissima nullam,

lam, aut partium, aut accidentiũ diuerſitatem admittens) ſed quòd eminenti quadam ratione omnia in ſe contineat, pluribusque modis, ac rationibus cognoſci à nobis queat, & cognoſci quoque ſoleat. Enimuerò ex creaturarum perpetuitate, cõditor earum dignoſcitur, & prædicatur æternus: ex magnitudine omnipotens: ex gubernatione & conſeruatione earundem bonus. &c.

Quo ſenſu multa in Deo exiſtere dicantur.

Hiſce authoritatibus & rationibus adde, ſi lubet, axioma illud, Deus eſt, inter ea, quę per ſe ſub fidem cadũt, cenſeri non ſolere. nec iniuria: Siquidem formalis fidei ratio eſt diuina vox, vel reuelatio. Ideo enim hoc vel illud creditur, quia Deus, qui mentiri, aut fallere non poteſt, per ſe, vel per alterũ Chriſtiano orbi patefecit. Iam ſi id ſolùm fide complecti obligor, quod Deus per ſe, vel per alterum reuelauit, conſequens fit priùs natura in animum cadere Deum ſecundùm ſe abſolutè conſideratum eſſe, quàm hoc vel illud ab ipſo patefactum eſſe. Ipſa enim reuelatio certum quoddam diuinæ erga nos clementiæ argumẽtum exiſtit. Et hoc rurſum priùs, quàm actu, vel habitu ab hoc vel illo creditum eſſe. Quare Deum eſſe verius eſt totius fidei, hoc eſt, eorum omnium, quæ creduntur, aut credenda proponũtur, certa quædam baſis ac fundamentum: vel, vt ille docet, certum quoddam ad ea, quę credere oportet, præambulum, quàm certum aliquod fidei caput, aut membrum.

Deũ eſſe, per ſe ſub fidem non cadit.

Thom. de ver. q. 1. 12. q. 67. 22. q. 1

Formalis fidei ratio diuina vox.

Catholica fides ponit, Deum eſſe.

Thom. 1. q. 2.

Fatendum eſt tamen, infuſę fidei habitum ad hoc ipſum quoque fidei fundamentum, vel pręambulum in ijs ſeſe extendere, qui vnà cum fide ſcientiam, vel euidentiam habent. Nam aliàs idiotæ, & literarum rudes, maiorem de hoc principio certitudinem haberẽnt, quàm ſummi Theologi, quod falſum eſt. Quandoquidem vt gratia naturam non deſtruit, ſed perficit: ita fides quoque cognitionem rationis ope comparatam non infirmat, ſed confirmat. Iam ſi hoc principium, Deus eſt, vel hęc maxima, Deus iuſtus eſt, per ſe propriè ac primò ſub fidei obiectum non cadit, vt reuera non cadit, ſed

Fides ſciẽtiæ habitum non infirmat, ſed confirmat.

Gratia naturam perficit, non euertit.

tantùm per accidens, & ſecundariò, poterit ergo certa ratione demonſtrari; & per conſequens, homo ſolis naturę opibus inſtructus cum generali numinis prędio illud poterit cognoſcere. Hoc ipſum autem eſt, quod nos de homine in meris naturalibus conſtituto, nuperrimè affirmabamus.

Deum eſſe & iuſtum eſſe, naturaliter cognoſci poteſt.

Thom. 1. q. 32.

Triados myſteriũ, cęteraque, quę per ſe ſub fidem cadunt, naturæ viribus depręhẽdi nõ poſſũt.

Aug. lib. 1. c. vlt. de Trinit.

Verùm quòd earum rerum, quę ſub ſenſum cadut, author ſit Deus, non vt hypoſtaſi trinus, ſed vt eſſentia vnus, non potuiſſet is ſola rationis luce nixus, vel ad ſacrę Triados notitiam, vel ad quamcunque aliam illuſtrem diuinorum myſteriorum cognitionem aſſurgere. Extat ſanè omnibus in rebus obſcurum quoddam ſacroſanctę Trinitatis veſtigium: omnia nanque, quę diuina arte fabrefacta conſtant, quandam in ſe vnitatem, & ſpeciem, & ordinem oſtendunt, ſuoque pondere, numero, ac menſura Deum Opt. Max. potentem, ſapientem, ac bonum eſſe teſtatum faciunt: At illud interim veſtigium diuinorum attributorum indicium exiſtit veriùs, quàm hypoſtaſεων. Attributorum autem conceptus, hypoſtaſεων conceptum neceſſariò non includit. Poteſt enim Deus vt potens, vt ſapiens, vt bonus; imò etiam vt intelligens, ac volens, animo concipi, etiamſi non concipiatur vt generans, vel ſpirans. Mitto hîc veſtigium, vt eiuſmodi, non tam rem ipſam, ipſiúsve rei naturam, quàm quędam tãtùm externa ipſius rei accidentia prodere.

Trinitatis veſtigium extat in omnibus quę extant.

Veſtigium nõ prodit internam ipſius rei vim.

In homine & Angelo extat Trinitatis imago.

Geneſ. 1.

Ex quibus imaginis ratio ſpectetur.

Aug. lib. 10. de Trini. c. 11.

Sit ita, ais, at in homine & Angelo non ſolùm veſtigium, hoc eſt, obſcura quędam Trinitatis nota exiſtit, ſed eiuſdem quoque imago, & ſimilitudo. Nam vt Pater, & Filius, & Spiritusſanctus non ſunt tres dij, aut tres vitæ, aut tres naturæ, ſed vnus Deus, vna vita, vna natura: ita memoria, notitia, & amor, ex quibus imaginis ratio pręcipuè ſpectatur, non ſunt tres mentes, aut tres vitæ, aut tres οὐσίαι, ſed vna mens, vna vita, vna eſſentia. Aut ſi hęc non ſunt, certè tria hęc vnius ſunt vitæ, vnius mentis, vnius naturæ.

Auguſt. lib. loc. cit.

Rurſum vt ſingulę perſonę exiſtunt in ſingulis, & ſingulę rurſum in omnibus: atque ita ſingulę ſunt ęquales ſingulis, & ſingu-

ingulę rursum omnibus: ita singula hęc tria aliqua etiam ratione singulis sunt æqualia, & singula rursum omnibus. Memini enim me habere memoriam, intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, velle, & meminisse: & volo me velle, meminisse, & intelligere.

Personę diuinę singulę in singulis, & singulæ in omnibus.

Tandem vt simul patrem, simul filium, simul vtriusque Spiritum mente concipio: ita dum tria hæc recolo, aut volo, aut intelligo, tota simul recolo, intelligo, ac volo. Cùm ergo imago certam ad prototypum viam munire soleat, videri possit hominem solo rationis pręsidio adiutum, ad diuinæ Trinitatis arcanum pertingere posse.

Aug. lib. 9. de Trinit.

Vnus trium hypostaseon conceptus.

Negari non potest, cùm diuinarum hypostaseων vestigium, tum earundem quoque imaginem, ac similitudinem in homine & Angelo existere. Siquidem vt de hoc sub persona regis Tyri, scriptum extat, Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore: ita de illo, Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Sed & imaginis quoque ratio, & fundamentum per se, & essentialiter in vtroque comperitur. At hæc interim nota, imago, vel similitudo, multò plus dissimilitudinis, quàm similitudinis obtinet. Neq; enim tria illa, quorũ paulò antè meminimus, aut vnus homo sunt, aut idẽ cum anima sunt, aut ὑποστάτα, hoc est, per se subsistentia sunt, aut simul natura existunt, sed tria isthæc in vno homine, & in vna anima sunt, & ἀνυπόστατα, hoc est, certo quodam ordine alteri inhærentia sunt. Quare licèt mysterij huius cognitione iam illustratos, pieque, ac religiosè erga Deum, diuinasque res affectos, plurimùm confirmare queant, per se tamen eam vim non habent, vt mentem humanam citra vllam aliam internam, aut externam lucem, ad summæ illius vnitatis, & admirabilis Trinitatis cognitionem erigere valeant.

Ezech. 28.
Genes. 1.

Imago Trinitatis in homine sub obscura.

Aug. vbi sup.

Latũ discrimẽ inter tres diuinas hypostases, & creatæ imaginis partes.

Humanæ rationes fidem non pariunt, sed partam stabiliunt.

Quòd si qui ex seculi huius sapientibus comperti sunt, qui ad sacrosanctum hoc, & abstrusissimum μονοτριάδος mysterium, aut ad aliud quodcunque eiusmodi: (par enim omniũ ferè eorum

Philosophię sola Philosophia Trinitatis mysteriũ nõ hauserũt.

eorum eſt ratio, quæ certa tantùm fide tenētur) vmbratili quadam ratione alluſiſſe videntur, illi haud dubiè ſuis ænigmatibus, vel aliò tendebant, vel aliunde eam notitiam hauſerant. Neque enim præpotens Deus ſolas iuſtorum mentes Spiritu ſuo irradiat, ſed interdum quoque improborum & iniuſtorum animos lucis ſuæ radijs colluſtrat. Et vt nullam illi fidei lucem ex Deo proximè hauſiſſent, potuerunt tamen ex alijs, quibus cum cōſuetudinem habebant, aliquid eiuſmodi diſcere, aut ex ſacris quoque codicibus mutuare. Conſtat enim Septuaginta editionem non Iudæos tantùm, ſed quoſdam quoque præputiatos triuiſſe. Vtcunque ſit, certum eſt, trium diuinarum hypoſtaſeon arcanū ſolis naturę viribus Philoſophos aſſequi nequaquam potuiſſe.

Thom. 1. q. 32.

Num. 22. Ioan. 11. Matth. 7.

Et quemadmodum iſtiuſcemodi phyſicus vel neuter homo Deum, vt in ſe eſt, hoc eſt, vt hypoſtaſi trinus, & eſſentia vnus eſt: vel vt vltimus abſolutè hominis finis eſt, ex ſe dignoſcere non potuiſſet, nec poſſet: ita nec deſiderio quoque ſub trini, vel abſolutè vltimi finis ratione in eūdem ferri. Nam vt in obſcurum vtcunque poſſit, in omnino tamen ignotum animus conſultò, & quaſi data opera erigere ſe nequit. Poſita tamen eiuſmodi cognitione per fidem, vel aliud cognitionis medium, naturaliter in eum aſſurgeret. Imò verò citra fidem omnes naturali quodam impetu huc ferri videntur. Oſtendit hoc ingens illa humani cordis capacitas, & inquietudo. Nihil enim præter Deum clarè, vt in ſe eſt, cognitum extat, quod vel inſaturabilem illius ſitim extinguat, aut naturale eiuſdem deſiderium plenè expleat.

Humana mens, ſecluſa fide, nō fertur in Deū vt eſt veræ beatitudinis obiectum.

Solus Deus clare cognitus humanæ mentis amplitudinem, & ſitim explet.

Idem ille, neque iuſtus, neque rurſum iniuſtus, hoc eſt, medius homo, eodem illo naturæ lumine omnia, quæ ſenſibus ſubiecta cernuntur, hominum cauſa condita eſſe deprǽhendere valuiſſet. Siquidem omnia hæc, & natura, & prudentia, & ordine, & vſu homine inferiora exiſtunt. Inferiora autem ſuperiorum gratia fabrefacta eſſe, atque ideo hæc illis ſeruire, ſuoque modo ſubeſſe debere, etiam in hoc rerum ſtatu, nedum

Omnia, quæ ſub aſpectum cadūt, hominis cauſa cōdita ſunt, & homine inferiora ſunt.

dum ante exortum peccatum, communis animorum conceptio est.

Est sanè dominium illud, quod homini in pecudes, & cætera his abiectiora collatum initio fuerat, per peccatũ nonnihil labefactum, & quo ad vsum, & executionem multùm quoque imminutum: verùm ad ius, vel iurisdictionem quod spectat, mansit id planè integrum, & inuiolatum. Quandoquidem vt peccatum naturam non sustulit, sed tantùm sauciauit: ita naturę quoque ordinem non interuertit, sed nonnullas tantùm vsui, vel executioni illius difficultates obiecit. Quare vt aucupium, piscatio, & syluestrium animalium venatio, ante peccatum secundùm se erant iustæ, & naturales, & nulli non homini licitæ: ita si iuris naturalis rationem tãtùm spectemus, etiamnum omnibus sunt permissæ, & integræ. Vt cętera tamẽ per se alioqui licita, & isthęc quoq; per causam aliquam externam illicita fieri possunt.

Genes. 1. Homo dominiũ, quod in pecudes habebat, per peccatum non amisit.

Peccatũ naturę ordinem non interuertit.

1. Pol. 5.

Aucupium & venatio iure naturali nulli nõ permissa.

Potuisset nihilo seciùs, quæ naturali vi mentis cum cõmuni numinis synergia inuestigari, & capi possunt, multa conãdo, ac sudando paulatim inuestigare & capere: atque ita industria ac studio, si non celerem & exactam, certè rudem ac seram naturalium rerum notitiam comparare. Frustra nanq; intelligendi vis homini indita esset, si nihil omnino cum generali diuini Spiritus ope, aut inuestigare, aut intelligere posset. Nec enim minor, aut debilior censenda est rationis vis, quàm sensus: at hic vi naturali, & citra errorem, & citra difficultatem, quę sub obiectum illius per se cadunt, haurit ac percipit: haustaque atque percepta, cùm opus fuerit, in commodum vsum vertit.

Thom. 12. q. 109. 1.

Naturæ mysteria scrutari homo per se potest, sed nõ ἀνίδρωτί.

Non minor vis intellectus est quàm sensus.

Potuisset tandem inter bonum & malum, inter turpe & honestum, inter pręmio & supplicio dignum secernere, cæteraq; omnia, quę ad politicę vitę institutum faciunt, vtcunque perspicere ac iudicare. Nam hęc omnia etiam in hoc difficili, & deprauato rerum statu naturæ viribus non infrequenter prę-stantur, & à multis pręstita sunt sæpe.

12. q. 109. a. 2.

Homo naturæ viribus nõ solum naturale & physicum, sed morale & practicum quoq; bonũ cognoscere potest.

 Quid?

Thō. loc. cit. Quid? Quòd homo, de quo hîc nobis sermo est, morale ac practicum bonū non solùm cognoscere, sed cognitum quoq; velle ac perficere potuisset, id tamen non pari facultate, nec pari quoque constantia. Siquidem nôsse, & velle, & posse, maximè verò post læsam per peccatum naturam, non æquis semper passibus incedunt. At potuisset tamen: quandoquidem notitia practica, quam illi (vt & reliqua quoq; humanarum actionum principia) necessariò tribuimus, nō sui, vt theorica, sed operis causa existit. Accedit huc etiam, hominem nō quoduis animal esse, sed politicum, mente ac ratione prçditum: atque adeò ciuiliter ac politicè, hoc est, secundùm rationis præscriptum viuere & operari natum. Is autem politicūs, & secūdùm rationem viuere, & operari rectè censetur, qui etsi non omnia concepto animi voto, & expressè, quæcunque dicit, facit, vel instituit, ad Deum, vel ad publicam vtilitatem & pacem, (Hęc duo enim leges ciuiles, quę ex naturali iure ortum ducunt, potissimùm spectant) vel ad aliū honestum finem referre contendit, omnia tamen virtute, & quasi ex obliquo huc dirigit.

Nôsse, velle, & posse non paribus passibus incedūt.

Notitia practica opus spectat, theorica rei naturā cōsiderat.

Homo est animal politicū

Legum ciuilium scopus pax, publicaque vtilitas.

Tandem cùm omnia orta operationes naturæ suę conuenientes edant, & quidem constanter, & cum voluptate edant: finemq; ab ipso naturæ authore sibi præstitutū, vt plurimùm consequi soleant: miserrimum profectò foret solum hominem nullo vitio contaminatum, nullo naturæ vulnere sauciatum, citra aduentitiam alterius opem, nihil quod naturæ suæ propriè conueniat, aut ad præfixum finem viam muniat, præstare posse. Pręsertim cū multò veriùs & perfectiùs in ipsum conueniat secūdùm rationem viuere & operari, quàm secundùm sensum, aut sensualitatis impulsum. Conuenit hoc enim in illum secundùm genus, vel materiam; illud verò secūdùm formam vel speciem. Quæ autem secundùm formam conueniunt, ea simpliciter conueniunt; quæ verò secundùm genus, vel materiam conueniunt, ea propriè & absolutè non conueniunt, vel certè non ita absolutè, & propriè conueniunt, ac ea, quę secundùm formam vel speciem conueniunt.

Omia præter hominē præfixum sibi finem vt plurimùm assequuntur.

In hominem magis cōuenit secūdùm rationem viuere, quàm secundū sensum.

Est

Est sanè sensuum impetus vehemens, & inferiorum facultatum vis oppidò importuna & incitata: attamen non est ea vis tanta, vt rationem omnino pessundet, aut veluti seruam pro libito huc illucq; impellat. Potest enim ratio, si modò viribus vti velit, sensualitatis insultibus obniti, & quæ suarũ sunt partium strenuè obire. Nam si ratio, vel rationis appetitus sensuum impetui nullo conatu, nulla vi obsistere posset, non peccarent vtique, qui sensitiui appetitus impulsum contra rationis iudicium sectarentur. Peccatum enim, vt est apud diuum Augustinum, malum est adeò voluntarium, vt nullo modo peccatum sit, si voluntarium non sit: peccant autem, possunt ergo illi resistere, & importunos illius insultus propulsare.

Ratio sensus importunitatem potest comprimere.

lib. de vera rel. c. 14

Omne peccatũ est malum voluntarium.

At verò licèt homo in puris naturalibus constitutus bonum morale intelligere, & velle, & cognitum quoque, & expetitum vtcunque exercere ac perficere potuisset, non omne tamen, nec semper, nec perfectè: sed ex parte tantùm, & imperfectè. Nam in tam diuturno, ac tam assiduo carnis & spiritus conflictu, non potuisset ratio illius interdum non languere, non cæcutire, non etiam succumbere. Deberet profectò humana mens absolutum in omnes inferiores animæ vires dominatum obtinere: verùm quicquid tandem in statu purè naturali futurum erat, in hac sanè mortali vita eum non obtinet. Insurgit enim caro aduersus rationem, pars vtique inferior & abiectior in superiorem & nobiliorem, & nisi summa adsit cautio, & peculiaris adhuc cœlestis numinis fauor, abiectior potiorem in fraudem identidem abripit. Siue hæc creta de hoste victoria ex aliqua occulta conspuitatione illi obueniat: siue ex nostra ignauia & cæcitate: siue ex eo etiam, quòd ea, quę ad carnis sensum faciunt, multò sint & notiora, & concitandis animi motibus in hoc præsertim conruciatæ naturæ statu efficaciora, quàm quæ ad mentis, vel rationis legem ritè colendam, & studiosè obseruandam conducunt.

Thom. 12 q. 109.

Constãs perfectaque vita moralis deposcit nõ nullum externũ præsidium.

Ad Galat. 5.

In hoc vitæ statu carnis sensus contra spiritum sępe obtinet.

Carnalis sensus vis magna, & vnde hæc ꝓueniat.

Etenim quæ sensuum appetitum mouent, ea nusquam nõ in

Sensuum obiecta nusquã nõ obuia, ciendisque animi motibus apprimè idonea.

oculos incurrunt, & diu multumque, vtpote, iam inde ab ineunte ætate, vsq; ad vltimum vitę hiatum nobiscum perseuerant: & propter sensilem oblectationem illis adiunctam magna vi incitant, & quę his aduersa accidunt, peracres doloris aculeos in animos defigunt. At verò quę integra ratione constant, atq; ideo certã ad vera illa & constantia bona viam muniunt, ea post multos vix tandem annos sui cognitionẽ pariũt, & parum accuratè plerunq; dinoscuntur: & quia parum cognita habentur, fit vt parum quoq; diligantur, & illis aduersa parum quoq; affligent & sentiantur. Quis enim ex vulgaribus illis seculi mancipijs nõ maiorem sæpe dolorem capit ex parua aliqua honoris vel famę nota, aut ex pecuniæ & interdum non admodum magnę iactura, quàm ex amissa Spiritus sancti gratia?

Rationis bonum propter multas causas & minùs mouet, & minùs quoque curatur.

Quæ hactenus exposuimus, ea planum faciũt, hominem in puris naturalibus constitutum, si quem talem Deus Opt. Max. condidisset, quę naturę vires non excedunt, & nosse, & velle, & vtcunque quoque perficere potuisse: proximum est, vt, qualem ille condiderit, paucis nunc explicemus.

Deum Opt. Max. primum generis nostri parentem, non condidisse iustitia vacuum, aut exarmatum, aut obliquum: sed rectum, iustitiaque & sanctitate egregiè instructum atque ornatum.

TRACTATUS SECUNDUS.



Erùm enimuerò licèt præpotens Deus hominem viribus infirmũ, ingenio tardum, voluntate ad fluxa fortunæ bona, carnisq; commoda plùs satis incuruatum, alijsque vitæ huius miserijs, & ægritudinibus obstrictum condere potuerit: pro sua tamen sapientia, immensaque in genus nostrum clementia, talem non condidit: sed qualem eum condi decebat, cuius vnius causa vniuersam hanc mundi machinam prę- cipuè molitus erat.

Deus hominem cõdidit, non qualem potuit, sed qualem, vt conderet, decuit.

Fuit

Fuit itaque primus ille generis noſtri parens ac princeps excellenti ſpecie & pulchritudine: fuit ſenſibus maximè vigentibus & acutis: fuit viribus præſtantibus & planè eximijs: fuit, vt verbo abſoluàm, eiuſmodi, qui toto corporis habitu quandam veræ immortalitatis ſpeciem præ ſe ferret. Imò verò, qui, niſi peccatum obſtaret, reipſa immortalis eſſet. Certum eſt enim (quicquid tandem de altera duntaxat morte, aut mortis parte concionantur, qui cum Pelagio faciunt) diuinam illam comminationem, Quocunque die comederis ex eo, morte moriemini. non priorem tantùm primæ mortis partem, vbi anima priuatur Deo; nec tantùm poſteriorem, vbi corpus priuatur anima; nec ſolùm ipſam totam primam, vbi anima, & à Deo, & à corpore ſeparata punitur: ſed quicquid mortis eſt, vſque ad nouiſſimam, quæ ſecunda dicitur, & qua nulla eſt poſterior, integrè complexam eſſe.

Præſtans primi hominis forma, ingẽteſque corporis illius opes.

Geneſ. 2.

Aug. lib. 13. c. 12. de ciuit. Adam dum legem prçuaricatur, vtrãque mortem incurriſſe.

Vnde id colligis? Ex Apoſtolo, ex Mileuitana Synodo, ex Auguſtino, ex perpetua & conſtanti Eccleſiæ traditione. Paulus: Per vnum hominẽ peccatum (quod vtique animę mors eſt) intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Synodus Mileuitana: Quicunque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt, ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, nõ peccati merito, ſed naturæ neceſſitate, anathema ſit. Auguſtinus: Cùm quæritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi mandatum ab eo acceptum tranſgrederetur: vtrùm animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ ſecunda dicitur, reſpondendum eſt omnes. Prima enim conſtat ex duabus, vna animæ, altera corporis, ſecunda ex omnibus. Hęc illi de primi hominis immortalitate ante lapſum, & vtriuſque mortis merito poſt lapſum; quorum ſententiæ aſtipulatur vniuerſus orthodoxorum cœtus.

Ad Rom. 5.
„
„

Can. 1.

Vtriuſque mortis cauſa peccatum.

De ciuit. lib. 13. c. 12.

Mors prima duas, mors ſecunda oẽs complectitur.

At non erat prima illa primorum hominum immortalitas omnibus numeris conſummata, aut ſecundùm vſum quoque ſempiterna. Neque enim homo in illo felicitatis gradu,

Prima immortalitas inchoata veriùs, quàm cõſummata.

aut immortalitatis statu,in quo conditus fuerat,perpetuò hęsisset. Sed inde ad gloriæ,perfectæque immortalitatis statum porrò transijsset.Siue id futurum erat sub seculi finem,electorum numero iam expleto, vt opinantur nonnulli: siue post exactum certum annorum spatium, vt nobis sit verisimilius. Nam aliâs quô quisque ætate, vel tempore extitisset prior, eô merito quoque & sanctitate euasisset opulētior: quippe cùm ordinaria Dei lege idem moriendi & merendi soleat esse terminus: Isti autem omnes,vt hîc ponimus,iustitia & gratia fuissent ornati,atque ideo faciendis meritorum stipendijs idonei: Quare prioribus seculis orti, innumeris partibus cùm in merito,tum in prçmio quoque eos excelluissent, qui posterioribus annis in lucem prodijssent. Erat tamen immortalitas illa potentia,& habitu æterna; poterat enim homo, si non peccâsset, semper viuere: Imò verò nisi peccaret, aut animi statum secundùm peccati actum mutaret, non poterat mori, alioqui enim Deus, id quod ab illius clementia, & consuetudine alienum est omnino, priùs extitisset vltor, quàm homo peccator.

Adæ posteritas non tota simul ad superos fuisset translata.

Prima immortalitas potentia erat sempiterna.

Nec erat rursum ea immortalitas absolutè transnaturalis: Deposcebat enim locum innoxium, & commodum: auram puram,& ab omni infectione immunem: humanam industriam & cautionem: alimenta certa mensura,statisque diebus,vel temporibus percepta, quæ humidum radicale, quod continua insiti caloris actione exhauritur, & necessariò exhauritur,(aliâs enim humanum corpus in immensum excresceret) subinde instaurarent, natiuique caloris vim fouerent, suoque in vigore & robore perpetuò conseruarent: & alia id genus nonnulla, quæ omnia constat esse naturalia. Nec erat ea denique simpliciter naturalis: nam vt integra vsque consisteret,exigebatur quędam amica,ac familiaris humanæ mentis cum diuina voluntate coniunctio: tum originalis quoque iustitiæ prærogatiua: tum peculiaris rursum cœlestis numinis prouidentia, Angelorumque custodia non qualiscunque, sed

Prima immortalitas non erat absolutè transnaturalis.

Prima immortalitas non erat absolutè naturalis.

d eiusmodi, quæ omne illud, quod aut corpori detrimentum, aut homini interitum afferre posset, perpetuò arceret, propulsaret: tum alia tandem eius generis nonnulla: quæ omnia habentur gratuita, & supernaturalia.

Potuit tamen immortalitas illa merè naturalis esse. In perto; est enim, quô corporis constitutio extiterit melior, locus continens, & aura ambiens salubrior ac gratior; cibus, qui sumitur, efficacior & purior, hominisque cautio ac prudentia eiusdem maior, eô vitam diuturniorem esse solere. Si ergo Adam paradiso iam pulsus, originalique iustitia, ac cæteris gratiæ præsidijs destitutus, vitam producere valuit ad mille annos: sanè in paradiso, vbi omnia hæc naturæ commoda abundè suppetebant, ad duo aut tria annorum millia vitam producere potuisset: at productiore vita, priusquàm ad cœlestem beatitudinem trãsferretur, opus fortassis non erat. Imò verò, si cum grauibus quibusdam Theologis statuamus, vitalis ligni fructũ sua vi id integrè semper instaurare potuisse, quod genuini caloris actione, vel eiusdem quoq; ἀντιπαθείᾳ quouis modo deperdebatur, nec non illius eiusdem vitalis ligni virtutem & energiam fuisse perpetuam, ac naturalem, (idquod inde colligi vtcunq; posse videtur, quòd admisso iam peccato, suam adhuc vim retineret, scriptum est enim: "Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternũ) naturaliter in omne æuum" viuere potuisset. Veruntamen posita mortis lege post mandatum violatum, sicut reipsa positum nouimus, non poterat Adam, in quamcunque demum partem se verteret, certa tandem mortis præda non fieri.

Potuit prima immortalitas merè naturalis esse.

Diuturnæ vitæ causæ variæ.

Genes. 3.

Interroganti proinde mortalis'ne Adam ante peccatum extiterit, an immortalis? Cum Augustino, Damasceno, alijsque diuinorum oraculorum interpretibus respondere licet, vtrunque fuisse: immortalem quidem gratia, mortalem verò natura. Sortiebatur enim corpus ex elementis concretum, & animale: eiusmodi tamen, quod & animæ sequax, & inter-

Adam ante peccatum vtrunque erat, mortalis nimirum, & immortalis.

Greg. lib. 4. c. 25. Moral.

Corpus æmulatur statum animæ.

internum eiusdem animæ statum ad viuum exprimere natum esset. Quare cùm liberum hominis arbitrium (quod in animę regno principem locum obtinet) ita vigebat, vt peccare posset, & non peccare, stare rursum & cadere, (qua sanè virtute in statu naturæ integræ polluisse constat) homo tum mori potuit, & potuit rursum non mori. Cùm autem idem illud arbitrium diuina gratia firmatum, nulla ampliùs peccati labe poterit contaminari, (vt in cœlesti paradiso) homo iam tum quoque non ampliùs poterit mori. Nunc autem, quia non potest non aliquo plerunque peccato affinis fieri, fit, vt in hoc rerum statu homo non possit non mori.

Terrestris & cœlestis paradisi immortalitas eiusdem sunt potentiæ, non eiusdē quoque status, aut perfectionis.

Cæterùm sint'ne prima & secunda immortalitas eiusdem rationis, an verò diuersæ, id multis hoc loco disputare non attinet. Solùm dixerim, vt non alia est anima, quæ sensum, animalemq́ue vitam corpori impertitur, (Cuiusmodi vitæ ratio in hac iam peregrinatione obtinet, & ante hominis lapsum obtinebat in paradiso) & alia rursum, quæ cœlestem planeq́ue spiritalem vitam de se fundit, sed eadem ad numerum, (licèt alio interim & alio modo sit affecta) ita terrestris ac cœlestis paradisi immortalitatem diuersi quidem status, diuersæq́ue perfectionis esse, non tamen diuersæ potentiæ, sed vnius & eiusdem.

Primæuæ immortalitatis gemina extitit causa: interna vna, externa altera.

Quæ hactenus exposuimus, planum faciunt, primæuæ illius immortalitatis causam geminam extitisse: vnam internam, externam alteram. Interna complectebatur iustitiam originalem, & cætera omnia, quæ vel ex illa, vel ex quibus illa dependebat. Externa verò vitalis ligni escam, & reliquam fructuum paradisiacorum annonam: peculiarem quoque Angelorum curam, & Dei prouidentiam. Hęc enim occulta quadam vi efficiebat, effecissetq́ue semper, si per opus spiritali vitæ contrarium, moriendi potentia, quæ suapte natura inerat, in actum reducta non fuisset: ne aut ignis insontem adureret, aut aqua vel terra pręfocaret, aut pestifer aër inficeret, aut bestia, vel alia quæuis res creata lethaliter offenderet, aut

vim aliquam mortiferam adferret. Isthęc autem cura & prouidentia ita erat gratuita, vt tamen non propriè esset prodigiosa. Erat enim ordinaria, & statui illi primo suo quodam modo iure debita. Et vt primus homo immortalis, ita & impatibilis quoque erat.

Erat autem impatibilis, non quòd ferrum, aut aliud quodcunque telũm, si quo casu in eum incidisset, ipsum vulnerare non posset, aut potuisset: potuisset enim, vt qui non secus atque nos illius posteri molli sectilique carne vestitus esset. Nec ea rursum de causa, quòd prorsus ἀπαθὴς esset. Habuisset enim & ille quoq; sua πάθη suaque παθήματα, licèt nulla omnino molesta, aut rationi dissentanea, aut ex illato, vel oblato, vel intentato, vel formidato malo, vel incommodo orta, vt sunt metus, fuga, odium, dolor, ægritudo, desperatio, affligens desiderium, &c. sed ea tantùm, quæ ex bono iam oblato, vel pro tempore iam expectato naturaliter oriuntur. Neque ob id tandem, quòd communium ac naturalium affectionũ omnino expers esset. Sentiebat enim, & intelligebat, ciboq; & potu, & somno quoque, quanuis quidam id negent, perinde ac cętera animantia indigebat: sed quòd Deo Opt. Max. per se, aut per administros suos Angelos noxia quęque arcente, ac propulsante, nihil vnquam in eum cecidisset, quod vllum ipsi dolorem, aut ęgritudinem, aut animi perturbationem, aut infirmitatem adducere posset. Hic igitur corporis primi parentis status fuit, hę eiusdem pręrogatiuæ, hęc ornamenta.

Primus homo ante admissũ peccatũ impatibilis perinde ac immortalis.

Alexander. Gregorius.

Primi hominis impatibilitas externis præsidijs maiorem in partem nitebatur.

Iam verò animus illius quantis virtutum, cœlestiumq; donorum ornamentis floreret, quantisq; scientiæ ac sapientiæ prę sidijs abundaret, vel illud vnum, vt cætera, quæ, & plurima, & maxima fuisse constat, mittantur, euidenti nobis argumento esse potest, quòd vbi primùm vitalem lucem hausit, cunctis statim animantibus vi quadam occulta ad se adductis, nomina, quæ in illorum naturas quàm maximè quadrarent, imponeret. Vnde nomina, quæ is tum non absque diuina qua-

Adamo in ortu suo amplifs. rerum naturalium scientiam obtigisse.

Chryſ. homil. 13. in Geneſ.

dam ſapientia impoſuerat, ea in perpetuum collatæ ſcientiæ & ſapientię monumentum, in hodiernum vſque diem ſtationem ſuam retinent.

Sunt qui dominatum, quem in vniuerſa obtinebat, ea animantium applicatione & nomenclatione deſignatum exiſtimant. Quandoquidem vt mancipiorum eſt ad dominorum imperium præſtò adeſſe, prompteque eorundem iuſſa capeſſere: ita dominorum viciſſim eſt, quæ viſum fuerit nomina, ſuis vernaculis imponere, quęq; placitum fuerit eiſdem imperare. At vtrunque hîc vſu veniſſe nouimus. Nam & leones, & pardi, & tigrides, & viperæ, & ſcorpiones, & alia his truculentiora, non ſecus ac domeſtica mancipia cum omni ſubiectione & manſuetudine accedunt, ſuaque præſentia ad omnem vſum ac miniſterium vltroneã operam offerunt. Adam autem tanquam potens quiſpiam paterfamiliâs ſingulis ſua nomina indidit, ſingulisque quod lubuit, operis impoſuit. At non ita multum refert, hoc'ne, vel illo, vel vtroque, vel alio etiã modo exponas, dum modò tamen verè, Scripturæque conſentaneè exponas. Nobis ſat ſit Adamum inſigni rerum naturalium ſcientia præditum fuiſſe.

Chryſ. homil. 14. in Geneſ.

Animantia ad Adamum adducta, ſuiſque nominibus ab eodem inſignita, & ſcientiã, qua pollebat, & dominium rurſus, quod in illa obtinebat, nobis adumbrabât.

Huic porrò ſcientiæ phyſicę, qua illuſtri planè generis noſtri princeps pollebat, iure meritoque alteram quandam adiungimus, nempe eam, qua inter turpe & honeſtum ſecernere, ſeſeque ac cæteros, qui ad ſe attinebant, ad ciuilem politicamque viuendi rationem inſtituere poſſet. Nam vt ſtirpem ex ſe procreare nequibat, niſi in ipſo ſtatim ortu perfecto corporis robore præſtaret, ita ſobolem quoq; ex ſe propagatam honeſtè, ciuiliterque imbuere ac gubernare non valebat, niſi pectus politica & œconomica prudentia egregiè delibutum haberet. Aderat illi & altera rurſum, qua ſuam originem, ſuumque finem, hoc eſt, à quo, & ad quid conditus eſſet; & alia præterea, quæ naturali lumine cognoſcere non poterat, & cognita tamen, perſpectaque habere debebat, cognoſceret. Nec enim minùs opus erat ipſi lumine, quo ſe ſuosque in

Adamum nõ ſolùm phyſica, & metaphyſica, ſed politica quoque & œconomica, & monaſtica ſcientia inſigniter ornatum fuiſſe.

n rebus spiritalibus, & fidei mysterijs erudiret, quàm quo e & alios in negotijs politicis, & œconomicis regeret. Adrat illi tandem virtutum supellex tanta, quantam ampla illa aturalium supernaturaliumque rerum cognitio meritò deoscebat: quippe cùm nihil non in nobili illo figmento exæuatum, & ad summam quandam harmoniam, & proportioem redactum esset.

Primū hominem cùm fide infusa, tum alijs quoque cœlestibus virtutibus, ac donis egregiè fuisse instructum.

Veruntamen vt in Adamo non omnes virtutes, nec mnia rursum Spiritus sancti dona extabant simpliciter, ed ea vel solùm, vel potissimùm, quę in felicem illum naræ statum quadrabant, vel ad illum ipsum probè tuenum, & exornandum necessaria censebantur: ita quoque non mnia fidei mysteria absolutè comperta habebat, sed ex s, quemadmodum & ex Physicis, & Metaphysicis, & lathematicis, cæterisque, quæ in Philosophorum Schos tradi solent, tantum cœlesti numine infundente hauseit, quantum pro status illius conditione sat erat. Nulla nim ratio credere nos compellit, aut stellarum numeim, aut singularum vim, ac proprietates, aut quicquid emmarum, aut lapidum, aut aliarum rerum in terræ vieribus, aut pelagi fundo abditum latitat, hoc totum illum, vngues, tenuisse. Harum enim ac similium rerum scientia l eius institutum, vel ad illius ætatis statum non erat necesria.

Adam non omnia sciebat, sed ea, vel solùm, vel potissimùm, quæ in felicē illum statum conueniebāt.

De Angelis, quibus homines interdum comparantur, ia est ratio: siquidem Angelo infusa rerum naturalium coitio iure debetur, vt qui corpore, ac sensu proinde corpoo destitutus, phantasmata colligere, & inde scientiā emencare non queat. Homini autem, cui interna & externa mparandarum scientiarum præsidia suppetunt multa, lla diuinitus insita rerum naturâ constantium scientia detur. Obtigit tamen illa primo homini, & alijs pręterea nonllis ex peculiari Dei munere. Et quoniam per gratiam accerat, & non tanquam iure naturali sibi debitam; accidit vt

Angelis scientia infusa iure debetur, homini nequaquam.

non omnem acciperet ſimpliciter, ſed quantam oportebat, vt & ipſe ſecundùm ſe perfectus eſſet, & munus ſuum, quo ad alios cum dignitate obire poſſet.

De his primi hominis prærogatiuis, ſingularique eiuſdem excellentia, quamcunque tandem illius partem ſpectare lubuerit, Damaſcenus alicubi huncin modum ſcribit: Deus condidit hominem primum omnis prauitatis exortē, rectum, virtutibus ornatum; ęgritudinibus, ac triſtibus curis vacuum; bonis omnibus cumulatum, tanquam alterum quendā mundum paruum, in mundo hoc magno: alterum Angelum adoratorem ex vtroque concretum, aſpectabilis creaturæ inſpectorem, inaſpectabilis verò myſtam: terrę, & eorum, quæ in terris degunt, regem, ſuperiorum poteſtatum ſubditum. Eundem terrenum ſimul ac cœleſtē, mortalē & immortalem, ſpectabilem & intelligibilem, ſpiritum & carnem: ſpiritum, quo tantorum bonorum authorem glorificet: carnem, ne ſe efferat, ac vtiliter pati queat. Hęc ille & alia in eandē ſententiam permulta. His concinunt iſthęc Auguſtiniana quoque:

Lib. 2. c. 12. de orth. fide.

Succincta primæui hominis deſcriptio ex Damaſceno.

Viuebat homo in paradiſo, ait ille, ſicut volebat, quàm diu volebat, quòd Deus iuſſerat: fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Viuebat ſine vlla egeſtate, ita ſemper viuere in poteſtate habens. Cibus aderat, ne eſuriret: potus, ne ſitiret: lignum vitæ, ne illum ſenectus diſſolueret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas moleſtias vllis illius ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus: humana in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiſo nullus ęſtus, aut frigus, ſic in eius inhabitatore nulla ex cupiditate aut timore accedebat bonę voluntatis offenſio: nihil omnino triſte, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Atque inter ſe coniugum fida ex honeſto amore ſocietas, cōcors mentis corporisq; vigilia, & mādati ſine labe cuſtodia. Non laſſitudo defatigabat ocioſum, non ſomnus

Lib. 14. c. 26. de ciuit.

Primæuæ felicitatis delineatio ex Auguſtino.

1. Timoth. 1.

premebat inuitum. Hactenus Augustinus. quæ omnia admirabilem primorum hominum felicitatem, & opulentiam, animorumque & corporum eorūdem sanitatem, ac venustatem extitisse clarè ac disertè testantur.

Verumenimuerò inter omnia, quibus primi stirpis nostrę parentes affluebant maximè, maxima dignum erat admiratione, omnes vtriusque corporis & animæ vires, ea harmonia inter se fuisse aptas, ea concordia & pace inter se cōsociatas, vt nullum vnquam intestinum experirentur bellum, nullum intra se fouerent dissidium, nunquam contrarijs votis secum ipsi pugnarent, in nullum vsquam, quod illos offenderet, aut ab officio dimoueret, incurrerent. Corpus omnesq; eiusdem partes penè ad nutum obsequebatur animo: animus quantus erat, totus ex rationis iudicio, volūtatisque pēdebat imperio, voluntas tandem & ratio toti Deo affixæ hærebant.

Suma in primo tranquillitas, & viriū omnium inter se consensio.

Hanc tam illustrem partium omnium inter se concordiam, hanc tam eximiam vtriusque partis venustatem, hanc, vt verbo absoluam, tam insignem cœlestium bonorum supellectilem, quæ generis nostri fonti in ipso exortu obtigerat, Scholæ Patres originalis iustitiæ nomine designant. Iustitiæ quidem, quòd eam, de qua modò diximus, inter corpus & animam, inter carnem & spiritum, inter Deū & hominem, inter hominem tandem & reliquas res creatas pacem ac concordiam constitueret: Originalis verò, non quòd ex naturæ principijs, vt accidentia, quę propria appellantur, emanaret: multò verò minùs, quòd naturæ à Deo institutæ forma, aut quæuis essentialis illius pars existeret: sed quòd vnà cum homine cœpisset, quodque vnà cum natura tanquam verum illius accidens, si Adam non peccâsset, in totā illius posteritatem transiturum erat. Aut certè quòd vnà cum ipsa anima homini infusum fuisset. Nam vt humani corporis forma, ex potentia materiæ nō educitur, atque ita vnà cum semine, aut natura propriè non transfunditur, sed à Deo procreatur, procreataque corpori infunditur: ita nullum cœleste, ac supernaturale do-

Omnia gratuita, quæ Adamo in ortu suo obtigerāt vno originalis iustitię nomine designantur.

Cur primi hominis prærogatiuæ orig. iustitiæ appellatione designentur, causæ diuersæ.

Nec anima humana, neq; vlla omnino cœlestis gratia educitur è potētia materiæ.

Thō.1.q.100.1

num vnà cum natura propagatur, vel transfunditur, sed omne eiusmodi ipsi homini, vel potiori eiusdem hominis parti, in ipso ortu, vel post ortum, diuinitus infunditur.

Designant eodem nomine & veteres Theologi quoque: At verò sacræ & diuinę literę imaginis, ac rectitudinis vocabulo familiariùs in hac materia vtuntur, quàm virtutis, vel iustitiæ voce. quanuis alibi & illa quoque vtantur. Legimus hîc enim: Creauit Deus de terra hominem, & secũdùm imaginem suam fecit illum, & secundùm se vestiuit illum virtute, hoc est, iustitia & sanctitate. Verùm siue hoc, siue illo, siue alio quocunque nomine originis iustitiam appelles, aut definitione exponas, certum est donum extitisse planè cœleste, & admirabile: cuius proinde dignitatem & amplitudinem, neque animo concipere, neque oratione satis pro dignitate exprimere valemus.

Eccl. 7. Genes. 1. 2. 1. Cor. 11. 15. Eccl. 17.

Orig. iustitiæ amplitudo oratione exprimi non potest.

Cęterùm pręclaro'ne illi, & admirabili iustitię dono gratia gratũ faciens essentialiter fuerit inclusa, an vt basis quædã eidem substrata, an verò ornatus causa forinsecus tantùm illi affixa, id certò definitum necdũ vidi. Vnde vt in talibus fieri assolet, alij primæuę iustitię vt fundamentum substernunt: alij vt veram & essentialem partem illi includunt. Volunt hi familiarem mentis cum Deo coniunctionem in hoc originalis iustitię ędificio formæ, cęterarum verò partium rectum ordinem materię locũ expleuisse. Addunt eandem humanę mentis ac voluntatis cum diuina mente ac voluntate cõcordiam & pacem per Baptismum ritè susceptum in integrum restitui: Integram verò reliquarum partium sanitatem & ordinẽ non item. Alij denique ab ea omnino diuelli posse contendunt. Aiunt enim Euam post diuinam gratiam & amicitiam amissam originalis iustitię vim & energiam in se adhuc retinuisse. Idem de ipso quoque Adamo asserunt. Nam & hic quoque priùs de interdicto ligno voluit comedere, quàm actu comedit, atque ideo priùs mortifero scelere se obstrinxit, quàm interdictam escam attigit, & tamen non priùs nuditatem suam

Qui sanctificãs gratia ad orig. iustitiã se habuerit, non satis exploratum.

animaduertit, quàm manducationis piaculum expleuit.

Sed hæc opinatio cæteris minùs probatur. Nam communi Theologorum ſententia, homo per originis iuſtitiam, & vndiquaque rectus erat, & Deo per omnia ſubiectus erat: per quoduis autem mortiferum peccatũ, & à Deo prorſus auertitur, & quantus eſt, totus ad caduca, & fluxa incuruatur. Si ergo Adam & Eua priùs è gratia exciderant, quàm lethalem eſcam manducâſſent, vt re vera exciderant, nõ poterant profectò originalis iuſtitiæ iacturam ante id tempus non feciſſe. Præterea ſi venialis næuus cum originali iuſtitia cõſiſtere nequibat, vt multi graues Theologi defendunt, multò ſanè minùs lethiferum crimen cum ea exiſtere quiuiſſet. Deniq; ſententia hęc, & paucorum eſt, & nulla graui ratione, aut authoritate nixa eſt. Neque enim neceſſariũ fuit, vt corporum probra ſtatim ſe proderent: vel vt illi in tanta mentis perturbatione conſtituti, ſtatim illa animaduerterent: vel vt idem quoque animaduerſionis, & narrationis ordo exiſteret.

Orig. iuſtitia cũ lethifero crimine conſiſtere nequibat.

Tandem ſiue gratia gratum faciens ad originis iuſtitiam ſe haberet vt pars, ſiue vt proprietas, ſiue etiam vt commune accidens, certum eſt Adamum priùs gratiæ gratificantis beneficio fuiſſe potitum, quàm legem infringeret. Siue eam illè gratiã vnà cum natura & originis iuſtitia acceperit, quod nobis ſit veriſimile: ſiue poſt naturam & originis iuſtitiam acceptam eo munere donatus fuerit, ita vt natura perinde anteceſſerit gratiam, atque gratia antecedere ſolet gloriam, vt exiſtimant nonnulli. Neque enim fas eſt arbitrari, omnia tunc in illo primo ortu perfectiones proprię cuiuſque naturæ conſentaneas habuiſse, ſolum hominem aliarum rerum principem perfectione ſua caruiſse. Caruit autem, ſi diuinæ gratiæ exors fuit: ex hac enim manat omnis omnino vera iuſtitia, & abſoluta perfectio. Sed Synodi Tridentinæ ea de re pronunciatum audire lubet.

Auguſtin. lib. de cor. Bern. ſer. 23. Cyril. lib. 1. c. 15. in Ioan. li. 2. cap. 3. in eundem.

Adamus ornatus gratia primã lucem hauſit.

Si quis, inquit illa, non confitetur, primũ hominẽ Adamũ, cùm mandatum Dei in paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim iu-

Seſſ. 5. can. 1.

ſtitiam

stitiam & sanctitatem, in qua constitutus fuerat, non amisisse, anathema sit. At citra gratiã nulla vera sanctimonia, nulla perfecta constare potest iustitia. Valeant ergo, qui nullam, neque Angelo, neque homini ante lapsum gratiam obtigisse concionantur: nos autem ad originalis iustitię vim & energiam, innocentisque Adę posteritatem stilum iam vertamus.

Nulla vera sanctimonia, aut iustitia absq; gratia.

In statu naturæ integræ, cùm generis nostri principem Adamum, tum cæteros quoque, qui felici illo seculo ex illo nascerentur, multa præclara, & velle, & perficere quoque per solam originis iustitiam seclusa gratia potuisse.

TRACTATVS TERTIVS.



Orrò autem beato illo, ac planè fortunato rerum statu Adamus quęcunque vel mente versabat, vel opere moliebatur, vel alia quacunque ratione instituebat, in Deum, vt in primum rerum omnium naturâ constantium principium, ac in vltimum earundem finem referre poterat. Poterat ipsum eundem vt totius vniuersi caput ac columen, & supra seipsum, & supra cętera omnia diligere. Et quia nulla corporis mole premebatur, nullo carnis languore prægrauabatur, nulla intestina lucta exercebatur, nulla tandem externarum rerum cura prępediebatur, poterat mentem, quoties lubebat, in illum erigere. Poterat reliqua omnia Decalogi præcepta citra molestiam explere.

Thô 12, q. 109. & quodlib. 1. q. 4. Bernar. ser. 1. de annun. Adamus potuit omia Decalogi pręcepta perpetuò citra vllam molestiam obseruare. Thom. 2. d. 24. & 3 c. 159. contra gent.

Poterat omnes omnino tentationes quãtumlibet molestas, ac graues superare: & per consequens omnia peccata, non solùm mortifera, verùm ea etiam, quæ venialia appellantur, declinare. Imò verò dum vitę statum, quem acceperat, integrum tueretur, veniali noxa constringi non poterat, ne ea quidem, quæ generi suo eiusmodi est. Atque hoc multum pręstabat ille non solùm hominibus sceleratis & impijs, verùm illustr

Bona. 2. d. 21. Hila. ad Psalmum 118. Aug. de bon. perse. cap. 13.

illuſtri quoque iuſtitia & ſanctitate ornatis. Nam etſi iſti uſcemodi iocoſa mendacia, verba ocioſa, & cætera, quæ neque ex carnis infirmitate, neque ex praui actus inchoatione: ſed ex ſe venialia ſunt, & venialia dicuntur, euitare poſſunt, omnia tamē & ſingula abſolutè, & ſemper, abſque peculiari Dei priuilegio ſubterfugere non queunt: Quanuis ob id nō omnes ſtatim Adamo, aut ſanctitate, aut perfectione inferiores cenſendi ſint.

Greg. Homil. 17. in Euā. & 18. Mor. c. 4. Beda ad c. 1. ad Rom. Bernard. de trip. miſ. Aug. lib. 11. c. 12. de ciuit.

Poterat idem ille acceptam iuſtitiam conſeruare, poterat eandem quoque amittere. Nam etſi perſeuerantię donum, vt magno noſtro incommodo euentus declarauit, non acceperat, acceperat tamen perſeuerandi virtutem, hoc eſt, id, quo perſeuerare poſſet, ſi vellet. Acceperat poſſe, inquit Auguſtinus, ſi vellet, ſed non habuit poſſe, quo vellet: nam ſi habuiſſet, perſeueráſſet. & alio rurſum loco idem: Sic factus eſt homo rectus, vt & manere in ea rectitudine poſſet, nō ſine diuino adiutorio: & ſuo fieri peruerſus arbitrio. Vtrumlibet horū elegiſſet, Dei voluntas fieret, vel ab illo, vel de illo. Et quia ſuam maluit facere, quàm Dei, de illo facta eſt voluntas Dei.

Adamo collatum eſt quo perſeuerare poſſet, ſi vellet, nō ipſum quoque perſeuerantiæ donum.

In ench c. 107

Poterat bona velle, & quę voluiſſet perficere, tametſi per ſolam originis iuſtitiam non omnia promiſcuè, ſed ea ſolùm, quæ naturæ viribus paria eſſent. Nam his abſolutè maiora, ea abſque gratia, nec efficaciter velle, nec perficere quoque valebat. At faciliùs is tum ardua & homine digna, & velle, & perficere quoque poterat, quàm nos illius poſteri modò. Quandoquidē cùm integra ille ſanitate potiretur, dono tantùm naturam ſubleuante egebat: At nobis infirmis, planeq; proſtratis, vtroque opus eſt, & ſubleuante, & ſanante. Quanuis interim reipſa nō aliud ſit, quod ſubleuat, aliud quod vtcunq; ſanat. Nam integra ſanitas in hac mortali vita nulli obtingit. Sicut non aliud quoque eſt, quod iuſtificat, aliud, quod peccata expiat, aliud, quod nos Deo reconciliat, ſed idem ad numerum.

Aug. lib. 14. c. 15. de ciuit. Thō. 12. q. 109

Adam per ſolam originis iuſtitiam nō poterat omnia at poterat tamen plura & maiora, quā nos illius poſteri modò.

Idem Spiritusſancti donum ſubleuat & ſanat, iuſtificat, & peccata expiat.

Poterat tandem, quęcunque volebat. Nam quæ abſolutè

Lib. 14. c. 15. de ciuit

non poterat, ea nec volebat quoque. Quæ, inquit Auguſtinus, alia eſt hominis miſeria, niſi aduerſus eum ipſum ipſius inobedientia, vt quoniam noluit, quod potuit, quod nõ poteſt, velit? In paradiſo enim etſi nõ omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat. Nunc autem, ſicut in eius ſtirpe cognoſcimus, & diuina Scriptura teſtatur, homo vanitati ſimilis factus eſt. Quis enim enumeret, quàm multa, quę nõ poteſt, velit? dum ſibi ipſi, id eſt, voluntati eius, ipſe animus eius, côque inferior caro eius, nõ obtemperat? Ipſo nanque inuito, & animus plerunque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur, & quicquid aliud patimur, quod nõ pateremur inuiti, ſi natura noſtra voluntati noſtrę omnino atq; ex omnibus partibus obediret.

Primus homo poterat, quæcunque volebat.

Homo multa vult, quæ non poteſt.

Vis primi hominis oriebatur ex plena eiuſdẽ ſanitate, hæc autẽ ex orig. iuſt. & peculiari Dei prouidentia.

At vnde, inquis, hęc tanta vno in homine vis? hæc tanta ad quiduis arduum expugnandum facilitas? Non aliunde ſanè, quàm ex integra omnium virium ſanitate, debitoq; ac recto earundem inter ſe ordine. Hæc autem tanta virium omnium integritas, hęc earundem inter ſe harmonia, hæc tanta totius hominis ſanitas ex originali quidem iuſtitia fluebat, tãquam ex cauſa interna, & propria: ex peculiari verò Dei Opt. Max. prouidentia, & ſynergia, tanquam à principio quodam cõmuni & externo. Etenim iuſtitia illa occulta quadam vi numinis vegetata, pręter alia multa, quorum ſuprà meminimus, efficiebat vt homo ille nullum in ſe experiretur virium languorem, nullam carnis rebellionem, nullam mentis caliginem, nullam ex conſequenti, aut ad benè operãdum difficultatem, aut ad malè agendum pronitatẽ, nihil denique eorũ omnium, quæ iuſtos in ſpiritali vitę huius ſtadio decurrentes, & vexant plurimùm, & remorantur ſubinde non parum.

Aug. lib. 14. c. 26. de ciui. Bern. ſer. 1. de annun.

Scotus. Argenti. Marſil.

Non erat, vt hîc ponimus, originalis iuſtitia ſecundùm ſe gratia gratum faciens, nec eam, vt multis placet, neceſſariò quoque includebat; ſed quædam tantùm gratia gratis data, vt linguarum, aut ſanitatis, aut prophetię donum. Attamen quòd non ſecùs atque gratia illuſtris quędam naturę perfectio eſſet, eius

Orig. iuſtitia erat gratia gratis data.

eius pręsidio multa perficiebantur,& perfici poterant,quę in hoc deprauato naturę statu citra peculiarem numinis opem perfici nequaquam possunt: Et quædam pręterea per illam obtinebantur,quę per ordinarium gratiæ præsidium obtineri non solent. Constat enim iustificantem gratiam humanam voluntatem Deo ita coniungere,vt tamen carnis infirmitatem,inferiorumque virium rebellionem non tollat. Hoc tamen originalis iustitiæ præstat gratia, quòd vna hæc, & hominis opus, & ipsum quoque hominem Deo efficiat simpliciter charum,capessendæque,vel promerendæ glorię absolutè idoneum: neutrum autem horum per se, hoc est, seclusa gratia, poterat originis iustitia.

Gratia & orig. iustitia se inuicē excedūt, & à se inuicē vicissim exceduntur.

Rom. 7.

Sed neque prima ortus nostri stirps sola, hęc tanta, & tam illustria possidebat,& valebat: possedissetque,& valuisset semper,si,vt poterat,& par erat, in vocatione, & ordine suo solidè constitisset: sed cęteri quoque omnes, quicunque communi generationis lege originem ex eo tracturi erant. Quandoquidem pręclarum illud primęuæ iustitiæ donum nō ipsi soli collatum fuerat,sed in illa,& per illam toti naturę humanæ, olim ab illa,& per illam propagandæ: Quam ob rem,quotquot vsitato naturę cursu à primo illo parente descendissent, omnes, vt cæteras naturæ proprietates, & affectiones, ita & originis quoque iustitiam vnà cum natura ex eo hausissent. Semper enim accidentia, quæ naturam consequuntur, nisi vel error, vel vitium aliquod in ipsa naturæ operatione contigerit, vnà cum ipsa natura transfunduntur, vel infunduntur.

Quæcunque Adamo collata fuerāt tanquam naturæ principio, ea omnia vnà cū natura trāsijssent in illius posteritatē.

Aug. de cor. & gra. c. 10. & in ench. c. 107. Ansel. de cō. virg. cap. 10. Thō. 1. q. 100. Dur. 2. d. 20. Aug. 2. de gē. Thō. 2. d. 20.

Porrò autem quæ de ipsa originali iustitia, eiusdemque iustitiæ transfusione, aut infusione hoc loco dicuntur, ea omnia & de illis quoque dicta accipiantur, quę necessariam cum eiusmodi iustitia connexionem habebant. At verò quæ Adamo obtigerant non iam vt primæ humani generis radici, sed vt personę priuatæ, aut promiscuo humanæ naturæ indiuiduo, ea vnà cum natura in prolem transmissa non

Quæ Adamo obuenerant tanq̄ priuatæ personæ, ea p generationē in illius posteritatē trāsmissa non fuissent.

non fuiſſent. Sicuti nec modò quoque ſingulorũ accidentia per generationem transferuntur, niſi forſan pauca quędam materialia,(nec enim medicus medicũ, aut philoſophus generat philoſophum) ſed ea tantùm, quæ, ſecluſo errore, naturam ſpecificam ſequi nata ſunt.

Aug. lib. 6. c. 13. in Gene. & lib. 1. c. 36. & 37. de pecca. remiſſ.

Quanuis ergo generis noſtri princeps omnem, & animi, & corporis perfectionem vnà cum ipſa natura accepiſſet, (neq; enim poſtea factus eſt, aut maior, aut firmior, aut noua rerum cognitione multò quoque pręſtantior: creuit hic tamē nonnihil, non ſolùm cognitionis modo, ſed cognitorum quoque numero) ſemini tamen illius neutrius partis perfectio in ipſo ſtatim exortu obueniſſet: ſed more aliarum rerum, quas natura fundit, per temporum interualla, & ſenſim. Nam illorum opinationem, qui humanum genus, ſi Adamus legem ſeruâſſet, non vi naturali, aut per ſexuum permixtionem, ſed per diuinam potentiam propagandum, ac multiplicandum exiſtimant, vt minùs probabilem, imò verò vt diuinæ Scripturæ, rationiſque luci parum admodum conſentaneam, cum diuo Auguſtino meritò reijcimus. Quandoquidem ſi Adamo non peccante, nullæ vnquam, vt iſti putant, futuræ erant nuptiæ, ſi matres nullæ, ſi naturalis propagatio nulla, quorſum Adamo opus fuit adiutorio? quorſum vtroque ſexu? quorſum diuino propagationis præcepto?

Adamus procreâſſet ex ſe prolem viribus infirmã, ac ſcientia rudem.

Greg. Nyſs. lib. de homine cap. 18. Chryſ. homi. 18. in Geneſ. Damaſ. lib. 4. cap. 24. Euthym. ad pſal. 50. Aug. lib. 14. c. 22. de ciuit.

In ſtatu innocentiæ natura humana ea via & medio propagata fuiſſet, quo propagatur modò.

At nihil, inquiunt illi, quod cum primęui ſtatus illius perfectione, aut integritate, aut honeſtate pugnet, vel aſtruere, vel recipere fas eſt. Atqui trita illa, & vulgata generationis via, cum incorrupto illo, ac felici naturę inſtitutę ſtatu non parùm multùm pugnare videtur, vt quę ſuapte natura eiuſmodi ſit, vt latebras quęrat, & virginitatis florem tollat, & mentis aciem obnubilet, & alia pręterea non pauca incommoda ſecum trahat.

Rationes ſuadentes in ſtatu innocentię nullam naturalem ſobolis propagatione obtenturam fuiſſe. Aug. 14. c. 16. de ciuit.

Nę in hoc deprauato rerum ſtatu omnia iſthæc ſobolis propagationem vt plurimùm comitantur: at in altero illo, quem peccatum non fecerat, ſed Deus inſtituerat, nihil horum

Nulla in primæuo ſtatu obtinuiſſet

orum omnium futurum erat. In tanta rerum facilitate, inquit Augustinus, & hominum felicitate, absit vt suspicemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo. Vt enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus foeminea viscera laxaret: sic ad foetandum, & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtranq; coniungeret. Hęc Augustinus.

obscœnitas, nulla libido, nihil honestati contrarium.

Lib.14. c.26. de ciuit.

Iamsi omnis istic absutura erat libido, ergo omnis quoque indecorus membrorum motus, omnisque immoderatus oblectationis sensus, & omne prę terea aliud, quod vel ruboris causam adferre, vel rationi tenebras offundere potuisset. Neque ob id tamē illecebra illa, quam natura, vel ipse naturæ author huic naturæ operi adiunxit, defutura erat. Imò verò quô in primis illis hominibus omnes animæ, & corporis vires viuaciores, perfectioresque erant, eô singulę ex proprijs obiectis intensiorem voluptatem hausissent. Gratior tum fuisset somnus, suauior cibus & potus, iucundior coniugalis thori vsus, dulciora cætera denique omnia, quàm sunt hoc tempore, etiam in optima corporum constitutione. Isthęc tamē omnia citra vllam, vt modò aiebam, vel rationis perturbationem, aut contemplationis iacturam. Obtinuisset tunc ergo vera & solida oblectatio, sed non exundans, non efferuescens, non modum excedens, non turpis, aut rubore digna, vt modò, sed honesta, & moderata & ad rationis libellam vbique exacta.

Primæuus status naturalis oblectationis expers non fuisset.

In paradiso maior sensuum omnium voluptas obtinuisset, q̄ modò.

Nulla in paradiso oblectatio quantumcunque intensa obturbâsset rationis iudicium.

Quod de virginitatis iactura porrò addebatur, nihil id nos mouere debet. Cōstat enim iacturā illam felici illi innocentiæ statui nihil quicquam incōmodi allaturum fuisse. Nam cùm virginitas secundùm se absolutè accepta, aliud nihil ob oculos nobis ponat, quàm generationis priuationem vel negationem, in quam communis natura propter speciei conseruationem propendet: quamque ipse naturę author in primo illo statu pręceperat, non est illa per se absolutè bona, aut in laude ponenda: sed tantùm per accidens, quatenus nimirum

Alex.2.q.94. Dur.2.d.20.

Virginitas nō per se absolutè, sed tantùm per accidens bona.

rum spiritalis vitæ cursum promouet, aut aliud quodcunque bonum authori suo conciliat. At in paradiso hoc propagandæ sobolis mysterium, neque politicæ, neque spiritali vitæ vllum omnino detrimentum attulisset. Quare perpetuò istic continere non magis licuisset, quàm perpetuò à cibo, vel potu abstinere.

In paradiso perpetuò cõtinere non licuisset.

Thom. 2. d. 20. q. 2.

Opinatio quorundam de materiali & formali virginitatis parte.

Sunt, qui sobolis propagationem salua potiore virginitatis parte in paradiso constare potuisse existimant. Imaginantur hi virginitatem mentis tantùm & carnis integritatem complecti : hanc quidem, vt materiam ; illam verò, vt formam. Addunt, carnis integritatem quouis Venereo congressu tolli, & quidem necessariò tolli ; mentis verò copula legitima secundùm actum quidem dissolui, secundùm habitum autem non item : illegitima autem secundùm vtrunque non posse non aboleri. In paradiso verò, quòd omnis ibi libido absfutura erat, neque secundùm actum, neque secundùm habitum quoque deperituram fuisse, & per consequens primos parentes formali virginitatis parte incolumi, nuptiale mysterium celebrare potuisse.

Habitualem virginitatem cũ ꝑlis propagatione in paradiso cõsistere potuisse opinantur nonnulli.

Sed sanè quocunque loco, vel statu coniugalis actus exerceatur, vtranque virginitatis partem infringit. Siquidem formalis huius rei vis non consistit in rationis vigore, aut aliquo alio eiusmodi, sed in firmo perpetuò continendi proposito: materiale eiusdem autem non in carnis integritate, vt isti dicunt, sed in Venereorum ἀπειρίᾳ positum est. At verò carnis integritas ad virginitatis decus per accidens se habet, vt quæ multis modis, salua per omnia illius dignitate, violari queat. Et in statu innocentiæ, vt diuo Augustino, & alijs quibusdam placet, integra constitisset.

Coniugalis actus neutrã virginitatis partem integram relinquit.

Formale virginitatis, cõtinendi propositum: materiale, Venereorum ἀπειρία.

Lib. 4. c. 26. de ciuit.

Generâssent itaque protoplasti in paradiso, cæterique, qui ex illis nascerentur. Et generâssent per coitum. Nam hæc procreandi fœtus ratio communis est ijs omnibus, quæ simile secundùm speciem naturaliter generant. Agens enim naturale in subiectam materiam non agit, sed nec

Primi parentes in paradiso generâssent secundùm naturæ præscriptum.

agere

gere quoq; naturaliter in illam poteſt, niſi eo modo ipſi coniungantur, quo à natura definitum eſt. Et ſanè aliud de prolis propagatione pertinaci ſtudio propugnare, aliud nihil eſt, quàm primos parentes non vulgari naturæ perfectione priuare, & ipſum præterea naturæ opus non abſq; erroris ſuſpicione in ius vocare. Nam cùm à primo illo naturæ ſtatu nihil remoueri ſoleat, nec remoueri quoque debeat, niſi noxa, & pœna inde nata: affirmare nullam in paradiſo futuram fuiſse generationem, aut nullam maris & fœminæ coniunctionem, eſt plano ſenſu indicare coniugalem copulam citra peccatum exerceri non poſſe, ne in optimo quidem naturæ ſtatu: Id quod omnino falſum, & iam olim hæreſeωs condemnatum eſt.

In errorem propendent, qui generationem in paradiſo futurã fuiſſe pertinaciter negant.

Generâſſent ergo, & ſecundùm legem à natura præſcriptam generâſſent, & certò generâſſent. Nam & viribus præditi erant ad generandum aptiſſimis: & nobile illud naturę opus nunquam niſi pio ac ſyncero propagationis ſtudio tentâſſent. Sed nec alio quoque fine, aut animo tentare licuiſſet: vt quod ſola generationis cauſa indictum atque permiſſum eſſet. Erat enim matrimonium ante peccatum, non in aliquod libidinis remedium inſtitutum, vt modò: ſed tantùm in naturæ officium, hoc eſt, in humani generis propagationem & conſeruationem. Et quoniam hoc illorum ſtudium fuiſſet ſanctum, rationique, & legi per omnia conſentaneum, authore naturæ pijs illorum conatibus aſpirante, nunquam ſua ſpe fruſtrati fuiſſent. Nam aliâs aliquo modo dependiſſent pœnam, ante admiſſam culpam. Eſt enim pœna non contemnenda incaſſum conari, aut expectato laboris fructu fruſtrari.

Alex. 2. q. 94.

Omnis maris & fœminæ in paradiſo cõgreſſus fuiſſet fructuoſus.

Sola prolis cauſa in paradiſo coire licuiſſet.

Laboris fructu fruſtrari, cum pœna coniunctum eſt.

Generâſſent autem non mares ſolùm, tametſi mares fœminis ſint perfectiores: nec rurſum fœminas tantùm, ſed mares & fœminas promiſcuè, & fortè numero pares. Nam cùm natura, quæ ſecùs ac per ſexus vtriuſque cõpulam propagari nequit, peroptimè eſſet conſtituta, nec vlla, vt

In primæuo ſtatu nati fuiſſent mares & fœminæ, & fortè numero pares.

modò

modò dicebamus, obtentura istic fuerit sterilitas, nec vlla rursum perpetua virginitas, sed magna prolis fœcunditas: quilibet, vbi ad iustum corporis robur peruenisset, suam habuisset coniugem, & quælibet vicissim suum maritum.

Primi parentes, quod ad corporis robur attinet, nō tales procreâssent, quales ipsi à Deo conditi fuerant.

Denique licèt Adam & Eua, quòd proximè citra vllam naturę synergiam ab ipso naturæ authore formati essent, eo ipso statim momento, quo conditi sunt, omnibus naturæ partibus & numeris perfecti fuerint, (vnde in ipso mox vitę primordio, ne ab omni externo opere vacui forent, vt paradisum excolerent, eundemque custodirent, liberisque procreandis, quæ vtique perfectorum officia sunt, operam darent, mandatum acceperunt) ipsi tamen ex se non procreâssent membrorum mole perfectos, aut corpore validos, sed quales natura fœtus primo statim ortu procreare solet: nempe mole ac quantitate paruos, viribusque ac membris infirmos ac inualidos.

A primæuo statu solùm culpa, & pœna semoueri debent.

Cur non firmos ac validos? Quia, vt paulò antè indicatum est, à statu naturę integræ nihil omnino semouendum est, pręter culpam & pœnam, aut aliquid hinc natum, aut his cognatum: nisi quid aliud forsan, aut per diuinam Scripturam orbi esset patefactum, aut per Ecclesiam definitum, aut à maioribus acceptum. Atqui membrorum infantilium infirmitas, & paruitas, nec culpa est, nec pœna est, sed quiddam planè naturale est. Nam vt infantes pro molis ratione cerebrum sortiuntur prægrande, & excellenter humidum: ita corpora quoque sortiri solent admodum tenera, & mollia: Hæc autem tanta carnis teneritas ac mollities, & gressus cęleritatem, & linguæ volubilitatem, & cęteras functiones, quę robur, & agilitatem exigunt, necessariò prohibent.

Membrorum paruitas, & virium imbecillitas naturaliter conuenit in ætatē infantilem.

In innocentiæ statu orti, pro ætatis ratione firmi & validi extitissent.

At quanuis ex materni vteri angustijs parui, viribusque inualidi in lucem fusi fuissent, pro ætatis tamen ratione firmi, ac cumprimis vegeti extitissent. Nec enim vlla omnino in eiusmodi infantibus comperta fuisset, aut ægritudo, aut corporis vitium, aut membrorum deformitas: Nec vllus rursum illo-

rum

rum vagitus, aut fletus, aut ploratus quenquam omnino infestâsset. Nam hæc, & his affinia alia, ex dolore & cruciatu proueniunt, quæ nullum ea ętate locum habuiſſent. Veruntamen non omnes nati fuiſſent, aut æquè validi, aut æquè etiam venuſti, ſed alij alijs grandiores, ac venuſtiores, prout nunc quoque fieri cernimus. Siquidem corpora naturæ legibus nequaquam fuiſſent exempta: Atqui pro varia ſyderum poſitione, corporumque conſtitutione, & animorum affectione, maxima in corporibus humanis contingit diſparitas, maxima diſſimilitudo, maxima varietas.

In paradiſo nullus omnino obtinuiſſet infantium fletus, nullus illorum vagitus, aut ploratus, aut morbus.

Magna in illius ętatis infantibus cõperta fuiſſet diſſimilitudo, magna diſparitas, ac diuerſitas.

Et quemadmodum primorum hominum fœtus ante peccatum non ſimul in vtero fuiſſent concepti, & ad ortus maturitatem adducti, ſed paulatim, & per certa dierum & menſium interualla: ita non ſimul quoque ex vtero in lucem fuiſſent editi, & ad perfectum robur, & membrorum molem euecti, ſed ſenſim, & ſubciſiuè, prout ea rerum incrementa non ſolùm in animantibus, & plantis obſeruare licet, verùm etiam in lapidibus, & cæteris mineralibus. Neque enim naturæ à Deo inſtitutæ ſimul eſt inchoare & abſoluere: (Nam aliâs nihil inter naturam, & naturæ authorem intercederet) ſed illius eſt aliquo operis rudimento poſito, paulatim progredi, & ad perfectionem niti. diuus Auguſtinus tamen ancipitem hîc ſe oſtendit. ait enim:

Primæui ſtatus infantes non ſimul in lucem fuiſſent fuſi, & ad perfectum robur adducti.

Mouet nos, ſi primi homines non peccâſſent, vtrùm tales filios eſſent habituri, qui nec lingua, nec pedibus, nec manibus vterentur. Nam propter vteri neceſſitatem fortè neceſſe erat paruulos naſci. Sed quanuis exigua pars corporis ſit coſta, non tamen propter hoc paruulam viro coniugem fecit. Vnde & eius filios poterat omnipotentia Creatoris mox natos grandes facere. Sed vt hoc omittam, poterat certè illis præſtare, quod multis animantibus præſtitit, quorum pulli, quanuis ſint paruuli, tamen mox vt naſcuntur currunt, & matres ſequuntur: contrà homini nato, nec ad inceſſum pe-

De peccat. merit. & remiſſ. c. 37.

Cuiuſmodi infantium in paradiſo futurus fuerit ſtatus, ambigit Auguſtinus.

des idonei ſunt, nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles, & iuxta ſe poſitis mammis, magis poſſunt eſurientes flere, quàm ſugere. Propriè verò infirmitati mentis congruit hæc carnis infirmitas. Hactenus Aurelius Auguſtinus. Verùm propter rationes paulò antè allatas, & alias complures, quas, ſi opus foret, in hunc locum adferre adhuc liceret, nobis eorum opinio magis probatur, qui non ſolùm paruulos naſcituros ſtatuunt: ſed per temporum quoque interualla, eadem lege, qua nunc humanam natiuitatem ordinatam cernimus, ſtature incrementum, & vſum membrorum recepturos fuiſſe defendunt. Ita vt in illis expectaretur ętas ad ambulandum, ad loquendum, ad diſcernendum, ſicut modò in nobis noſtrique ſimilibus.

Mag. Sent. 2. d. 20. & Scholæ PP. ibid.

In paradiſo orti ſenſim ad iuſtū corporis robur fuiſſent euecti.

Ante peccatū nati, rerum rudes fuiſſent nati.

Et vt natura in primo ſtatim vitę exortu non fudiſſet robuſtos, ſed viribus imbecilles: ita eadem quoque non edidiſſet prudentes, & callidos, ſed ſimplices, ac rerum rudes. Nec enim credibile ſit ſingulos, vt iuſtitia & ſanctitate, ita rerum quoque naturalium ſcientia expolitos in lucem prodituros fuiſſe. Et vt maximè naturalium rerum ſpecies, perinde ac Adamus, infuſas habuiſſent, (id quod nullo modo nobis ſit veriſimile: Nam vt communis eruditorum opinio habet, ſcientia Adæ infuſa non erat accidens naturæ ſpecificę, ſed naturæ tantùm priuatæ) ijs tamen propter cerebri humiditatem, & organorum δυσκρασίαν, in infantilibus annis conſtituti, vti nequaquam potuiſſent: ſed tum demum, quum quantum ſat erat, per dies & annos adoleuiſſent. Quod eô tamen citiùs, & feliciùs ijs contigiſſet, quô pro ętatis ratione, & firmiora, & nobiliora corpora, & diſciplinis capeſſendis aptiora ſortiti fuiſſent organa.

Thom. 1. 101.

In paradiſo ortis, neque ſcientia fuiſſet infuſa, vt Adamo, neq; ſi quæ infuſa fuiſſet, ea tamen in infantili ætate cōſtituti vti potuiſſent.

Verùm licèt hęc ipſa & alia præterea multa comparandarum ſcientiarum pręſidia ipſis ſuppetijſſent, (nam & commenti fuiſſent citra defatigationem, & ratiocinati citra errorem, & aliorum dicta hauſiſſent citra deceptionem. Siquidem defatigatio, error, deceptio, aliaque his cognata cruciatum,

&

& pœnam,& intellectus morbum, quæ ante peccatum nulla futura erant, necessariò coniuncta habent.)non omnia tamen sciuissent omnes,nec paria omnes : sed alij alijs plura, prout quisque vel diligentior,vel ingenio extitisset melior. Nulli tamen omnium, ne infimo quidem, prudentia vitę conseruandæ, sanctequc & religiosè instituendę necessaria in se, vel in altero defutura erat.Neque enim in felici illo & aureo planè seculo id homini denegatum iri credibile fit, quod animantibus rationis luce destitutis præstitum quotidiano experimento animaduertimus.Cernimus enim agnum,nullo mouente vel impellente,lupum,vt vitę hostem fugere ac detestari: matrem, vt altricem, vitęque conseruatricem amare, ac consectari,& alias item alia.

In paradiso nullus vexasset error, nulla defatigatio aut deceptio.

In paradiso non ęquè docti, neque æquè ingeniosi fuissent oēs.

Et quoniam nec pari ætate, nec æquali quoque sapientia futuri erant omnes, sed alijs alij ea in parte pręstantiores, vt inter Angelos, ita & inter ipsos quoque quidam ordinum, ac dignitatum gradus obtinuissent. Nam & parentes iure meritoque pręlati fuissent liberis, mariti vxoribus, seniores ac prudentiores iunioribus ingenio ac rerum vsu minùs adhuc valentibus, & alij item alijs, prout in quauis Republica benè ac sapienter instituta passim fieri cernimus. Ea tamen subiectio nullam attulisset molestiam, nullam pœnam, aut seruitutem,quin summam potiùs animorum voluptatem,ac libertatem. Verùm in originalis iustitiæ possessione, cæterisque, quę absolutè ex illa dependebant, nulla,aut certè non admodum magna extitisset,aut dissimilitudo,aut disparitas, aut graduum distinctio ; licèt interim vis illius in alijs eluxisset magis, in alijs minùs : Sicut nunc quoque in alijs apertiores originalis peccati effectus depræhenduntur,in alijs minùs aperti ; ex quacunque tandem causa ea effectuum diuersitas proueniat.

In paradiso aliquod quoque dominij specimen extituisset.

Alex.q.2.99. Thom.1.q.96

Ansel. de cō. virg.c.10. Thom.2.d. 20.& 1.q.100.

Orig. iustitia ex æquo adfuisset omnibus.

Quòd si vt originis iustitiam, ita & gratiam quoque primò illi statui propriam fuisse statuamus, vt multi statuunt : & fidei, & spei, & charitatis, & reliquarum virtu-

Aug. in Gen. Chry. in Gen. Basilius in Hexa.

Ambrof. in Hexa.

Adam ante peccatū nec fidei, neque aliarum virtutum, quæ vitium nullū ponunt, expers erat.

tum habitus, quæ gratiam consequuntur, & imperfectionem nullam includunt, ijs quoque largiamur oportet. Nam quę noxam ponunt, vel pœnam adferunt, vt pœnitentia, misericordia, verecundia, patientia, alięque his cognatæ, illę fortunato illo sęculo nullum habuissent vsum. De fidei tamen habitu, vel eiusdem potiùs vsu, non idem sentiunt omnes. Sunt enim, qui Adamum ante mandatum violatum clarè, quæ nos credimus, vidisse arbitrantur. Sed hæc opinatio non placet: Nam cùm viatòr adhuc esset, in gratia nondum confirmatus, vt exitus probauit, nullo modo infusa fide, aut infusę fidei opere caruisse putandus est. Obtigit tamen illi clarior diuinarum rerum notitia, quàm communibus viatoribus solet. Vnde quidam inter beatos, cęterosque, qui ad beatitudinem adhuc tendunt, medium illum constituunt. Primus homo, inquit Hugo Victorinus, & post illum Mag. Sent. cognouit à quo creatus fuerat, non eo cognoscendi modo quo ex auditu solo percipitur, quomodo à credentibus absens quęritur; sed quadam interiori inspiratione, qua Dei pręsentiam contemplabatur: Non tamen ita excellenter, sicut post hanc vitam visuri sunt sancti; nec ita in ænigmate, qualiter in hac vita videmus.

Lib de facr. c.14.

Mag. 2. d. 23.

Adami cognitio erat quodā modo media inter visionem & ænigmaticā notitiam.

In paradiso omnes ex æquo fuissent immortales & impatibiles.

Fuissent tandem ad vnum omnes imperfectæ cuiusdam immortalitatis participes: vt qui ex ęquo omnes principia, ex quibus illa dependebat, paria sortiti essent. Omnibus nanq; adfuisset diuina cura & prouidentia, omnibus peruigil Angelorum custodia, omnibus originalis iustitia, omnibus proposita fuisset vitalis ligni esca, & reliqua quæ paradisus suppeditabat alimenta, omnes deniq; afflâsset, & recreâsset terrestris paradisi aura & gratia. Sed hęc tamen omnia non præstabant perfectam aliquam immortalitatem, sed quandam tantùm verę immortalitatis speciem. Perfecta autem immortalitas, in ea vita & regione expectabatur, ad quam post certam annorum periodum excursam, vel simul, vel subcisiuè transmisissent omnes.

Hic

Hic igitur fuit Adami ſtatus ante lapſum, taleſque, ac tanti extitiſſent omnes, quotquot felici illo ſtatu ex illo orti fuiſſent. Nunc qualis tãtus ille vir poſt peccatum factus ſit, & nos omnes in illo, paucis vt enodemus, rerum tractandarum ſeries poſtulat.

Adamum, dum diuinam legem, quam acceperat, nefariè præuaricatur, omnibus illis opibus, virtutumque ornamentis, quibus abundabat, cum vniuerſa ſua poſteritate excidiſſe: & graue præterea vulnus, innumeraſque miſerias, & ærumnas, cùm ſibijpſi, tum toti quoque naturæ humanæ accerſiuiſſe.

TRACTATVS QVARTVS.



Erum enimuerò quò prima generis noſtri origo Adamus maioribus virtutum præſidijs inſtructus, maioribuſque cœleſtiũ donorum opibus cumulatus in lucem prodierat, eò lapſus illius grauior, offenſiſque numinis ira iuſtior extitit. Quare tantæ ingratitudinis iniuſtitiæque haudquaquam iniuſtus vltor Deus, neutiquam contentus fuit ipſum ſceleris authorem, malorumque caput omnibus gratuitis exutum, vt ingratum hoſtemque perfidum ſuo è cõſpectu, amœniſſimóque illo deliciarum horto proijcere, proiectumque morti, & alijs innumeris miſerijs deuouere: verùm æternum, ac terribile planè patrati ſceleris monumentum erigens, vniuerſum illius ſemen, eadẽ illa præuaricationis lege, ac pœna, dum per filij ſui ſanguinem expiaretur, perpetuò obſtrictum teneri voluit.

Quò Adami conditio extitit felicior, eò lapſus illius cenſus eſt grauior.

Adami ſcelus ab vniuerſa illius poſteritate exigitur.

Et quidem omnes omninò homines originalis iuſtitiæ ſtola exutos, cæteriſque omnibus, quæ illius iuſtitiæ nomine continebantur, orbatos naſci, natoſque innumeris moleſtijs, cladibus, miſerijſque affligari, id cùm ad ſenſum pateat, operoſa

Omnes orig. iuſtitia vacui, omnes innumeris miſerijs naſcũtur obſtricti.

probatione non admodum indiget. Constat enim adeò nullum nos omnino pristinę illius felicitatis & excellentię vestigium retinere, vt ipsis quoque iumentis, ac brutis animantibus parte quadam miserabiliores queamus videri. Nam etsi belluæ,& pecudes omnes,cùm sermonis vsu, tũ rationis quoque ope destituantur, maior tamen illarum pars magnis munita naturæ præsidijs in lucem funditur. Solum hominem, & omnem hominem nudum, inopem, vagientem, statusque sui miseriam miserabiliter lamentantem, ac deplorantem nasci cernimus: natum verò quanta in ipso mox vitæ limine malorum miseriarumque vis excipiat, quanta pericula circunsepiant, quis fando exprimere valeat? Vt nihil interim de curis, molestijs, crucibus ac solicitudinibus dicamus, quas, dum ætate nonnihil firmetur, illius causa subeant alij.

Ortus & vita hominis brutorũ exortu & vita multis partibus calamitosior.

In ipso vitæ limine ingẽs malorum ac miseriarũ vis hominẽ mox excipit.

Ex infantia porrò & pueritia per innumera incommoda, vitæque discrimina, quæ in teneram illam ętatem incidere solent, ad pubertatem: & hinc porrò per æquè multa & magna, & sæpe etiam per maiora naufragia ad adultiorẽ ætatem euectus, bone Deus, quot agitatur fluctibus? quot iactatur tempestatibus? quot percellitur fortunæ ventis? Hinc infesti in illum incurrunt amores: inde cruenta dissidia irruunt: isthinc voluptates multis plerunque & magnis sudoribus emptæ in animum se inferunt, viresque & omnes corporis neruos exhauriunt. His carnificibus adde, si lubet, dominandi libidinem inexhaustam, nuptiarum molestias incredibiles, fallacem amicorum fidem, crebras inimicorum insidias, cruentas ciuium discordias, familię dedecora, & reliqua malorum & vitiorum monstra, & mirabere vel paucos ex plurimis ad maturioris æui stadium pertingere quandoque posse.

Infantiæ & pueritiæ incõmoda innumera.

Adultę ætatis pericula, clades, miseriæ & cruces infinitæ.

De extremę ętatis morbis, varijsque eiusdem molestijs, & miserijs prolixè hîc differere superuacaneum existimo. Planum est enim eas esse tãtas, vt omnem meditationis modum, dicendique copiam longè post se relinquant. Quid multis? tanta vbique malorum seges in vnum grassatur hominem,

Senectutis incommoda omnem orationis & cogitatiõis modũ excedunt.

tot

tot tantęque in vniuersum genus nostrum desæuiunt pestes & clades, vt nouo vulneri nouus vix pateat locus, verissiméque illud Prophetæ, aliò cęteroqui pertinens, in illum torqueri queat: A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circunligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Sed quia sanctorum Patrum & pręcipuè veterum vox dulciùs sonat, & acriùs mouet, & faciliùs quoque persuadet, agedum vnum omnium loco ea de re disserentem audiamus. Esai. 1. " " "

Ad primam originẽ quod pertinet, ait Augustinus, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hęc ipsa vita, si vita dicenda est, tot ac tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quędam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, vt homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore, non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum? Et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, sęuitia, luxuria, impudicitia, adulteria, incesta stupra, sacrilegia, hęreses, blasphemiæ, periuria, calumniæ, falsa testimonia, iniqua iudicia, & quicquid talium malorũ in mentem non venit, & tamen de vita hominis nõ recedit? Verùm quòd Augustino obijci poterat, non omnium hęc esse, sed sceleratorum tantùm, ab ipsis penè cunabulis exorsus eodem illo volumine, voluminisque segmento prolixè ostendit, nullam ætatem, nullum sexum, nullam hominum conditionem, si naturam ipsam spectemus, ab ijs malis facilè immunem viuere. Aug. lib. 22. c. 22. de ciui. Vita præsens vitæ nomen vix meretur. Humanũ genus profunda tenetur ignorantia. Priuatus amor ingentium viuorum origo.

Quis ignorat, inquit, cum quanta ignorantia veritatis, quę etiam in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanę cupiditatis, quę in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam: ita vt si dimittatur viuere, vt velit, & facc- Homo cum magna veritatis ignorãtia, & vanitatis abundantia venit in hanc mundũ.

facere quicquid velit, in hęc facinora & flagitia, quę commemoraui, & commemorare nō potui, vel cuncta, vel multa perueniat? Sed diuina gubernatione non omnimodo deserente damnatos in ipsis sensibus generis humani prohibitio & eruditio contra istas, cum quibus nascimur, tenebras vigilant: & contra hos impetus opponuntur, plenæ tamē etiam laborum & dolorum. Quid enim sibi volunt multimodę formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? Quid pædagogi, quid Magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit dilecti filij latera tundenda esse, ne crescat indomitus, domarique iam durus, aut vix possit, aut fortassis nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refręnetur, cum quibus malis in seculo viuimus? & paucis interiectis subdit:

Prohibito & eruditio vitijs & flagitijs modum ponunt.

Varia puerorum terricula menta.

Eccli 30.

Sed præter puerorum pœnas, sine quibus dici non potest, quod maiores volunt, qui vix aliquid vtiliter volunt, quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quę non ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamque communem, quis vllo sermone digerat, quis vlla cogitatione compręhendat? Quantus, quæso, est metus, quanta calamitas, quantus luctus à damnis, & damnationibus? à deceptionibus, & mendacijs hominum? à suspicionibus falsis, ab omnibus violentis facinoribus, & sceleribus alienis? Quandoquidem ab eis, & deprędatio, & captiuitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & priuatio sensuum, & alia multa horrēda sæpè contingunt. Quid ab innumeris casibus, qui forinsecus corpori formidantur, æstibus, frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab offensione, & pauore, vel etiam malitia iumentorum, ac tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum ferarum? & infrà rursum:

Non pueri tantùm, sed & adulti quoq; vix aliquid vtiliter volūt.

Communis vitæ miseriæ innumeræ.

Quæ

Quæ mala patiuntur nauigantes? quę terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicunque non inopinatis casibus subiacens? De foro quidam rediens domum sanis suis pedibus cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finiuit vitam. Quid videtur sedente securius? de sella in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos, & mortuus est. Agricolæ, imò verò omnes homines quot & quantos à cęlo, & terra, vel perniciosis animalibus casus metuunt agrorum fructibus? Contra milleformes dęmonum incursus, quis innocentia sua fidat? Quandoquidem ne quis fideret etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, vt in eis maximè, Deo sinente, ista monstretur huius vitę flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas? Jam verò de ipso corpore tot existunt morborum mala, vt nec libris Medicorum cuncta comprehensa sint? In quorũ pluribus, ac penè omnibus, etiam ipsa adiumenta, & medicamenta, tormenta sunt, vt homines à pœnarum exilio pœnali eruãtur auxilio. tandem concludens subiungit hęc:

Terra mariq; pericula immensa.

Etiam paruulos dæmones vexant.

Morborum adiumenta, sunt tormẽta.

Ipse postremò somnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet, sępe somniorum visis quàm sit inquietus? & quàm magnis licèt falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, vt à veris eas discernere nequeamus, animam miseram, sensúsque perturbet? Qua falsitate visorum etiam vigilantes in quibúsdam morbis, & venenis miserabiliter agitantur. Hęc de humanę vitę miserijs, ac calamitatibus Augustinus, quæ semipelagianorum quorundam commenta non minùs validè refutant, quàm nostra confirmant. Emerserunt enim nostra hac memoria philosophastri quidam solo nomine Christiani, qui apertè Pelagianizantes omnem hanc malorum segetem ac miseriarum turbam, quę ab ipso vitę exordio vsque ad vltimum vitæ hiatum nos vrgent, non ad aliquam noxam, aut animæ pestem, sed ad internam naturæ nostræ conditionem, tanquam ad veram & propriam causam referant. Aiunt enim hoc ipso

Etiã somnus suas secũfert molestias.

Pelagiani omnia, quę in hac vita perpetimur, ad naturę nostrę principia referunt.

quòd ex elementari materia concreuimus, carneque & spiritu constamus, non posse nos ijs incommodis, casibus, & affectionibus affines non esse, quæ eiusmodi elementarem, & concretam naturam naturaliter consequuntur, quæque in bruta animantia, in quæ peccatum nullum cadit, æquè ac in hominem grassantur. Quare si illi vera prędicant, corporis morbus, carnis cum spiritu pugna, eiusdemque fomes, ac concupiscentia, mentis cęcitas, voluntatis curuitas, cęteráque, quę in catholicis Scholis naturę vulnera appellantur, aliud nihil sunt quàm quædam tantùm naturę pathemata.

Erasmiani, neq; verè philosophi, neq; verò quoque Christiani.

Verùm etsi hi, & Christiani, & Philosophi quoque haberi volunt, neutrum tamen sunt verè. Nam si hoc, vel illud essent solidè, multò verò magis si vtrunque essent perfectè, non ex abiectiori hominis parte contra fidem syllogizarent, sed ex fidei principijs huiusmodi ratiocinationem instituerent.

Genes. 1. Sap. 8. 11. Eccli 39. Marc. 7.

Deus Opt. Max. in mundi primordio quàm optimè, & quàm sapientissimè instituit omnia. Scriptum est enim, Quæcunque fecerat, visa fuisse valdè bona. Alibi: In omnibus, quę fecerat, oblectatum esse, hoc est, omnia quę condiderat, suo calculo approbâsse. Atqui quod bonum non est, id ille tanquam à se alienum diligere, suaque censura approbare non potest. At quod omnis, & ordinis, & legis, & rationis expers est, id absolutè bonum censeri nequaquam potest. Ordo autem omnis ibi meritò abesse putandus est, vbi ancilla, quam parere & subesse oportuit, arrepto per vim imperio, superbè & arroganter in dominam se effert, seruus in dominum, cęcus in itineris ducem. Atqui eiusmodi iniquam peruersitatem, peruersamque iniquitatem, in ijs omnibus dominari certum est, qui ex Adamo originem trahunt. Constat enim certo rerum vsu, & experientia quotidiana, carnem insurgere aduersus spiritum; spiritum rursus, & carnem aduersus Deum, qui fecit illum. Huius autem peruersitatis, & ἀταξίας totius ordinis ac bonitatis fontem confingere, grande pia-

Quæ bona nō sunt, diuina censurà non approbantur.

Quod omni ordine, lege, & ratione caret, in bonis haberi non potest.

In omnibus Adę filijs magna comperitur ἀταξία, magna ἀνωμαλία.

de piaculum est. Aliquid ergo turbatum & ἄτακτον, quod author naturę in natura nostra non seuerat, naturę nostrę aliunde accesserit, necessum est.

Debebant adhęc Philosophi illi (si hanc tamen appellationem iustè promerentur) meminisse animæ facultates, quę rationis secundùm se expertes sunt, tum demum florere, rectèque in homine constitutas esse, cùm promptè rationis iudicio, voluntatisque imperio obsecundantur: cęteras verò, quas secundùm se vel essentialiter rationales appellant, cùm heroicis virtutibus ornatę ad diuinas functiones, diuinarumque rerum commentationem, quàm optimè sunt dispositæ. Hoc enim veterum Philosophorum, priusquam Pelagius & qui illum sequuntur, nascerentur, de optima partium hominis constitutione iudicium fuit, & illud quidem sanum, licèt vt homines in eo errarent, quòd perfectam illam virium omnium pacem, & inter se concordiam, nostris viribus consequi nos posse existimarent: tum in eo rursum, quòd vltimam hominis felicitatem in ea partium εὐταξίᾳ, vel certè in quadam animi ἀπαθείᾳ sitam crederent: tum in eo tandem, quòd plerique ex illis Scripturarum ignari ἀταξίαν illam, quam in nobis experimur, totam ex naturæ principijs ortum ducere persuasum haberent. Quare licèt in voluntate iustitiam, in mente prudentiam, & in alijs humanę naturę viribus & facultatibus alias virtutes morales collocarent, non ideo tamen id faciebãt, quòd vllis omnino virtutum pręsidijs tanquam medicamentis, quibus partes illę à morbo, quo tenebantur, sanarentur, opus esse putarent, sed quo ad operationes naturę suę consentaneas obeundas perficerentur, habilesque, & expeditę redderentur. Iam si hoc veterũ Sapientum de optima hominis constitutione iudicium fuit verum ac sanum, vt reuera verum ac sanum fuit, consequens fit, insanum, & à ratione prorsus alienum illorum esse commentum, qui perpetuam illam partium inter se luctam & concertationem, naturalem, rationique consentaneam esse prædicant.

Optimus inferiorũ viriũ status, cùm superioribus promptè obsequuntur: superiorũ vero, cùm ad diuina quàm optimè affectæ sunt.

Triplex veterum Philosophorũ error de humanarum virium ἀταξίᾳ & εὐταξίᾳ.

Arist. 2. & 5. Ethic. Plat. in Phæd. & Charm.

Saniùs de natura nostra iudicãt veteres Philosophi, quàm recentes Pelagiani.

Vbi vera viriũ animæ εὐταξία adest, ibi corpus seruit, animus dominatur: ibi maiora bona anteponũtur minoribus, æterna caducis &c.

Psal. 13. Luc. 14. Matth. 22.

Maior hominum pars cõtra rationem sensu ducitur.

Aug. lib. 4. hypo.

Debebant rursum ijdem illi semichristiani philosophastri, quibus cum hîc nobis certamen est, meminisse vix vllum vnquam vel inter gregarios Philosophos extitisse, qui animæ'ne an corporis imperio vtendum sit, in quæstionem vocaret: vel qui huius'ne an illius commoda studiosiùs expetere, ac consectari oporteat, seriò ambigeret. Si ergo humana natura nullo δυσκρισίας vitio laborat, si nullo ἀταξίας morbo languet, bona vtique maiora anteponet minoribus, æterna caducis, primarium mouens instrumento, herum seruo, heram seruæ. Atqui in omnium oculis est, potiorem mortalium partem ardentiori desiderio in ea ferri, quę suauia sunt corpori, quàm in ea, quę salutaria sunt animo; in terrena & fluxa fortunę bona, quàm in cœlestia & sempiterna: multóque plus deferre carnis sensui, quàm rationis legi. Perspicuum fit ergo, naturam nostram non omnis prorsus vitij expertem esse. Quis enim cum gustatus sensum sanum dixerit, qui quod dulce est, vt amarum refugit, vel contrà quod amarum est, vt dulce appetit?

Anima, qua sumus, viuimus, & intelligimus, mortis exors est.

Immortalis animæ à corpore separatio, pugnat cum naturali illius desiderio.

Sed nec vlli quoque Christiano homini, nedum Philosopho Christiano de animæ, qua sumus, viuimus, & intelligimus, immortalitate dubitare fas est. Atqui contra partis naturam, naturalemque eiusdem propensionem est ab altera, qua cum essentialiter consociata fuerat, perpetuoque manere ardenter desiderabat, & perpetuò quoque manere poterat, diuelli, ac separari: Vel ipsa igitur immortalis animæ à corpore, quod οὐσιωδῶς informabat, separatio, hoc est, mors aliquam in naturam nostram pestem irrepsisse neutiquam obscurè insinuat.

Inter motorem & mobile naturalis quædam proportio intercedat, oportet.

Etenim si motor est ęternus & suapte natura immortalis profectò, semoto impedimento, naturale & proprium illius organum interitus quoque exors erit, aliâs enim inter partes totum essentiale absoluentes non satis apta proportio, & symmetria intercederet. Quare etiam nobiliores Scholæ Theo-

Theologi disertè profitentur, si hominem ex formæ spectemus, ex qua res potissimùm spectari solet, & spectari quoque debet, vt quę speciem constituat, mortem & quæcunque vi am ad ipsam muniunt, ipsi innaturalem esse: Atque adeò nequaquam decuisse, vt præpotens Deus, qui omnia disponit suauiter, & moderatur sapienter, animam suapte natura immortalem infunderet in corpus morti obnoxium, hoc est, in corpus eiusmodi, quod ipsa anima, aut vi propria, aut energia aliunde accepta, perpetuò integrum & incorruptum conseruare non posset. Siquidem corpus ex elementis concretum eam ex se firmitatem non habet, vt semper esse, & viuere possit, sed si quid eiusmodi habet, hoc totum aliunde mutuetur oportet.

Thom. Alexan. Argent. Ambrof. Si hominem secundùm formam spectes, mors naturæ illius est dissentanea.

Anima aliunde id mutuatur, quo corpus integrum conseruatur.

Corpus elementare ex se non habet, vt dissolui nequeat.

Mirum est sanè morosophos illos Augustino, quem vnum aliàs inter Theologos philosophi appellatione dignum prędicant tot libris ac tractatibus contra tetrum hunc errorem acerrimè disputanti tam impudenter sese obiectare. Quòd si de illius sententia, vel nostra fide ambigunt, legant commentarios, quos Hypognosticon inscripsit. Euoluant, quæ de pec. mer. & remiss. de gratia item & lib. arbit. de natura rursum & gratia inuulgauit. Percurrant quæ contra Iulianum, qui hanc carnis infirmitatem, & virium ἀταξίαν vt bonam, naturæque nostræ consentaneam propugnabat, & alias pręterea multas ineptias, nugasque sanæ fidei aduersas in vulgus proseminabat, pluribus voluminibus elucubrauit. Vbi etiam inter alia, quibus insanum hoc dogma insectatur, hac illum oratione vtentem comperient:

Augustinus pluribus voluminibus ostendit, quę in hac vita gemimus, ex peccato orta esse.

Si saperes Iuliane, profectò iniquitatem esse videres, cùm pars hominis inferior repugnat superiori, & meliori. Nec enim nulla iniquitas est, cùm in vno homine, vel superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Hæc Augustinus non minùs profectò philosophicè, quàm Christianè. Nam si inferioris partis motus vel impetus cōtra rationis iudicium,

Iniquum est, inferiorem hominis partem obluctari superiori, superiorem autem seruire inferiori.

Inferioris partis impetus cōtra ra-

 est

modò dicebamus, obtentura iſtic fuerit ſterilitas, nec vlla rurſum perpetua virginitas, ſed magna prolis fœcunditas: quilibet, vbi ad iuſtum corporis robur perueniſſet, ſuam habuiſſet coniugem, & quælibet viciſſim ſuum maritum.

Primi parentes, quod ad corporis robur attinet, nó tales procreâſſent, quales ipſi à Deo conditi fuerant.

Denique licèt Adam & Eua, quòd proximè citra vllam naturę ſynergiam ab ipſo naturæ authore formati eſſent, eo ipſo ſtatim momento, quo conditi ſunt, omnibus naturæ partibus, & numeris perfecti fuerint, (vnde in ipſo mox vitę primordio, ne ab omni externo opere vacui forent, vt paradiſum excolerent, eundemque cuſtodirent, liberiſque procreandis, quæ vtique perfectorum officia ſunt, operam darent, mandatum acceperunt) ipſi tamen ex ſe non procreâſſent membrorum mole perfectos, aut corpore validos, ſed quales natura fœtus primo ſtatim ortu procreare ſolet: nempe mole ac quantitate paruos, viribusque ac membris infirmos ac inualidos.

A primæuo ſtatu ſolùm culpa, & pœna ſemoueri debent.

Cur non firmos ac validos? Quia, vt paulò antè indicatum eſt, à ſtatu naturę integræ nihil omnino ſemouendum eſt, pręter culpam & pœnam, aut aliquid hinc natum, aut his cognatum: niſi quid aliud forſan, aut per diuinam Scripturam orbi eſset patefactum, aut per Eccleſiam definitum, aut à maioribus acceptum. Atqui membrorum infantilium infirmitas, & paruitas, nec culpa eſt, nec pœna eſt, ſed quiddam planè naturale eſt. Nam vt infantes pro molis ratione cerebrum ſortiuntur prægrande, & excellenter humidum: ita corpora quoque ſortiri ſolent admodum tenera, & mollia: Hæc autem tanta carnis teneritas ac mollities, & greſſus cęleritatem, & linguæ volubilitatem, & cęteras functiones, quę robur, & agilitatem exigunt, neceſsariò prohibent.

Membrorum paruitas, & virium imbecillitas naturaliter conuenit in ætatē infantilem.

In innocentiæ ſtatu orti, pro ætatis ratione firmi & validi extitiſſent.

At quanuis ex materni vteri anguſtijs parui, viribusquę inualidi in lucem fuſi fuiſsent, pro ætatis tamen ratione firmi, ac cumprimis vegeti extitiſsent. Nec enim vlla omnino in eiuſmodi infantibus comperta fuiſset, aut ægritudo, aut corporis vitium, aut membrorum deformitas: Nec vllus rurſum illorum

rum vagitus, aut fletus, aut ploratus quenquam omnino infestâsset. Nam hæc, & his affinia alia, ex dolore & cruciatu proueniunt, quæ nullum ea ętate locum habuiſsent. Veruntamen non omnes nati fuiſsent, aut æquè validi, aut æquè etiam venuſti, ſed alij alijs grandiores, ac venuſtiores, prout nunc quoque fieri cernimus. Siquidem corpora naturæ legibus nequaquam fuiſſent exempta: Atqui pro varia ſyderum poſitione, corporumque conſtitutione, & animorum affectione, maxima in corporibus humanis contingit diſparitas, maxima diſſimilitudo, maxima varietas.

In paradiſo nullus omnino obtinuiſſet infantium fletus, nullus illorum vagitus, aut ploratus, aut morbus.

Magna in illius ętatis infantibus cõperta fuiſſet diſſimilitudo, magna diſparitas, ac diuerſitas.

Et quemadmodum primorum hominum fœtus ante peccatum non ſimul in vtero fuiſſent concepti, & ad ortus maturitatem adducti, ſed paulatim, & per certa dierum & menſium interualla: ita non ſimul quoque ex vtero in lucem fuiſſent editi, & ad perfectum robur, & membrorum molem euecti, ſed ſenſim, & ſubciſiuè, prout ea rerum incrementa non ſolùm in animantibus, & plantis obſeruare licet, verùm etiam in lapidibus, & cæteris mineralibus. Neque enim naturæ à Deo inſtitutæ ſimul eſt inchoare & abſoluere: (Nam aliâs nihil inter naturam, & naturæ authorem intercederet) ſed illius eſt aliquo operis rudimento poſito, paulatim progredi, & ad perfectionem niti. diuus Auguſtinus tamen ancipitem hîc ſe oſtendit. ait enim:

Primæui ſtatus infantes non ſimul in lucem fuiſſent fuſi, & ad perfectum robur adducti.

Mouet nos, ſi primi homines non peccâſſent, vtrùm tales filios eſſent habituri, qui nec lingua, nec pedibus, nec manibus vterentur. Nam propter vteri neceſſitatem fortè neceſſe erat paruulos naſci. Sed quanuis exigua pars corporis ſit coſta, non tamen propter hoc paruulam viro coniugem fecit. Vnde & eius filios poterat omnipotentia Creatoris mox natos grandes facere. Sed vt hoc omittam, poterat certè illis præſtare, quod multis animantibus præſtitit, quorum pulli, quanuis ſint paruuli, tamen mox vt naſcuntur currunt, & matres ſequuntur: contrà homini nato, nec ad inceſſum pedes

De peccat. merit. & remiſſ. c. 37.

Cuiuſmodi infantium in paradiſo futurus fuerit ſtatus, ambigit Auguſtinus.

des idonei ſunt, nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles, & iuxta ſe poſitis mammis, magis poſſunt eſurientes flere, quàm ſugere. Propriȩ verò infirmitati mentis congruit hæc carnis infirmitas. Hactenus Aurelius Auguſtinus. Verùm propter rationes paulò antè allatas,& alias complures,quas,ſi opus foret,in hunc locum adferre adhuc liceret,nobis eorum opinio magis probatur, qui non ſolùm paruulos naſcituros ſtatuunt: ſed per temporum quoque interualla, eadem lege, qua nunc humanam natiuitatem ordinatam cernimus,ſtaturȩ incrementum,& vſum membrorum recepturos fuiſſe defendunt. Ita vt in illis expectaretur ȩtas ad ambulandum, ad loquendum,ad diſcernendum, ſicut modò in nobis noſtrique ſimilibus.

Mag. Sent. 2. d. 20. & Scholæ PP. ibid.

In paradiſo orti ſenſim ad iuſtū corporis robur fuiſſent cuecti.

Et vt natura in primo ſtatim vitȩ exortu non fudiſſet robuſtos,ſed viribus imbecilles: ita eadem quoque non edidiſſet prudentes, & callidos, ſed ſimplices,ac rerum rudes. Nec enim credibile ſit ſingulos, vt iuſtitia & ſanctitate, ita rerum quoque naturalium ſcientia expolitos in lucem prodituros fuiſſe. Et vt maximè naturalium rerum ſpecies, perinde ac Adamus, infuſas habuiſsent, (id quod nullo modo nobis ſit veriſimile: Nam vt communis eruditorum opinio habet,ſcientia Adæ infuſa non erat accidens naturæ ſpecificȩ, ſed naturæ tantùm priuatæ) ijs tamen propter cerebri humiditatem, & organorum δυσκρασίαν, in infantilibus annis conſtituti,vti nequaquam potuiſsent: ſed tum demum, quum quantum ſat erat,per dies & annos adoleuiſsent. Quod eò tamen citiùs,& feliciùs ijs contigiſset, quô pro ȩtatis ratione,& firmiora,& nobiliora corpora, & diſciplinis capeſsendis aptiora ſortiti fuiſsent organa.

Ante peccatū nati, rerum rudes fuiſſent nati.

Thom. 1. 101.

In paradiſo ortis, neque ſcientia fuiſſet infuſa, vt Adamo, neque ſi quæ infuſa fuiſſet, ea tamen in infantili ætate cōſtituti vti potuiſſent.

Verùm licèt hȩc ipſa & alia præterea multa comparandarum ſcientiarum prȩſidia ipſis ſuppetijſsent, (nam & commenti fuiſsent citra defatigationem,& ratiocinati citra errorem,& aliorum dicta hauſiſsent citra deceptionem. Siquidem defatigatio, error,deceptio,aliaque his cognata cruciatum,

&

&pœnam,& intellectus morbum, quæ ante peccatum nulla futura erant, necessariò coniuncta habent.)non omnia tamen sciuissent omnes,nec paria omnes : sed alij alijs plura, prout quisque vel diligentior,vel ingenio extitisset melior. Nulli tamen omnium, ne infimo quidem, prudentia vitę conseruandæ, sanctéque & religiosè instituendę necessaria in se, vel in altero defutura erat.Neque enim in felici illo & aureo planè seculo id homini denegatum iri credibile fit, quod animantibus rationis luce destitutis præstitum quotidiano experimento animaduertimus.Cernimus enim agnum,nullo mouente vel impellente,lupum,vt vitę hostem fugere ac detestari: matrem, vt altricem, vitęque conseruatricem amare, ac consectari,& alias item alia.

In paradiso nullus vexasset error, nulla defatigatio aut deceptio.

In paradiso non ęquè docti, neque æque ingeniosi fuissent oēs.

Et quoniam nec pari ætate, nec æquali quoque sapientia futuri erant omnes, sed alijs alij ea in parte prętantiores, vt inter Angelos, ita & inter ipsos quoque quidam ordinum, ac dignitatum gradus obtinuissent. Nam & parentes iure meritoque pręlati fuissent liberis, mariti vxoribus, seniores ac prudentiores iunioribus ingenio ac rerum vsu minùs adhuc valentibus, & alij item alijs, prout in quauis Republica benè ac sapienter instituta passim fieri cernimus. Ea tamen subiectio nullam attulisset molestiam, nullam pœnam, aut seruitutem,quin summam potiùs animorum voluptatem,ac libertatem. Verùm in originalis iustitiæ possessione, cæterisque, quę absolutè ex illa dependebant, nulla,aut certè non admodum magna extitisset,aut dissimilitudo,aut disparitas, aut graduum distinctio ; licèt interim vis illius in alijs eluxisset magis, in alijs minùs : Sicut nunc quoque in alijs apertiores originalis peccati effectus depræhenduntur,in alijs minùs aperti ; ex quacunque tandem causa ea effectuum diuersitas proueniat.

In paradiso aliquod quoque dominij specimen extitisset.

Alex.q.2.99. Thom.1.q.96

Ansel. de cō. virg.c.20. Thom.2.d. 20.&1.q.100.

Orig. iustitia ex æquo adfuisset omnibus.

Quòd si vt originis iustitiam, ita & gratiam quoque primò illi statui propriam fuisse statuamus, vt multi statuunt : & fidei, & spei, & charitatis, & reliquarum virtu-

Aug. in Gen. Chry. in Gen. Basilius in Hexa.

Ambrof. in Hexa.

tum habitus, quæ gratiam consequuntur, & imperfectionem nullam includunt, ijs quoque largiamur oportet. Nam quę noxam ponunt, vel pœnam adferunt, vt pœnitentia, misericordia, verecundia, patientia, alięque his cognatæ, illę fortunato illo seculo nullum habuissent vsum. De fidei tamen habitu, vel eiusdem potiùs vsu, non idem sentiunt omnes. Sunt enim, qui Adamum ante mandatum violatum clarè, quæ nos credimus, vidisse arbitrantur. Sed hæc opinatio non placet: Nam cùm viatòr adhuc esset, in gratia nondum confirmatus, vt exitus probauit, nullo modo infusa fide, aut infusę fidei opere caruisse putandus est. Obtigit tamen illi clarior diuinarum rerum notitia, quàm communibus viatoribus solet. Vnde quidam inter beatos, cęterosque, qui ad beatitudinem adhuc tendunt, medium illum constituunt. Primus homo, inquit Hugo Victorinus, & post illum Mag. Sent. cognouit à quo creatus fuerat, non eo cognoscendi modo quo ex auditu solo percipitur, quomodo à credentibus absens quęritur; sed quadam interiori inspiratione, qua Dei pręsentiam contemplabatur: Non tamen ita excellenter, sicut post hanc vitam visuri sunt sancti; nec ita in ænigmate, qualiter in hac vita videmus.

Adam ante peccatū nec fidei, neque aliarum virtutum, quæ vitium nullū ponunt, expers erat.

Lib de sacr. c.14.
Mag.2.d.23.

Adami cognitio erat quodā modo media inter visionem & ænigmaticā notitiam.

Fuissent tandem ad vnum omnes imperfectæ cuiusdam immortalitatis participes: vt qui ex ęquo omnes principia, ex quibus illa dependebat, paria sortiti essent. Omnibus nanq; adfuisset diuina cura & prouidentia, omnibus peruigil Angelorum custodia, omnibus originalis iustitia, omnibus proposita fuisset vitalis ligni esca, & reliqua quæ paradisus suppeditabat alimenta, omnes deniq; afflâsset, & recreâsset terrestris paradisi aura & gratia. Sed hęc tamen omnia non præstabant perfectam aliquam immortalitatem, sed quandam tantùm verę immortalitatis speciem. Perfecta autem immortalitas, in ea vita & regione expectabatur, ad quam post certam annorum periodum excursam, vel simul, vel subcisiuè transmisissent omnes.

In paradiso omnes ex æquo fuissent immortales & impatibiles.

Hic

Hic igitur fuit Adami status ante lapsum, talesque, ac tanti extitissent omnes, quotquot felici illo ęuo ex illo orti fuissent. Nunc qualis tātus ille vir post peccatum factus sit, & nos omnes in illo, paucis vt enodemus, rerum tractandarum series postulat.

Adamum, dum diuinam legem, quam acceperat, nefariè præuaricatur, omnibus illis opibus, virtutumque ornamentis, quibus abundabat, cum vniuersa sua posteritate excidisse: & graue præterea vulnus, innumeras que miserias, & ærumnas, cùm sibijpsi, tum toti quoque naturæ humanæ accersiuisse.

TRACTATVS QVARTVS.



Erum enimuerò quô prima generis nostri origo Adamus maioribus virtutum pręsidijs instructus, maioribusque cœlestiū donorum opibus cumulatus in lucem prodierat, eô lapsus illius grauior, offensique numinis ira iustior extitit. Quare tantę ingratitudinis iniustitięque haudquaquam iniustus vltor Deus, neutiquam contentus fuit ipsum sceleris authorem, malorumque caput omnibus gratuitis exutum, vt ingratum hostemque perfidum suo è cōspectu, amœnissimóque illo deliciarum horto proijcere, proiectumque morti, & alijs innumeris miserijs deuouere: verùm ęternum, ac terribile planè patrati sceleris monumentum erigens, vniuersum illius semen, eadē illa pręuaricationis lege, ac pœna, dum per filij sui sanguinem expiaretur, perpetuò obstrictum teneri voluit.

Quô Adami conditio extitit felicior, eô lapsus illius censsus est grauior.

Adami scelus ab vniuersa illius posteritate exigitur.

Et quidem omnes omninò homines originalis iustitię stola exutos, cęterisque omnibus, quę illius iustitię nomine continebantur, orbatos nasci, natosque innumeris molestijs, cladibus, miserijsque affictari, id cùm ad sensum pateat, operosa

Omnes orig. iustitia vacui, omnes innumeris miserijs nascūtur obstricti.

probatione non admodum indiget. Constat enim adeò nullum nos omninò pristinę illius felicitatis & excellentię vestigium retinere, vt ipsis quoque iumentis, ac brutis animantibus parte quadam miserabiliores queamus videri. Nam etsi belluæ, & pecudes omnes, cùm sermonis vsu, tū rationis quoque ope destituantur, maior tamen illarum pars magnis munita naturæ præsidijs in lucem funditur. Solum hominem, & omnem hominem nudum, inopem, vagientem, statusque sui miseriam miserabiliter lamentantem, ac deplorantem nasci cernimus: natum verò quanta in ipso mox vitæ limine malorum miseriarumque vis excipiat, quanta pericula circunsepiant, quis fando exprimere valeat? Vt nihil interim de curis, molestijs, crucibus ac solicitudinibus dicamus, quas, dum ætate nonnihil firmetur, illius causa subeant alij.

Ortus & vita hominis brutorū exortu & vita multis partibus calamitosior.

In ipso vitæ limine ingēs malorum ac miseriarū vis hominē mox excipit.

Ex infantia porrò & pueritia per innumera incommoda, vitæque discrimina, quæ in teneram illam ętatem incidere solent, ad pubertatem: & hinc porrò per æquè multa & magna, & sæpe etiam per maiora naufragia ad adultiorē ætatem euectus, bone Deus, quot agitatur fluctibus? quot iactatur tempestatibus? quot percellitur fortunæ ventis? Hinc infesti in illum incurrunt amores: inde cruenta diffidia irruunt: isthinc voluptates multis plerunque & magnis sudoribus emptæ in animum se inferunt, viresque & omnes corporis neruos exhauriunt. His carnificibus adde, si lubet, dominandi libidinem inexhaustam, nuptiarum molestias incredibiles, fallacem amicorum fidem, crebras inimicorum insidias, cruentas ciuium discordias, familię dedecora, & reliqua malorum & vitiorum monstra, & mirabere vel paucos ex plurimis ad maturioris æui stadium pertingere quandoque posse.

Infantiæ & pueritiæ incōmoda innumera.

Adulte ætatis pericula, clades, miseriæ & cruces infinitæ.

De extremę ętatis morbis, varijsque eiusdem molestijs, & miserijs prolixè hîc differere superuacaneum existimo. Planum est enim eas esse tātas, vt omnem meditationis modum, dicendique copiam longè post se relinquant. Quid multis? tanta vbique malorum seges in vnum grassatur hominem, tot

Senectutis incommoda omnem orationis & cogitatiōis modū excedunt.

tot tantęque in vniuersum genus nostrum desæuiunt pestes & clades, vt nouo vulneri nouus vix pateat locus, verissimé que illud Prophetæ, aliò cęteroqui pertinens, in illum torqueri queat: A planta pedis vsque ad verticem capitis non est " in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est cir- " cunligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. " Sed quia sanctorum Patrum & pręcipuè veterum vox dulciùs sonat, & acriùs mouet, & faciliùs quoque persuadet, agedum vnum omnium loco ea de re differentem audiamus.

Esai. 1.

Ad primam originē quod pertinet, ait Augustinus, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hęc ipsa vita, si vita dicenda est, tot ac tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quędam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, vt homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore, non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum? Et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, sęuitia, luxuria, impudicitia, adulteria, incesta stupra, sacrilegia, hęreses, blasphemiæ, periuria, calumniæ, falsa testimonia, iniqua iudicia, & quicquid talium malorũ in mentem non venit, & tamen de vita hominis nō recedit? Verùm quòd Augustino obijci poterat, non omnium hęc esse, sed scelerattorum tantùm, ab ipsis penè cunabulis exorsus eodem illo volumine, voluminisque segmento prolixè ostendit, nullam ætatem, nullum sexum, nullam hominum conditionem, si naturam ipsam spectemus, ab ijs malis facilè immunem viuere.

Aug. lib. 22. c. 22. de ciuit.

Vita præsens vitæ nomen vix meretur.

Humanũ genus profunda tenetur ignorantia.

Priuatus amor ingentium vitiorum origo.

Quis ignorat, inquit, cum quanta ignorantia veritatis, quę etiam in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanę cupiditatis, quę in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam: ita vt si dimittatur viuere, vt velit, & face-

Homo cum magna veritatis ignorãtia, & vanitatis abundantia venit in hunc mundũ.

facere quicquid velit, in hęc facinora & flagitia, quę commemoraui, & commemorare nō potui, vel cuncta, vel multa perueniat? Sed diuina gubernatione non omnimodo deserente damnatos in ipsis sensibus generis humani prohibitio & eruditio contra istas, cum quibus nascimur, tenebras vigilant: & contra hos impetus opponuntur, plenæ tamē etiam laborum & dolorum. Quid enim sibi volunt multimodę formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? Quid pædagogi? quid Magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit dilecti filij latera tundenda esse, ne crescat indomitus, domarique iam durus, aut vix possit, aut fortassis nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refręnetur, cum quibus malis in seculo viuimus? & paucis interiectis subdit:

Prohibito & eruditio vitijs & flagitijs modum ponunt.

Varia puerorum terriculamenta.

Eccli 30.

Sed præter puerorum pœnas, sine quibus dici non potest, quod maiores volunt, qui vix aliquid vtiliter volunt, quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quę non ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamque communem, quis vllo sermone digerat, quis vlla cogitatione compręhendat? Quantus, quæso, est metus, quanta calamitas, quantus luctus à damnis, & damnationibus? à deceptionibus, & mendacijs hominum? à suspicionibus falsis, ab omnibus violentis facinoribus, & sceleribus alienis? Quandoquidem ab eis, & deprędatio, & captiuitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & priuatio sensuum, & alia multa horrēda sæpè contingunt. Quid ab innumeris casibus, qui forinsecus corpori formidantur, æstibus, frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab offensione, & pauore, vel etiam malitia iumentorum, ac tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum ferarum? & infrà rursum:

Non pueri tātùm, sed & adulti quoq; vix aliquid vtiliter volūt.

Communis vitæ miseriæ innumeræ.

Quæ mala patiuntur nauigantes? quę terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicunque non inopinatis casibus subiacens? De foro quidam rediens domum sanis suis pedibus cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finiuit vitam. Quid videtur sedente securius? de sella in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos, & mortuus est. Agricolæ, imò verò omnes homines quot & quantos à cęlo, & terra, vel perniciosis animalibus casus metuunt agrorum fructibus? Contra milleformes dęmonum incursus, quis innocentia sua fidat? Quandoquidem ne quis fideret etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, vt in eis maximè, Deo sinente, ista monstretur huius vitę flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas? Jam verò de ipso corpore tot existunt morborum mala, vt nec libris Medicorum cuncta comprehensa sint? In quorũ pluribus, ac penè omnibus, etiam ipsa adiumenta, & medicamenta, tormenta sunt, vt homines à pœnarum exilio pœnali eruãtur auxilio. tandem concludens subiungit hęc:

Terra mariq; pericula immensa.

Etiam paruulos dæmones vexant.

Morborum adiumenta, sunt tormẽta.

Ipse postremò somnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet, sępe somniorum visis quàm sit inquietus? & quàm magnis licèt falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, vt à veris eas discernere nequeamus, animam miseram, sensúsque perturbet? Qua falsitate visorum etiam vigilantes in quibúsdam morbis, & venenis miserabiliter agitantur. Hęc de humanę vitę miserijs, ac calamitatibus Augustinus, quæ semipelagianorum quorundam commenta non minùs validè refutant, quàm nostra confirmant. Emerserunt enim nostra hac memoria philosophastri quidam solo nomine Christiani, qui apertè Pelagianizantes omnem hanc malorum segetem ac miseriarum turbam, quę ab ipso vitę exordio vsque ad vltimum vitæ hiatum nos vrgent, non ad aliquam noxam, aut animæ pestem, sed ad internam naturæ nostræ conditionem, tanquam ad veram & propriam causam referant. Aiunt enim hoc ipso

Etiã somnus suas secũfert molestias.

Pelagiani omnia, quę in hac vita perpetimur, ad naturę nostrę principia referunt.

quòd ex elementari materia concreuimus, carneq́ue & ſpiritu conſtamus, non poſſe nos ijs incommodis, caſibus, & affectionibus affines non eſſe, quæ eiuſmodi elementarem, & concretam naturam naturaliter conſequuntur, quæq́ue in bruta animantia, in quæ peccatum nullum cadit, æquè ac in hominem graſſantur. Quare ſi illi vera prędicant, corporis morbus, carnis cum ſpiritu pugna, eiuſdemq́ue fomes, ac concupiſcentia, mentis cęcitas, voluntatis curuitas, cęteráque, quę in catholicis Scholis naturę vulnera appellantur, aliud nihil ſunt quàm quædam tantùm naturę pathemata.

Eraſmiani, neq; verè philoſophi, neq; verò quoque Chriſtiani.

Verùm etſi hi, & Chriſtiani, & Philoſophi quoque haberi volunt, neutrum tamen ſunt verè. Nam ſi hoc, vel illud eſſent ſolidè, multò verò magis ſi vtrunque eſſent perfectè, non ex abiectiori hominis parte contra fidem ſyllogizarent, ſed ex fidei principijs huiuſmodi ratiocinationem inſtituerent.

Geneſ. 1. Sap. 8. 11. Eccli 39. Marc. 7.

Deus Opt. Max. in mundi primordio quàm optimè, & quàm ſapientiſſimè inſtituit omnia. Scriptum eſt enim, Quæcunque fecerat, viſa fuiſſe valdè bona. Alibi: In omnibus

Quæ bona nō ſunt, diuina cenſurâ non approbantur.

quę fecerat, oblectatum eſſe, hoc eſt, omnia quę condiderat, ſuo calculo approbâſſe. Atqui quod bonum non eſt, id ille tanquam à ſe alienum diligere, ſuaque cenſura approbare

Quod omni ordine, lege, & ratione caret, in bonis haberi non poteſt.

non poteſt. At quod omnis, & ordinis, & legis, & rationis expers eſt, id abſolutè bonum cenſeri nequaquam poteſt. Ordo autem omnis ibi meritò abeſſe putandus eſt, vbi ancilla, quam parere & ſubeſſe oportuit, arrepto per vim imperio, ſuperbè & arroganter in dominam ſe effert, ſeruus in domi-

In omnibus Adę filijs magna comperitur ἀταξία, magna ἀνωμαλία.

num, cęcus in itineris ducem. Atqui eiuſmodi iniquam peruerſitatem, peruerſamq́ue iniquitatem, in ijs omnibus dominari certum eſt, qui ex Adamo originem trahunt. Conſtat enim certo rerum vſu, & experientia quotidiana, carnem inſurgere aduerſus ſpiritum; ſpiritum rurſus, & carnem aduerſus Deum, qui fecit illum. Huius autem peruerſitatis, & ἀταξίας totius ordinis ac bonitatis fontem confingere, grande pia-

de piaculum eſt. Aliquid ergo turbatum & ἄτακτον, quod author naturę in natura noſtra non ſeuerat, naturę noſtrę aliunde acceſſerit, neceſſum eſt.

Debebant adhęc Philoſophi illi (ſi hanc tamen appellationem iuſtè promerentur) meminiſſe animæ facultates, quę rationis ſecundùm ſe expertes ſunt, tum demum florere, rectéque in homine conſtitutas eſſe, cùm promptè rationis iudicio, voluntatiſque imperio obſecundantur: cęteras verò, quas ſecundùm ſe vel eſſentialiter rationales appellant, cùm heroicis virtutibus ornatę ad diuinas functiones, diuinarumque rerum commentationem, quàm optimè ſunt diſpoſitæ. Hoc enim veterum Philoſophorum, priuſquam Pelagius & qui illum ſequuntur, naſcerentur, de optima partium hominis conſtitutione iudicium fuit, & illud quidem ſanum, licèt vt homines in eo errarent, quòd perfectam illam virium omnium pacem, & inter ſe concordiam, noſtris viribus conſequi nos poſſe exiſtimarent: tum in eo rurſum, quòd vltimam hominis felicitatem in ea partium εὐταξίᾳ, vel certè in quadam animi ἀπαθείᾳ ſitam crederent: tum in eo tandem, quòd plerique ex illis Scripturarum ignari ἀταξίαν illam, quam in nobis experimur, totam ex naturæ principijs ortum ducere perſuaſum haberent. Quare licèt in voluntate iuſtitiam, in mente prudentiam, & in alijs humanę naturę viribus & facultatibus alias virtutes morales collocarent, non ideo tamen id faciebāt, quòd vllis omnino virtutum pręſidijs tanquam medicamentis, quibus partes illę à morbo, quo tenebantur, ſanarentur, opus eſſe putarent, ſed quo ad operationes naturę ſuę conſentaneas obeundas perficerentur, habileſque, & expeditę redderentur. Iam ſi hoc veterū Sapientum de optima hominis conſtitutione iudicium fuit verum ac ſanum, vt reuera verum ac ſanum fuit, conſequens fit, inſanum, & à ratione prorſus alienum illorum eſſe commentum, qui perpetuam illam partium inter ſe luctam & concertationem, naturalem, rationique conſentaneam eſſe prædicant.

Optimus inferiorū viriū ſtatus, cùm ſuperioribus promptè obſequuntur: ſuperiorū vero, cùm ad diuina quàm optimè affectæ ſunt.

Triplex veterum Philoſophorū error de humanarum virium ἀταξίᾳ & εὐταξίᾳ.

Ariſt. 2. & 5. Ethic. Plat. in Phæd. & Charm.

Saniùs de natura noſtra iudicāt veteres Philoſophi, quàm recentes Pelagiani.

Theologi disertè profitentur, si hominem ex formæ spectemus, ex qua res potissimùm spectari solet, & spectari quoque debet, vt quę speciem constituat, mortem & quæcunque vi am ad ipsam muniunt, ipsi innaturalem esse: Atque adeò nequaquam decuisse, vt præpotens Deus, qui omnia disponit suauiter, & moderatur sapienter, animam suapte natura immortalem infunderet in corpus morti obnoxium, hoc est, in corpus eiusmodi, quod ipsa anima, aut vi propria, aut energia aliunde accepta, perpetuò integrum & incorruptum conseruare non posset. Siquidem corpus ex elementis concretum eam ex se firmitatem non habet, vt semper esse, & viuere possit, sed si quid eiusmodi habet, hoc totum aliunde mutuetur oportet.

Thom. Alexan. Argent. Ambros.

Si hominem secundùm formam spectes, mors naturæ illius est dissentanea.

Anima aliunde id mutuatur, quo corpus integrum conseruatur.

Corpus elementare ex se non habet, vt dissolui nequeat.

Mirum est sanè morosophos illos Augustino, quem vnum aliâs inter Theologos philosophi appellatione dignum prędicant tot libris ac tractatibus contra tetrum hunc errorem acerrimè disputanti tam impudenter sese obiectare. Quòd si de illius sententia, vel nostra fide ambigunt, legant commentarios, quos Hypognosticon inscripsit. Euoluant, quæ de pec. mer. & remiss. de gratia item & lib. arbit. de natura rursum & gratia inuulgauit. Percurrant quæ contra Iulianum, qui hanc carnis infirmitatem, & virium ἀταξίαν vt bonam, naturæque nostræ consentaneam propugnabat, & alias pręterea multas ineptias, nugasque sanæ fidei aduersas in vulgus proseminabat, pluribus voluminibus elucubrauit. Vbi etiam inter alia, quibus insanum hoc dogma insectatur, hac illum oratione vtentem comperient:

Augustinus pluribus voluminibus ostendit, quę in hac vita gemimus, ex peccato orta esse.

Si saperes Iuliane, profectò iniquitatem esse videres, cùm pars hominis inferior repugnat superiori, & meliori. Nec enim nulla iniquitas est, cùm in vno homine, vel superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Hæc Augustinus non minùs profectò philosophicè, quàm Christianè. Nam si inferioris partis motus vel impetus cōtra rationis iudicium, est

Iniquum est, inferiorem hominis partem obluctari superiori, superiorem autem seruire inferiori.

Inferioris partis impetus cōtra ra-

tionis imperium non est illi à naturæ authore insitus, sed aliunde ascitus.

est illi absolutè naturalis: necessariò rationis iudicio, aut voluntatis imperio obsequi, erit contra naturalē eiusdem inferioris partis motum. At quis hoc sobrius dicere, aut publicè defendere audeat? Quare impetus ille sensualitatis contra rationem & voluntatem, non est ipsi à naturæ opifice initio insitus, sed diaboli fraude, & impostura incensus, & excitatus. Siquidem nulla omnino naturalis vis, duas pluresque propensiones, vel motus inter se omnino pugnantes, à natura, vel naturæ authore ingeneratas habet. Sequitur enim hic motus, vel hęc propensio formam, quæ non est vna, & vna in vna re, sed vna simpliciter.

Forma rei naturalis, & propensio, quæ eam naturaliter cōsequitur, non est vna & vna, sed vna simpliciter.

Deniq; miserandam naturæ nostræ conditionem, palpabilemq; eiusdem languorem, & ἀταξίαν variæ illæ & crebræ Sapientum huius seculi de natura nostra conquestiones, & querimoniæ plùs satis apertè declarant. Sunt enim, qui vnum ex omnibus animantibus hominem non à matre, sed à nouerca natura in lamentabilem hanc vitam editum dicunt. Atqui si nihil in illo existeret vitij, nihil lāguoris aut morbi, oppositum, & dictum, & factum quoque oportuit. Constat enim pleraque omnia, quę sub aspectum nostrū cadunt, vnius hominis causa condita esse. Multi ob ingens malorum pelagus, quibus humana vita assiduò exercetur, & tantùm non quasi vehementibus quibusdam procellis obruitur, vel non nasci, vel natum citò mori, optimum ducunt. Nonnulli tandem aliquid sceleris, propter quod in hac præsenti, & momentanea flagelletur, in altera vita designâsse opinantur, quorum opinatione licèt falsa, & à fide aliena, diuus Augustinus Iuliani κακοδοξίαν alicubi impugnat. ait enim:

Natura homini nouercam, cæteris plerisq; omnibus matrem se exhibet.

Aug. lib. 4. c. 12. cōt. Iulia. Cice. lib. 3. de Repub.

Optimum, vel nō nasci, vel natum citò mori.

Lib. 4. c. 15. cont. Iulian.

Quanto te meliùs veritatique viciniùs de hominum generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hortensij, velut ipsa rerum euidentia ductus, compulsusq; commemorat? Nam cùm multa, quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atq; infelicitate dixisset, ex qbus humanę, inquit, vitæ erroribus & ęrumnis fit, vt interdum veteres illi, siue vates, siue in

Meliores Philosophi senserunt, quæ in hac vita videmus

in sacris initijsque tradendis diuinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, cùm in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis accommodata, quàm aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viua cum mortuis.

& gemimus, ex peccato nasa esse, sed in altera vita designato.

Sed hæc illi, inquit idem Augustinus, concionabantur, & de natura nostra queritabantur, quos latebat, cur esset graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium: quia sacris literis non eruditi, ignorabant originale peccatum, & gratiam, quæ per Mediatorem liberandis hominibus concessa est. Sed nunquid ob hoc illi Dei iudicium euadent? nequaquam. vapulabunt enim, & quidem grauiter vapulabunt, non quia ignorant, sed quia quæ scire poterant, & scire quoque debebant, scire non laborant. At multò tamen minùs, quàm illi, qui post acceptam Spiritus sancti illuminationem in Philosophorum, ac veterum hæreticorum errores vltro se denuo præcipites dederunt. Quales inter alios complures sunt, qui hac hominum ętate ex pecudum natura, de humanę naturæ conditione pronunciant. Non audio, inquiebat Erasmus, eum, qui dicit fœdam illam pruriginem, & Veneris stimulos non à natura, sed à peccato profectos. Quid tam dissimile veri? in ceteris animantibus vnde hi stimuli? à naturáne an à peccaao? Idem de morte, mortisque prodromis, ac cæteris naturæ nostrę vulneribus nugantur quidam alij.

Lib. 4. c. 12. cont. Iulian.

Eccli 40.

Philosophi originis noxæ, & Christi gratiã ignorabant.

Nescire, quæ te scire oportet, non est peccatum, sed nolle ea discere.

In encom. matrim.

Possent hi ab insigni hac temeritate, vt aliud nihil grauius dicam, in partem excusari, si catholica hęc veritas humanis tantùm rationibus, & argumentis, qualia nonnulla nunc in mediũ proposuimũs, niteretur: Verùm contra apertas

Tolerabile est, solis humanis rationibus obniti.

at Scripturarum & Patrū traditioni se opponere, intolerabile est prorsus.

Hæretici oēs, & hæreticissantes Scripturarum scientiam sibi arrogant.

tas Scripturas, contra vnanimem sanctorum Patrum doctrinam, contra expressam Ecclesiæ definitionem hæc effutire, id demum intolerabilis est arrogantię. Miror profectò non parum homines, qui tantam Scripturarum scientiam iactitant, tamque oculati, & emunctæ naris Theologi haberi volunt, dum Moysen & Prophetas, dum Apostolos & reliquos Spiritus sancti interpretes, & quasi amanuenses legunt, hunc animi morbum, hanc carnis infirmitatem, hoc fœdæ erubescendæque libidinis malum non subodorari.

Lib. 4. hypog.

Genes. 3.

Genes. 2.

Nihil creauit Deus in homine rubore dignum.

Etenim si naturale bonum est ista libido, & nihil est in ea, quod pudeat, quæro cum diuo Augustino, qua ex causa protoplasti post transgressionem naturalia membra texerunt? & non sicut ante peccatum fuerant, permanserunt, quando vtique nudi erant, & non confundebantur? Nihil enim Deus, vnde confunderetur homo, cùm eum plasmaret ad suam imaginem, in eius forma creauit. Quòd si secundùm fidem nostram de accidentis libidinis malo post peccatum confusi non sunt, secundùm dogma vestrum Deus fecit in illis, vnde confunderentur. Nec enim aliud dicitis, cùm turpissimę libidinis Deum authorem esse prędicatis.

Malum libidinis non ex Deo, sed ex diabolo fluxisse, Scripturæ disertè prodant.

Sed respondes forsan? Absit vt Deus fecerit quempiam in protoplastis pudorem. Iterum ergo iterumque percunctor: Si nihil vnde pudeat Deus fecit, & plena fide dicitur, quia penitus non fecit, & malum libidinis ex diabolo non est, quod recta fide non dicitur, quia ex ipso est: cur texerunt genitalia membra post culpam, quæ à die institutionis suæ inuicem videbant, & non tegebant? Si dixeris, propter peccatum: ergo confitere, & accusa malam libidinem, cuius impudentiam pudentes folijs fici texerunt. Quòd si id dicere nequis, apertè Deum pudoris huius authorem esse criminaris: quia cùm ex malo libidinis à vobis negatur confusio contigisse, Deus hominum opifex apertissimè accusatur.

En ex hoc Scripturæ loco beatus Augustinus manifestè ostendit, infamem illam carnis libidinem, non esse bonum natu-

naturæ nostræ ab ipso opifice insitum, sed certum naturæ vitium, per peccatum in terrarum orbem inuectum. Quare & gentium doctor, & cęteri quoque Apostoli perinde de ea loquuntur, ac scribunt, ac de re mala, fugaque & odio digna. Paulus enim modò peccatum, modò peccati legem, modò absolutè malum appellat.

Rom. 7. 8. Apostoli carnis libidinem malam esse pronunciant.

Facit idem & beatus Iacobus quoque: Nemo, ait, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur, à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. & infrà: Vnde bella, & lites in vobis? nónne ex concupiscentijs vestris, quę militant in membris vestris? Atqui nefas est credere, Deum Opt. Max. quippiam eiusmodi homini inseuisse, vnde is ad lites, vel bella, vel alia cuiuscunque generis flagitia tanta vi impellatur.

Iacob. 1.

Deus nihil homini inseuit, quod impetu quodam illud abripiat ad quodcunque peccatum.

Vtrique Apostolo per omnia astipulatur discipulus ille, quem diligebat Iesus. Filioli, inquit, nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitę, quæ non est ex patre, sed ex mundo est: & mundus transit, & cōcupiscentia eius. Quòd si concupiscentia ex Deo esset, neque Apostolus eam ex patre esse negaret, neque nos tantopere ab ea absterreret.

1. Ioan. 2.

Immoderati cōcupiscētiæ impetus, vt & supbia quoq; nō sunt ex patre, sed ex mūdo, & mundi huius principe.

Porrò autem quòd mors, cæteraque, quæ illam vel antecedunt, vel eidem quoque adiuncta sunt, non ex Deo, sed ex peccato, peccati've inuentore, & incentore diabolo orta sint, id ex sacra & diuina Scriptura ipsa meridiana luce clarius est. Quid enim ait illa? Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum. & infrà: Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suam

Mors, mortisque prodromi ex peccato, & diabolo sunt, nō ex Deo.

Sap. 1.

Sap. 2.

am fecit illum. Inuidia autem diaboli intrauit mors in orbem terrarum.

Rom. 8.

" Apud Apostolum hac ipsa de re ita scriptum extat: Si " Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est, pro" pter peccatum: spiritus autem vita est, propter iustitiam."

Lib 1.c.14. de pec. mor.

Hîc Augustinus, puto quòd non expositorem, sed tantùm lectorem opus habet, tam clara & aperta sententia. Corpus, inquit, mortuum est non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ puluere factum est, sed propter peccatum, quid amplius quęrimus? Tandem cùm Apostolus ait, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: quid aliud significare vult, quàm Adamum mortis extitisse authorem, Christum verò resurrectionis ex mortuis? Nullo itaque modo mors est ex Deo, sed ex peccato, & Sathanę dolo.

Corpus mortuum est propter peccatũ non propter terrenã fragilitatem.

1.Cor.15.

His de bonorum iactura, quam in Adamo fecimus, & malorum lerna, in quam diaboli inuidia, & impostura decidimus, breuiter constitutis, consequens est vt de proxima horum malorum, & miseriarum causa nonnulla quoque in medium adferamus.

Non solùm prævaricationis Adæ pœnam, in omnes & singulos, qui ortum ex eo ducunt, permeâsse, & porrò permeare, sed noxam quoque & maculam.

TRACTATVS QVINTVS.



Etsi verò ex iis, quę à primo ortus nostri die, vsque ad supremum vitæ spiritum perpetimur, haud difficulter colligi queat, aliquid in nobis quandoq; hęsisse, vel etiamnum hęrere, quod Deo displiceat: (nam cùm is æquissimus meritorum æstimator sit, nullo modo verisimile sit pœnis sæuire in insontes.) Attamen cùm hac tempestate non desint, qui apertè

Deus non irrogat pœnas insontibus.

apertè id negant, vt noui Pelagiani omnes: Alij rurſum, qui obliquè, vt illi, qui citra ſacramentale præſidium fidelium infantibus certam ſalutem pollicentur: Alij de[...]um, qui prę-poſterè admodum de hoc peccati genere loquuntur, & ſcribunt; cuiuſmodi inter alios multos ſunt, qui nullum veri nominis peccatum ex Adamo in nos deriuari contendunt, ſed morbum tantùm, moriendique neceſſitatem: Non erit ab inſtitutæ diſputationis ſcopo alienum, ſi paucis ex Scriptura, communique Eccleſiæ conſenſione, & Patrum doctrina commonſtrauerimus, non ſolùm carnis ægritudinem, & mortem, aliaque eiuſmodi incommoda, ſed mortis quoque, carnaliſque infirmitatis meritum, & cauſam, hoc eſt, culpam ex Adami præuaricatione in vniuerſum genus noſtrum dimanare, & ad vltimum vſque caput dimanaturum eſſe.

Pelagiani. Caluiniani. Zuingliani.

Et mors, & mortis meritum quoque ex Adami præuaricatione in nos deriuatur.

Quòd ergo in omnibus & ſingulis, qui communi procreationis lege originem ex Adamo trahunt, aliquod verę rationis vitium tantiſper hæreat, dum per Chriſti ſanguinem ab illo expientur, id ex Apoſtoli doctrina adeò perſpicuum, & planum eſt, vt ex ea vel ſola controuerſia hæc dirimi queat. Scribit is autem in hunc modum: Non ſolùm autem, ſed & „ gloriamur in Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, „ per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea, ſic- „ ut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, „ & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors per- „ tranſijt: in quo omnes peccauerunt. Hîc Apoſtolus mortem, vt proprium peccati ſtipendium ab ipſo peccato planiſſimè ſecernit. aſſerit enim, per hominem peccatum, & per peccatum mortem pertranſijſſe in omnes.

Ex ſola Apoſtoli doctrina originis peccatum conſtitui poteſt.

Rom. 5.

Apoſtolus ſecernit mortem à peccato tanquam effectum à cauſa.

Verùm quòd nihil ferè tam perſpicuè exponi, nihil tam apertè proponi queat, quod improborum calumniæ non pateat, quodque ab illorum ducibus in ſenſum præpoſterum, & ab authoris mente prorſus alienum detorqueri non ſoleat: non defuerunt aliquando, ſed nec hodie quoque deſunt, qui

Nihil tam planum & clarum, quod ſiniſtra interpretatione hæretici non deprauent, & obſcurent.

 pla-

planiſſimum hunc Apoſtoli locum, à vero & legitimo Apoſtoli ſenſu, in ſenſum ab Apoſtolica mente alieniſſimum obtorto collo trahunt. Aiunt enim omnes in vno hactenus peccâſſe, quatenus vnum omnes peccantem ſtrenuè imitantur. Verùm ſi ob id ſolum verè, & propriè in vno omnes peccâſſe dicuntur, quòd vnius exemplum impigrè ſectentur omnes: nihil obſtabit, quô minùs ſuperbos omnes in diabolo peccâſſe defendamus. Ab ipſo enim omnis ſuperbia, imò verò omne peccatum initium ſumpſit. Omnes rurſum parricidas in Cain, omnes parentum illuſores in Cham, omnes tandem tyrannos, inſontumque oppreſſores in Nemrod, atque ita de reliquis: & tamen nullus vnquam Prophetarum, nullus Apoſtolorum, nullus Patrum, aut vulgarium quoq; Theologorum ſic locutus comperitur.

Prouerb. 1. Eccli 10. Geneſ. 4. Geneſ. 9. Geneſ. 10.

Aliud, peccatum ipſo orta contrahere: aliud, hunc vel illũ peccantem imitari.

Quin & cætera quoque, quæ in illo ipſo capite proximè conſequuntur, eiuſmodi interpretationem nequaquam admittunt. Scribitur hîc enim, peccatum regnâſſe ab Adam vſq; ad Moyſen, etiam in eos, qui in ſimilitudinem præuaricationis Adæ non peccârant, hoc eſt, in eos, vt interpretatur Auguſtinus, qui nondum ſua & propria voluntate ſicut ille peccauerant, ſed ab illo peccatum traxerant, qui eſt forma futuri. In illo nanque, vt ait idem, poſteris ex illius propagine olim naſcituris condemnationis forma conſtituta erat.

Lib. 1. de pec. rem.

In Adamo poſteris condemnationis forma conſtituta eſt.

Et quô præpoſteris illis Scripturarũ interpretibus os magis adhuc obſtruat, paucis interiectis, admonet rurſum non omnia ex vno in omnes pertranſijſſe, ſed vnum duntaxat. ait enim: Non ſicut per vnum peccatum, ita & donũ. Nam iudiciũ quidem ex vno in cõdemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitię accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.

Rom. 5.

Non omnia ex vno in oẽs, ſed vnum tãtùm ex vno in omnes pertranſijt.

Atqui

Atqui si sola imitatione in Adamo peccant, quicunque in illo peccant: (peccant autem in eo, quicunque ortum ab illo ducunt) non vnum tantùm ex illo trahent, sed multa, vel etiam omnia. Nam quicunque peccant, per inobedientiam mandatum violant.

Quicunque peccant, per inobedientiã legẽ violant.

Mitto hîc in vno illo scelere, quo generis, & delicti parens seipsum, & nos omnes in seipso perdidit, multas extitisse noxas. Siquidem, vt post Augustinum Leo Magnus exponit, erat illic superbia, qua in sua potiùs homo esse, quàm in Dei potestate, dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanę serpentina suasione corrupta fuit: & furtũ, quia prohibitus vsurpatus est cibus: & auaritia, quia plus, quàm sufficere ei debuit, appetiuit, & si quid aliud in hoc vno admisso, diligenti consideratione poterit inueniri. Hæc Leo.

Epist. 86. In vno Adami peccato multę extitêre peccatorũ formæ.

Quanuis ergo, inquit Augustinus, Adamũ imitentur, quotquot per inobedientiam mandatũ Dei transgrediuntur: aliud tamen est, quod exemplum est voluntate peccantibus; aliud, quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & Christum quoque imitantur Sancti: sed pręter hanc externam imitationem, illuminationem quoque, iustificationemque nostram interiùs operatur. Sicut ergò ille, in quo omnes viuificabuntur, pręterquam quòd se ad iustitiam exemplum prębeat imitantibus, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit, & paruulis quoque: Sic & ille, in quo omnes moriuntur, pręterquam quòd ijs, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplũ est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ tabificat in se omnes à sua stirpe venientes. Atque hinc omnino non aliundè dixit Apostolus: Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors. Non ergo ob id solum peccato contaminamur, quòd Adami inobediẽtiam æmulamur, sed ob id maximè, quòd naturaliter ex eo nascimur.

Lib. 1. cap. 9. de pec. merit.

Vt pij oẽs nõ solùm Christi obedientiam ęmulãtur, sed internã quoque gratiã ex illo hauriũt: ita mali & scelerati oẽs non modò Adami inobedientiam imitãtur, sed occultã quoque labem ex illo cõtrahũt.

1. Cor. 15.

Rom. 5.

Ad Ephes. 2.

Aequè illustre est & alterum illud eiusdem Apostoli quoque: Aliquando, inquit, conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum: & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Profectò hominē suapte natura iræ filium nasci, non est maiorum vitia æmulari, aut extrinseca tantùm denominatione peccatorem dici: aut carnis ægritudine, vel moriendi necessitate teneri: sed & ipso ortu vitio quopiam contaminari. Nec enim aliud est, iræ obnoxium nasci, quàm in iniquitate & peccato concipi, iuxta illud Prophetæ: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Constat nanque iniquitatem, & peccatum, cuius sacer vates hîc meminit, ad parentes referri non posse: Tantum enim abest vt legitimi coniuges legitimè, hoc est, secundùm legis præscriptum, liberis operam dantes peccent, aut aliquid pœna dignum admittant, vt eiusmodi quoque præmio digni censeri soleant. Referenda est ergo hęc iniquitas ad prolem, quæ hoc ipso peccato contaminatur, quòd naturaliter cōcipitur. Eodem pertinet & alterum illud eiusdem prophetæ quoque: Omnes, ait, declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Nam si infantes ad rationis vsuram nondum euecti, neque in seipsis, neque in altero quoq; quicquam vnquam peccauerunt, quomodo aut declinâsse, aut inutiles euasisse verè dici possunt?

Iræ filiū nasci, amplius qd-dā est, quam qualemcunque peccantē æmulari.

Psal. 50.

Non peccāt, qui legitimè liberis dant operam.

Psal. 13.

Si omnes declinauerūt, & inutiles facti sunt, ergo & infantes quoque.

Sed quia Antagonistæ hanc Prophetæ querimoniam ad solos fortè adultos torquebunt, agedum quid beatus Iob de communi hac mortaliū omnium labe alibi tradat, audiamus. Nemo, canit ille, mūdus est à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Ita hunc locum exponunt Septuaginta. rursum: Quis potest facere mūdum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es? Præclarum hoc sanè de communi originis macula testimonium. Vocat autem genitale semen immundum, nō quòd suapte natura eiusmodi existat, sed quia illa virtute, & energia, qua ante primum peccatum pollebat, caret.

Iob 14. Nemo immunis à sorde nascitur.

caret. Siquidem Adam initio ita institutus erat, vt originis iustitiam vnà cum natura transfundere posset. Quare vt anima, ita originalis quoque iustitia aliqua ratione in semine inclusa hærebat. Per peccatum autem & ipse originis iustitia, & semen quoque, quod ex illo descendit, supernaturali illa vi exutum est. Atque ea de causa immundum, hoc est, mancum, vel mutilum, vel imperfectum hoc loco appellatur.

Genitale semen immundum prædicatum, quia vi illa, qua initio pollebat, destituitur.

Quia ergo nemo omnium à peccati huius labe immunis nascitur, fit vt nemo priùs quoque ad regnum illud, quod omne omnino pollutum respuit, admittatur, q̃ salutari aqua à cõtractis illis sordibus repurgetur. Nisi quis, inquiebat Christus, renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. At quorsum, quæso, infanti opus est palingenesia? quorsum ablutione, si nulla in eo inhærent sordes? si nullo tenetur peccato? Certum est enim, vt in operibus diuinis, ita in Ecclesiæ quoque ritibus, & cæremonijs, nihil existere vanum, nihil ociosum, nihil superuacaneum.

Apoc. 22.

Ioan. 3.

Nulla infandi vt saluus fieret, opus esset ablutione, si nullæ illi cohærerent sordes.

Nouimus Pelagianos hîc cauillari solere, infantes vtiliter ablui, non vt à peccato expientur, sed ne à regno Dei excludantur. Verùm hæc cauillatio rudis est omnino: nullus enim ab hoc regno excluditur, nisi culpa aliqua constringatur. Si ergo in recèns natis infantibus nullum hæret peccatum, nihil erit cur à regno Dei exclusi, ad terrestrem paradisum, veluti ad mite quoddam exilium ablegentur. Patet itaque in ipsis quoque infantibus aliquid extare, propter quod, & à rectitudine declinâsse, & inutiles facti esse, & ablutione egere, rectè dicuntur. Hoc aliquid autem nihil est aliud, quàm originis peccatum: Siue nomen hoc inde sortiatur, quòd proprio consensu non confletur, sed ipsa origine vel ortu ipso contrahatur: siue, quòd originali iustitiæ, vt aliud nullum aduersetur: siue tandem, quòd ab eo, à quo vniuersa hominum natura ortum ducit, deriuetur.

Nihil à cœli aditu prohibet, nisi peccatum.

Psal. 13.

Cur naturæ vitium orig. peccatũ appelletur ratio multiplex,

Mitto hîc alia leuiora, vt est illud: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Christi daretur credenti-

Ad Gal. 3.

Eccli 25. „ dentibus. & illud rursum: A muliere factum est initium pec-
„ cati, & per illam omnes moriuntur. & illud tandem: Solum-
Eccles 7. modo hoc inueni, quòd Deus hominem fecit rectum, & ipse se
„ miscuit infinitis quæstionibus. Huc etiam omnia illa faciunt, quæ Christum Dominum, vt communem omnium Redemptorem in carnem venisse testantur. Nec enim omnes ille redimere potuit, nisi omnes captiui, hoc est, peccati pedicis irretiti tenerentur. At infantes propriæ, vel personalis noxæ vinculo constringi nequeunt, vt qui rationis vsura destituantur: tenentur hi ergo originis vitio obstricti. Porrò Scripturę loca, quę Christum Dominum communem omnium liberatorem prędicant, sunt penè innumera. Secundùm Scripturas proinde non solùm pœna pręuaricationis Adę transijt in illius posteros, verùm etiam noxia, & macula.

Quicquid probat Christum communem omniũ liberatoré, idem quoque probat nullum ex omibus peccati expertẽ nasci.

Verùm quòd Scripturæ oracula, tametsi clara, & ad constituendam quamlibet controuersiam idonea, praua interpretatione infirmari, vel in alienum quoque sensum detorqueri queant, visum est, quid Ecclesia, fidissima diuinarũ literarum interpres, ea de re cauerit, ac perpetuò docuerit, paucis hoc loco repetere.

Sess. 5. c. 3. Synodus itaque Tridentina inter cæteros de hoc peccati genere eiusmodi anathematismum edidit: Si quis Adæ pręuaricationem sibi soli, & non eius propagini, nocuisse; & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientię peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit: cùm contradicat
Rom. 5. „ Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in
„ mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt. In eandem prorsus sententiam, pręter Africanam, & Arausicanam, & alias præterea non paucas, conspirat & Mileuitana, & Toletana sexta, & Elibertina, & Moguntiaca quoque Synodus.

Peccatũ mors animæ.

Synodus

Synodus Mileuitana: Placuit vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizãdos negat, aut dicit in remiſſionem peccatorũ eos quidem baptizari, ſed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendũ eſt, quod ait Apoſtolus, Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Eadem ad verbum repetit Synodus Africana.

Can. 2. de cõſ. d. 4. c. Placuit. Paruuli recẽs nati in peccatorum remiſſionem baptizandi.

Rom. 5.

Synodus Toletana ſexta: Ex his tribus diuinitatis perſonis, ſolum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quę per inobedientiam Adę originaliter, & noſtro libero arbitrio contraximus, reſoluenda à ſecreto Patris, arcanoque prodijſſe, & humanitatem ſine peccato de ſancta ſemper Virgine aſſumpſiſſe.

Can. 77. Solus filius carnem aſſumpſit.

Synodus Elibertina: Qui aliquando fuerit catechumenus, ſi nunquam ad Eccleſiam acceſſiſſet, ſi eum de clero quiſquam cognouerit voluiſſe eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles: placuit Baptiſmum ei non negare, eô quòd in veteri homine deliquiſſe videatur. Neminem τὸ videatur offendat: Nam etſi verbum hoc hæſitantis formam prę ſe ferat, non ſemper tamen hæſitat, ſed ſæpenumero abſolutè affirmat.

Can. 45.

Synodus Moguntiaca: Hoc primorum hominum peccatum propagatione in omnes homines tranſijt, & ſecũ pœnam ſuam trahit, vt ſint natura omnes homines irę Dei, damnationis, & mortis rei, & ad peccatum proni.

Can. 5.

Synodus Carthaginenſis quinta: Placuit de infantibus, quoties non inueniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur: neque ipſi ſunt idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque vllo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio faciat eos Sacramentorum purgatione priuari. Quòd ſi paruuli indigent ſacramentali expiatione, ergo ſunt contaminati: Quo autem, niſi pecca-

Can. 6. de cõſec. d. 4. c. Placuit. Sacro fonte tingẽdi, quos certò tinctos eſſe nõ cõſtat

to? At nullum ipsi operc designârunt, aliquod ergo ipso exortu contraxerunt.

Can. 2. Synodus Arausicana: Si quis soli Adę pręuaricationem suam, non & eius propagini asserit nocuisse: Aut certè mortem tantùm corporis, quę pœna est peccati, non autem & peccatum, quod est mors animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transijsse testatur: iniustitiam Deo

Rom. 5. „ dabit, contradicens Apostolo dicenti, Per vnum hominem „ peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Hæc de originis peccato Synodi, non quidem œcumenicæ omnes, omnes tamen, vna duntaxat excepta, vel ab œcumenicis, vel ab Ecclesia Romana approbatæ, & confirmatæ.

Eandem fidei regulam vnanimi sensu atque consensu tenuêre magna illa Ecclesiæ lumina, Irenæus, Hilarius, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius: imò omnes quotquot iam inde ab Apostolorũ ætate vsque ad deploratum hoc nostrum seculum in Ecclesia Catholica catholicè vixerunt, aut scripserunt.

Iren. cit. Aug. cont. Iuli. Irenæus: Non aliter saluantur homines ab antiqua plaga serpentis, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati, in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & viuificauit mortuos.

Lib. 1. cont. Marcion. Tertullianus: Homo damnatur ob vnius arbusculæ delibationem: & exinde prosiliunt delicta cum pœnis, & pereunt iam omnes, qui paradisi nullum cespitem nôrunt.

Ep. ad Fidũ. cit. hunc locũ Hier. lib. 3. cont. Pelag. Aug. lib. 1. c. 2. cont. Iul. Infantes eò iustiùs ad Baptismi Sacramentum admittũtur, quò illis hic remittuntur nõ tam propria q̃ aliena.

Cyprianus: Porrò autem si grauissimis peccatoribus, & in Deum multùm etiam peccantibus, cùm postea crediderint, remissio datur peccatorum, & à Baptismo, & gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccauit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagia mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? Qui ad accipiendam peccatorum remissionem hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. hoc est, quæ non proprio consen-

su,

ſu, ſed conſenſu alieno habet.

Hilarius ad illum pſalmi verſiculum: Viuet anima mea, & laudabit te. Viuere ſe in hac vita non reputat, quippe qui dixerat, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Scit enim ſub peccati origine, & ſub peccati lege ſe natum. *Ad pſal. 118.*

Ambroſius: Antequam naſcamur, maculamur contagio: & ante vſuram lucis, originis ipſius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur. & alio rurſum loco idem: Cùm omnes homines velit Deus ſaluos fieri, quid eſt quòd aliena à ſalute perpetuâ tanta infantium multitudo, totque in his ętatibus hominum millia extra vitam relinquantur æternam? quaſi ad hoc tantùm conditi ſint ab eo, qui neminem odiens creauit, vt quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt in inſolubilis culpæ vincula ſine reatu propriæ actionis inciderent? Quid hoc profundius? quid mirabilius eſſe poteſt? Neque credi fas eſt eos, qui regenerationis Sacramentum adepti non ſunt, ad vllum beatorum pertinere conſortium. *In apolog. Dauid. De voc. gen. lib. 2. c. 8. 1. Tim. 2. Infantes non regenerati ad beatorum conſortium nō pertinēt.*

Hieronymus. Critobolus: Dic, quæſo, & me omni libera quæſtione, quare infantuli baptizentur? Atticus: Vt eis peccata in Baptiſmate dimittantur. Critob. Quid enim commeruêre peccati? quiſquam'ne ſoluitur non ligatus? Attic. Me interrogas? reſpondeat tibi euangelica tuba, doctor gentium, vas aureum in toto orbe reſplendens: Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri, *Lib. 3. cont. Pelag. Rom. 5.*

Auguſtinus: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites omnē hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & ob hoc naturaliter naſci iræ filium, de qua dicit Apoſtolus: Eramus natura filij iræ. à qua ira nullus liberatur, niſi per fidem Mediatoris hominis Ieſu Chriſti. *De fide ad Petr. de conſec. d. 4. c. Firmiſſimè. Epheſ. 2.*

Ad c. 15. primi Reg.

Gregorius exponens illud Samuelis: Sicut fecit mulieres absque liberis gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Quæ est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa? Quia enim ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat, rex Amalechita non erat. Erat quippe sensus, sed turpis ac libidinosus non erat: Sed statim vt ad culpam cecidit, membrorũ pruritum sensit: quia obedientem carnis motum habere non potuit, quando ipse Deo inobediens fuit.

Cont. Cass. c. 120.

Prosper: Quid peccato læsum est, si id læsum non est, vnde peccatũ est? Nisi fortè dicatur in Adæ posteros pœnam transijsse, non culpam, quod omni modo falsò dicitur, & ab hoc fortè non dicitur: nimis enim impium est hoc de Dei sentire iustitia, quòd à præuaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, vbi non latet pœna, & societas peccati conuincitur de communione supplicij.

Omnis veræ rationis pœna culpam quoq; ponit.

De incar. c. 14

Fulgentius: Si qui ergo mortem solam, & non etiam peccatum ex homine primo transijsse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt, quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primò, quia Deum dicunt iniustum, in eo quòd mori facit paruulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quósque manifestè cõstat in infantili ætate aliquid actualis peccati propria non posse voluntate contrahere.

Ser. de natiui.

Gregorius Nazianzenus: Venerare natiuitatem, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberatus es. Honora Bethleem pusillam & minimam, per quam regressus ad paradisum tibi patefactus est. & oratione de Baptismo: Persuadeat tibi de hoc quoque sermo Christi dicentis, neminem posse introire in regnum cœlorum, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Per hunc primæ natiuitatis maculæ purgantur, per quam in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ.

Ioan. 3.

Psal. 50.

Retici-

Reticius: Hanc esse principalem in Ecclesia indulgentiam, neminem prętcrit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantię nostræ facinora prisca delemus: vbi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus, Sermo de Baptis.

Innocentius eius nominis primus: In profunda præuaricationis demersus Adam, nihil quemadmodum inde surgere posset inuenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ latuisset oppressu, nisi eum postea Christi pro sua gratia liberâsset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui Baptismatis lauacro purificauit. Epist. ad Syn. Carthag.

Innocentius tertius: Etsi originalis culpa remittebatur per Circuncisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur: non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati, culpa remittitur, periculum vitatur, & ad regnum cœlorum peruenitur. De Bapt. c. Maiores.

Leo primus: Gratia vnicuique principium iustitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ideo ab illis per naturalem industriam dicitur perueniri, vt quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata. Ideo etiam paruulos dicunt, si sine Baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adę teneri, Cùm Apostolus dicat: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. Ep. 86. ad Nicę. Episcop. Aquil.

Bernardus: Cùm adhuc inimici tui essemus Domine, & mors in omnem carnem exerceret dominium, cui omne semen Adam erat obnoxium lege primordialis culpę, recordatus es verbi misericordię tuæ, & prospexisti ex sublimi habitationis tuę in hanc vallem plorationis & miseriæ. Ser. de pass. Domini.

Anselmus: Per vnum hominem, qui primus peccauit, intrauit originale peccatum in hunc miserum mundum, id est, in vniuersum genus humanum. Quoniam peccando omnem Ad cap. 5. ad Roma.

ſuam ſtirpem in ſe ipſo, tanquam in radice vitiauit, vt quicquid prolis ex ſemel damnata, per quam peccauerat, coniuge per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedienti pœna ſimilis tributa eſt, naſceretur, traheret peccatum originale.

Hęc de originis labe Patres illi, ex quibus, vt & ex cęteris quoque, quę toto hoc ſegmento expoſuimus, perſpicuum euadit, omnes homines non ſolùm corporis mortem, moriendi've neceſſitatem ex Adamo trahere, ſed ipſam quoque animę mortem, hoc eſt, noxam. Imò verò ſi nullam prorſus noxam ex eo traheremus, nulli quoque morti, alteri've pœnę obnoxij naſceremur. Siquidem veræ rationis pœna tantùm ad culpam ordinem dicit. Nam etſi inſons quiſpiam plecti poſſit, ea tamen punitio, vt cruciatus vel ſupplicium dici queat, pœna tamen propriè dici non valet. Quas autem pœnas Deus à nobis exigit, eas tanquam iuſtas, ac promeritas exigit. Vnde etiam non tantùm adultos varijs ſubinde morbis & cladibus exercet, verùm eos etiam, qui nihil adhuc ſceleris per ſe admiſerunt, neque per ætatem admittere potuerunt.

Si nullam ex Adamo culpam, nullam quòque ex illo pœnam traheremus.

Nos certè, inquiebat Auguſtinus, cauſam, cur ſub diabolo ſit, qui naſcitur, donec renaſcatur in Chriſto, peccati ex origine dicimus eſſe contagium. Vos autem, qui hæc negatis, ea ſaltem, quæ aperta ſunt, intuemini: cur nonnulli etiam patiantur dæmonem infantes, niſi forſan & ipſos, aut eſſe, aut ſub diabolo eſſe negabitis. & infrà: Tu, Iuliane, aſſere ſi potes, quomodo ſibi non obſcurè, ſed apertè vendicat paruulos, quos immundi ſpiritus vexant. Si ei traditos dicis, videmus ambo ſupplicium, tu dic meritum? Ambo cernimus pœnam, tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi, cùm Deum iuſtum eſſe ambo fateamur, demonſtra iſta pœna dignam, ſi potes, in infantibus culpam? Hæc Auguſtinus.

Lib. 3. c. 5. côt. Iulian.

Dæmonia infantes quoque nonnunquam ſæuit.

Lib. 6. c. 4.

Et vt nulli ex illis dæmonum vexationes experirentur, omnes tamen interitus legi obnoxij ſunt: hanc autem legem


non

non aliunde quàm ex peccato ortum ducere, ex Scripturis euidens est: In quacunque die comederis ex eo, (comminatur Deus) morte morieris, hoc est, corruptionis, & mortis legibus obstrictus teneberis. Incassùm autem hanc pœnam Deus comminaretur, si homo ex primęua naturæ suæ institutione moriendi necessitate teneretur. Hac ratione, quæ irrefragabilis est, inter alios & ipse quoque Fulgentius alicubi vtitur. Genes. 2. Si homo suaptè natura fuit mortalis, frustra Deus mortem est illi comminatus.

Qua, inquit ille, iustitia paruulus subijcitur peccati stipendio, si nulla in eo est peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cùm non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ iustitia est, vt imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine filij Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Hæc ne est Creatoris benignitas, vt imaginem suam creet, eamque sine vlla iniquitate condemnet, cùm non sit iniquus Deus, qui infert iram? Constitutum sit ergo, non solùm adultæ ætatis hominibus iustas damnationis causas adhęrere, verùm ipsis quoque infantibus recèns in hanc lucem editis. Iustæ autem damnationis causæ, aut nullæ sunt, aut noxæ sunt. De incarn. c. 14.

Originis vitium veræ rationis peccatum esse: Neque cauillationes, quibus Antagonistæ nituntur, oppositum euincere.

TRACTATVS SEXTVS.



AT dices forsan: Quod voluntarium, aut in hominis potestate situm non est, id ipsi vitio verti, aut in pœnam imputari iustè non potest: (de intrinseca nanque peccati ratione est libertas) atqui vt serui vel liberi, iusti vel iniusti, vel alio modo affecti nascamur, id in nostro arbitrio nullo modo positum est: Nihil ergo, quod veræ culpæ rationem obtineat, per solam naturæ communicationem in nos transfundi potest. Originis labem non esse veræ rationis peccatum, ex libertatis defectu, Antagonista ostēdere conatur.

Qui

contrarium est. Nam etsi vitium hoc vel hæc iniquitas non sit propriè ab illis, est tamen in illis non solùm subiectiuè, sed suo quoque modo despoticè: hoc autem modo inhærere, est verè peccati reum constituere.

Concupiscentię malum, inquit Augustinus, tantùm quia inest, infantes in morte tenet: & pertraheret ad vltimam mortem, nisi eius vinculum in illa, quę fit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solueretur. Per malum autem concupiscentiæ ille suo more totum id accipit, quod est de intrinseca originalis peccati ratione. Et hęc quidem solutio huic Pelagianorum Achilli sat esse poterat. Verùm quia hoc vnum argumentum multos iam olim exercuit, & vexauit plurimùm, & etiamnum multos exercet, & vexat non parum, non grauabimur alteram, quę fortè non minùs ad rem faciat, adhibere: non quòd iam adhibita non sit firma & vera, sed quòd non æquè fortassis omnibus sit clara, nec æquè in Scholis quoque trita. De pec. orig. c. 39. & lib. 6. c. 5. cont. Iulian. D. Aug. orig. peccatū concupiscentiæ nomine passim designat

Cùm illi ergo hunc in modum ratiocinantur: Quod non est voluntarium, id nullo modo est peccatum: originis peccatum non est voluntarium, ergo non est veri nominis peccatum: Respondere licet priorem argumentationis huius partem admitti posse. Certum enim videtur, quod nullo titulo, nulla iuris fictione, nulla legum interpretatione est voluntarium, id iustè puniri non posse. Atqui omne iustæ notionis peccatum iustam promeretur pœnam. Interim verò non id solum, & in foro, & in Schola, voluntarium habetur, quod per se, ac formaliter volitum est, sed illud etiam, quod virtute, vel iuris præsumptione, vel alio simili modo voluntarium est. Formaliter id expetitur, quod non in altero, vel alterius ratione expetitur, sed per seipsum, & secundùm seipsum primò expetitur. Hoc voluntatis genere læmargi desiderium fertur in esculenta & poculenta: philargyri, in argentum & aurum: studiosi, in Deum, vel virtutis bonum: & alterius cuiuscunque in alterum, pro- Voluntarium triplex, formale, virtuale, interpretatiuum. Formaliter expetitur, quod in se primò, & proximè expetitur.

ut ſua quemque aut voluptas trahit, aut voluntas ad hoc vel illud rapit.

Virtute expetitur, quod in altero indiuulsè connexo expetitur.

Virtute id voluntarium cenſetur, quod in ſeipſo proximè, vel ſecundùm ſeipſum abſolutè non eſt volitum, & expetitum, ſed in altero, cui illud intrinſecè, & indiuulsè cohæret. Hac voluntarij ſpecie diuinam offenſam velle rectè dicuntur, etiamſi de Deo nihil quicquam cogitent, qui in furtum, vel adulterium, vel hominis cędem, vel aliud quodcunque eiuſmodi flagitium ſpontè, ac deliberatè conſentiunt. Fieri nanque non poteſt, vt quis abſolutè patrare id velit, quod lege prohibitum eſt, quin ſimul virtute, hoc eſt, ſecundariò, & indirectè in legislatoris offenſionem incurrere velit. Cohæret enim offenſio tranſgreſſioni indiuiduè, non ſecùs atque motus ambulationi.

Iuris pręſumptione volũtarium dicitur, quod cõtingenter alicui rei, vel actui abſolutè voluntario coniungitur.

Iuris præſumptione id tandem voluntarium dicitur, quod alicui rei, vel actui ita connexum eſt, vt rarò admodum ab eo ſeparetur: licèt abſolutè ab eo ſęparari queat. Hoc voluntarij ſchemate quempiam lædere velle præſumitur, qui in hominum turba conſtitutus, telum mittere non veretur: inebriari, qui largiùs vult potare: męndacio teneri, qui multa temere vult effutire. At nullo iſtorum modorum originis peccatum, aut pręuaricatio, vnde illud conſecutum eſt, nobis eſt voluntaria. Conſtat enim nos ſcelus illud non perpetrâſſe, neque vt perpetraretur authores extitiſſe: Sed neque vllum quoque actum, cui Dei offenſa, vel neceſſariò, vel contingenter coniuncta eſſet, per nos edidiſſe. Si ergo nulla alia voluntarij ratio extaret, difficile foret verę rationis peccatum hîc conſtituere.

Originis peccatum nullo trium iſtorũ modorum eſt voluntarium.

Iuris fictione multis modis quippiam voluntarium cenſetur.

Verùm non id ſolum iuris fictione, vel interpretatione voluntarium eſt, quod modò expoſitũ eſt: ſed id etiã, quod altero iubente, vel ſuadente perfectum eſt: tum illud rurſum, quod ex metu non ſatis iuſto impellente, vel ignorantia factum non excuſante, commiſſum eſt: tum illud demum, quod ab altero alterius tametſi abſentis commodi cauſa ſuſceptum, vel inſtitutum

ſtitutum eſt: ſiquidem nemo mente valens ſuo commodo aduerſari præſumitur. Hac ratione, quod tutores pupillorum, vel parentes liberorum gratia volunt, faciunt, vel inſtituunt, ipſi pupilli, vel liberi velle, vel facere, vel inſtituere dicuntur, etiamſi abſint, vel nondum quoque nati ſint. Et hoc poſtremo modo nonnulli originale peccatum voluntarium opinantur. Aſſerunt enim Adamum communi omnium, qui olim ab ipſo naſcituri erant, nomine & loco, de præſtanda obedientia, deque iuſtitia, quam in communem omnium vſum acceperat, retinenda, ſanctè cum Deo pactum eſſe. Pacto itaque violato, ipſum cum tota poſteritate amiſſæ iuſtitiæ reum factum eſſe, vt quam totam ille in ſua perſona ſuſtineret.

Sed ſanè licèt ſententia hęc quoſdam authores habeat, & quendam quoque probabilitatis colorem præ ſe ferat, & in politicis prætereà celebrem vſum obtineat: Scripturæ tamen de eiuſmodi pactione nihil quicquam commemorant. Obligabatur haud dubiè protoplaſtus ab interdictę arboris fructu abſtinere, & per conſequens iuſtitiam, quam communi omnium nomine acceperat, retinere; verùm id non alio, & alio præcepto, ſed vno eodemque planè. Sicut nos quoque non alia lege, aut alio præcepto iubemur diuinæ gratię affines eſſe, alio rurſum legem ipſam obſeruare; ſed vno eodemque prorſus. Mitto hîc, puero infanti incaſſum, vt hac vel illa pręrogatiua donatus, vel ex parente hoc vel illo modo affecto naſcatur, legem figi: ſiquidem nihil horum poſitum eſt in illius poteſtate: lex autem eorum eſt, quæ fieri poſſunt.

Scripturæ nihil produnt de pacto cum Deo inito.

Eadem lege Adamus tenebatur originis iuſtitiam retinere, & à lethifera eſca abſtinere.

Lex eſt poſſibilium.

Sed vrges: Si quod nobis ingeneratur vitium, nec hoc, nec illo, nec vllo alio modo hactenus expoſito voluntarium eſt: quo ergo modo, aut qua tandem voluntate voluntarium eſt? aut ſi omnino voluntarium non eſt, quomodo aliquod peccatum eſt? Vnum eſt hîc certum, & apud orthodoxos omnes extra quæſtionem poſitum: nempe omnes & ſingulos, quot-

Certum eſt, omnes vtriuſque mortis

reos nasci, nullumque nisi per Christi sanguine ab hoc reatu absolui.

quot ex Adamo nascuntur, vtriusque mortis reos nasci: nec vllum omnino ab hoc reatu, nisi per Christi mortem & sanguinem absolui.

Nemo mortalium per proprium actum incurrit originis vitium.

Aequè certum & indubitatum est, nullum omnino mortalium hunc mortis reatum per actum aliquem proprio consensu perfectum incurrere. Nam si actu proprio, qui ex Adamo oriuntur, istiuscemodi malum sibi consciscerent: vel illud sibi consciscerent actu qualicunque ante ortum edito, aut actu post ortum perfecto, aut ipsomet ortu. Non actu ante ortum edito: nam aliâs priùs aliquid operis moliti essent, quàm in humanis extitissent, quod est impossibile. Nec actu rursum post ortum perfecto: nam tunc peccatum hoc non esset originale, sed personale, vel actuale. Nec ipso denique ortu: siquidem nasci non est agere, sed pati: est præterea opus naturæ in solidum: quod autem eiusmodi est, hoc, cęteris seclusis, mortis meritorium non est.

Peccati ratio citra vllum actum constare potest.

Si ergo statueretur peccatum citra proprium actum consistere non posse, vt illi statuunt, qui peccatum per actionem regulæ suæ dissentaneam definiunt: originis vitium ad mortem imputari non facilè posset. Sed quia falsò id statuunt, quemadmodum de eo peccati genere manifestum est illud, quod non in mala actione, sed in praua bonæ actionis omissione positum est: ideo statuendum est, originis labem veræ rationis peccatum esse, & tamen actum, cui proximè inhæreat, substratum non habere. Quanuis interim, si secundùm se absolutè, & non vt in hoc, vel illo existit, consideretur, non omnis actionis expers sit: Constat enim per malum actum primò conflatum esse. Quandoquidem vna ad numerum actione vniuersa natura gratuitis exuta est, & à Deo abalienata est. Quemadmodum etiam vna illa actione, qua decimatus est Abraham, decimatus est & Leui quoque, & quotquot in Leui lumbis virtute continebantur.

Etsi originis peccatũ actũ malum in sui ratione non includat, ex malo tamen actu primò ortum est.

Atq; huc tẽdit Apostolus, cùm in vno omnes peccâsse prædicat. Siue illud, In quo oẽs peccauerunt, ad persõnã referas, siue

siue ad noxam. vtrunque enim in idem penè redit. Si, inquit Augustinus, peccatum intellexeris, quod & per vnum hominem intrauit in mundum, & in quo nihilominus omnes peccauerunt: mox cōsequitur alia esse peccata cuique propria, in quibus hi tantùm peccant, quorum propria sunt; aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quoniam omnes vnus ille homo fuerunt. Si autem nō ipsum peccatum, sed vnum illum hominem, in quo vno homine omnes homines peccauerunt, adhuc ea manifestatione nihil est manifestius.

Illud Apostoli, In quo oēs & ad personam, & ad noxam referri potest.

Lib. 1. c. 10. de pecca. merit.

Non extitit sanè illa vitiosa actio, qua Dei Opt. Max. testamentum dissipatum est in nobis; neque in nobis existere, aut à nobis prodire aliquando potuit; vt qui per id tempus in rerum natura nondum existeremus, (producere autem necessariò ponit esse) sed tantùm in Adamo: Veruntamen reatus, vel macula, vel quicquid istud est, quod post vitiosam actionem in peccatore reliquum est, Deo illum exosum, & pœna dignum reddēs, cuius proinde ratione homo formaliter peccator est, &, donec per pœnitentiam Deo reconcilietur, peccator appellatur, hoc ipso nobis adhęrescit, & porrò, dum per Christi gratiam liberemur, adhęrescere pergit, quòd virtute, dum mandatum ille violaret, in illo extitimus, quodque naturaliter ab ipso propagamur. Fatendum est tamen hunc nostrum reatum, vel hanc nostram maculam non eiusdem rationis, nec eiusdem quoque ponderis esse cum illo, vel illa, qui, vel quæ cohæsit Adami personæ. Verùm de hoc suo postea loco ex instituto.

Genes. 17.

Nō ipsa prę uaricationis actio, sed ipsa pręuaricationis macula nobis cohæret.

Nostra & Adę macula diuersæ sunt rationis.

Si quis ergo in hoc originis peccato vitiosam actionem quæsierit, illam profectò comperiet, non in nobis, sed in Adamo: Si verò reatum, vel maculam ex actu illo vitioso natam, eam vtrobique inueniet; & in Adamo actu iam perfecto & absoluto priusquā resipisceret, & in nobis rursum donec per Mediatoris gratiam ab ea emundemur. Comperiet autem vtrobique non externa tantùm denominatione, aut nuda solùm imputationis imaginatione, sed verè, ac propriè. Siquidē

In Adamo extitit vitiosa actio, & macula simul: in nobis aūt tātùm macula existit.

vnusquilibet mortalium communi propagationis lege ab Adamo descendentium, non ab aliena, sed à propria macula intrinsecè, ac formaliter sibi inhęrente, antequam regeneretur, peccator est, vereque, ac propriè peccator appellatur.

Cuilibet verè ac propriè cohæret sua macula, non vna omnibus.

Et quoniam in Adamo non ipse tantùm prauus actus extitit, sed illud ipsum quoque, quod post perfectum eiusmodi actum reliquum erat, fit vt vnus hic omniũ ab vtroque verè, ac propriè denominari potuerit. Ab ipso quidem actu peccans, ab eo verò, quod post actum relinquebatur, peccator. Nos autem ab actus illius effectu, peccatores verè dici possimus, ab ipso verò actu peccantes nequaqnam, vt qui verè, ac formaliter in nobis non extiterit. Nec enim idem est prorsus, quo peccãtes, & quo peccatores dicimur. Quandoquidem ab actuali legis transgressione peccantes rectè appellamur, peccatores non item: Aut si hoc quoque, id tamen non eadem ratione: non enim id dicimur, aut sumus formaliter, sed tantùm causaliter: Legis nanque præuaricatio peccatorẽ efficit. Peccatores autem sumus, & appellamur per illud, & secundùm illud, quod ex peccaminoso actu in animo relinquitur, quodcunque tandem illud fuerit.

Adam vitioso illo actu fuit peccans, & peccator, nos tantùm peccatores.

Non eodem homo dicitur peccator, & peccans.

Mira sunt hæc, inquis, & in humanis exempli ignara. Sunt sanè, at nõ ἀδύνατα, nec omnino etiam ἄρρητα. Nam vt primo generis nostri parenti Adamo originalis iustitia obuenerat, non quidẽ vt priuatæ personæ, sed vt totius naturæ radici, ac quasi fonti: (quare eam quoque transfusurus erat in omnes) ita abstinentię legem, quam cœlestis pater ipsi tanquam communi, & primo eiusdem naturæ principio imposuerat, per inobedientiam conuellens, fœdeque infringens, iustitia & sanctitate in peccati pœnam iustè despoliatus, non sibi tantùm numinis iram, animęque & corporis mortem asciuit, sed cæteris quoque omnibus, qui virtute ac potentia in ipso continebantur, & quorum personam ille gerebat.

Vt orig. iustitia primo homini obuenerat, non vt priuatæ hypostasi, sed vt totius generis nostri principi, ita peccatũ, quo illam amisit, mortemq; incurrit, in omnes cum suis appendicibus pertransit.

Cùm ergo voluntas, (vt tandem ad aliquam voluntarij rationem, quæ suprà inquirebatur, veniamus) qua peccatum

illud admiſſum eſt, & ipſum nihilominus peccatum non tam priuatæ illius perſonæ extiterit, quàm totius humani generis ſontis; neque magis rurſum perſonę ſuſtinentis naturã, quàm naturę ſuſtinentis perſonam: non omnino difficile fuerit colligere, quo voluntarij gradu peccatum hoc ſingulis voluntarium dici debeat. Eſt enim ſingulis eo modo & gradu voluntarium, quo modo & gradu ſinguli in Adamo, cùm ipſe mandatum infringeret, continebantur. Atqui iam tum in ipſo non erant actu, aut formaliter, ſed potentia tantùm & virtute, cóque ferè modo, quo ramus eſt in radice.

Volũtas, quæ lex violata eſt, fuit communis naturę veriùs, quàm priuatæ perſonæ.

Singuli aſſenſerũt in legis pręuaricationem, nõ actu & formaliter, ſed potentia, & virtualiter.

Sunt hęc aliqua, ais. nam ſi peccatum hoc communis naturæ voluntate deſignatum eſt veriùs, quàm priuatæ perſonæ ſtudio, ergo vt ſinguli per generationem communicant naturæ, ita & illius quoque voluntati, quę in communi illa natura exiſtebat: At nondum ſatis perſpicio, vnius'ne tantùm voluntate peccatum hoc voluntarium cenſeri debeat, an vniuſcuiuſque. Et ſi vnius ſolùm, quomodo in nobis, qui Adamo peccante nondum extabamus, proprij voluntarij rationem ſortiri queat?

Quæſtionẽ habet, ſit'ne peccatum hoc vnius tantùm voluntate voluntarium, an verò omnium & ſingulorũ.

Et vnius tantùm, & omnium rurſum & ſingulorum voluntate voluntarium dici poteſt, quanuis id non pari gradu, nec eadem quoque ratione. Eſt enim vnius Adami voluntate ſimpliciter, & abſolutè voluntarium: omnium verò & ſingulorum non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Neque enim ſingulorum voluntate eſt voluntarium, vt ſinguli ſunt, ſiue vt quædam priuatæ perſonę ſecundùm ſe ſeorſum conſideratæ exiſtunt: nec eſt ſingulorum rurſum, vt proximè ex hoc, vel illo parente orti ſunt: Sed eſt ſingulorum, vt naturales Adę filij exiſtunt: ſiue vt naturam illam participant, quæ tota, virtute ac potentia in Adamo compræhenſa, & peccauit, & peccare voluit. Nam vt proximè indicatum eſt, peccatum hoc naturæ veriùs peccatum eſt, quàm perſonæ.

Legis tranſgreſſio Adã volũtate ſimpliciter fuit voluntaria: reliquorũ, qui potẽtia in illo continebantur, tantùm ſecundùm quid.

Cęterùm dum hoc loco aſſeritur originis maculam, naturæ peccatum, vel naturę voluntate deſignatum eſſe, non eſt id ita

ita accipiendum, quasi personę quoque vitium censeri non debeat. vtriusque enim censeri debet. Nam vt vniuscuiusque hominis actus primò quidem ac proximè ipsam, ex qua egreditur, personam spectat, eandemque, si vitiosus est, commaculat, mox verò naturam, singulasque eiusdem partes: ita scelus Adę primò quidem & proximè infecit illius personam, hinc naturam, quā persona illa sustinebat, postremò omnia membra & partes, quę vel actu, vel potentia in ea comprehendebantur, hoc est, omnia, & singula humanę naturę indiuidua: quę iuris fictione aliud nihil sunt, quàm quędam communis illius naturę partes, vel membra. Appellatur autem naturæ peccatum non ob id solum, quòd nulla generantis personæ habita ratione vnà cum natura perpetuò transfundatur, eandémque vt propria passio perpetuò consequatur, verùm ob id etiā, quòd per actum naturę proprium, puta per generationem, perpetuò propagetur. Patet ergo originis vitium peccatum esse, & voluntarium esse.

Originis vitium non solùm naturæ, sed personæ quoque peccatum est.

Cur orig. peccatum naturę vitium appelletur, triplex ratio.

Verumenimuerò quòd non omnino planè voluntarium sit, sed ad eum ferme modum, quo manuum, vel pedum, vel oculorum, vel aliorū quorumlibet membrorum, vel partium officia, (Planum est autem opera huiusmodi externa, secundùm se voluntaria non esse: nec enim manus, aut pedes, aut oculi, aut cętera hominis membra propriam sortiuntur voluntatem, aut propriam electionem: sed hactenus tantùm, quatenus ad humanam voluntatem referuntur, aut quatenus ab humana voluntate diriguntur, & impelluntur) fit vt cęteris, quę personalia dicuntur, & à Deo sciungunt, minùs malum, minúsque funestum existat. Nam vt meritum secundùm voluntarij intentionem intenditur, ita peccatum quoque & demeritum.

Orig. vitium eo ferè modo est voluntarium, quo membrorum officia.

Orig. peccatum inter mortifera minimum.

Et vt cęteris mortiferis leuius est, ita neque eiusdem quoque cum cęteris rationis est. Cętera nanque in turpi aliquò actu, turpisve cuiuspiam actus deformitate consistunt: hoc autem non in actu, aut in actus cuiusuis obliquitate positum est,

Orig. peccatum non est eiusdem rationis cum cæteris personalibus.

est, sed in habituali quadam auersione, viriumque omnium infirmitate, & curuitate: At multò citra omnem controuersiam peius est habere malum actum, quàm prauum habitum: quippe cùm praui habitus nõnunquam in iustis quoque comperiantur. Cętera rursum propria cuiusque voluntate & lapsu suscipiuntur, ac perficiuntur: hoc autem non propriæ sed alienę voluntatis consensu in caput nostrum deriuatur: idque prętcr lapsi propositum. Neque enim primus parens Deum offendere, aut originalis iustitiæ iacturam facere voluit, tametsi id facere voluerit, ac reipsa quoque fecerit, ad quod vtrunque necessariò consequebatur. Cætera tandem sunt peccata personæ, licèt naturam in persona existentem sua quoque turpitudine polluant: hoc autem, vt antè ostensum est, naturæ veriùs quàm personę peccatum existit. At multò leuiora sunt vitia illa, quę ex origine adsunt, quàm quę ex personali actu accesserunt.

Personalia in prauo actu, orig. in prauo habitu positum est.

Cætera propria, orig. aliena voluntate constatur.

Cætera personæ, orig. naturæ vitiũ est.

At dices: Si peccatum hoc cum alijs collatum leue est, vel omnium quoque minimũ est, cur illius ergo causa iræ, & condemnationis, & mortis filij nasci dicimur? Nusquam à nobis assertum est omnium minimum esse simpliciter: (certum est enim illud magis aduersari spiritali vitæ, quàm quoduis veniale) dictum est autem in ratione proprij, & voluntarij inter minima censeri posse, & hoc verum est. Dicimur porrò iræ, & mortis, & condemnationis filij nasci, non quòd Deo æquè inuisi, aut æquè exosi nascamur, aut habeamur iam nati, atque illi, qui in illius legem studio præuaricantur: sed quia gratiæ, & iustitiæ, quam in primo generis nostri parente acceperamus, expertes nascimur: perindéque ac verè maiestatis rei, propter cohærens vitium à regno in exilium pellimur, morteque tandem, & alijs multis incommodis malè multamur.

Pecc. originale magis aduersatur spiritali vitæ, q̃ veniale.

Cur iræ, ac mortis filij nasci dicamur.

Hæc tamen omnia, præter peccatum, incommoda in eos etiam caderent, qui aliunde quàm ex Adamo ortum ducerent: Tametsi isthæc in illis, nec pœnæ, nec culpæ quoque

rationem propriè obtinerent, sed proprietatum tantùm naturæ. Sicut nec illa quoque, quæ brutis accidunt, pœnæ, aut supplicia appellantur propriè, sed tantùm naturæ pathemata. At verò qui Sectis addicti sunt, dum de peccati huius ratione loquuntur, aut scribunt, nihil suaue, aut humanum, aut humile sonant; sed omnia tragica, & infernalia. Verùm de insana horum hyperbola sectione proxima ex instituto: nunc vnum adhuc aut alterum argumentum ex Pelagianorum Schola petitum in medium proponamus.

Sectis addicti orig. peccatum supra modum exaggerant.

Quòd ergo nulla omnino verę rationis noxa ex primis parentibus in illorum posteritatem transfundatur, sed neque transfundi quoque queat, Pelagiani eiusmodi rationibus, & argumentis probant. Si, inquiunt illi, noxa vnius alteri potest esse fraudi, vel in pœnam alteri imputari, falsò asseritur, neque filium patris, neque patrem rursum filij iniquitatem, sed vnumquemlibet onus suum portaturum esse. Falsò, quod quisque seminauerit, siue boni siue mali, hoc olim & messurum quoque. Falsò, accidens de subiecto in subiectum non transire. Falsò, Christum Dominum, sacratissimamque eiusdem matrem, qui perinde ac cęteri ab Adamo ortum trahunt, ab omni peccati næuo semper immunes extitisse. Falsò, quę natura insunt, ea probri, ac noxæ expertia esse. Falsò, producta, vel orta, producentium, vel procreantium naturam, & qualitatem referre. Nam, vt hîc ponimus, producentia sunt integra, omnisque vulneris, & vitij expertia. Falsò tandem, sobolem proximorum progenitorum similitudinem exactiùs exprimere solere, quàm procùl positorum. Proximi enim parentes nullum ex se vitium in prolem transmittunt. Hæc illi, & alia quædam his cognata: Ad quæ eô faciliùs licebit respondere, quô singulorum fundamenta validiùs iam antè quassata, labefactataque vidimus.

Ezech. 18. 4. Reg. 4. 1. Par. 15. Gala. 6. Prima Pelagianorum ratio. 2. Cor. 9. Secũda ratio. Tertia ratio. Quarta ratio. Quinta ratio. Sexta ratio. Septima ratio.

Cùm ergo ex Scripturis allegant, vnumquemlibet onus suum baiulaturum: responderi potest, qui ex Adamo oriuntur,

Gala. 6.

tur, neque Adami, neque alterius cuiuspiam onus, iniquitatémve portare, sed suum, ac proprium. Nam quotquot naturam ex Adamo trahunt, omnes iustitia, & sanctitate orbatam, & à Deo ex consequenti auersam, ex eo trahunt. Hoc autem aliud nihil est, quàm in originis peccato nasci, vel nascendo originis peccatum cõtrahere. Quòd si singuli, qui hoc naturæ vitio laborant, non vt ab illo descendunt, qui vt commune mortalium omnium principium illustribus in ortus sui primordio virtutum ornamentis cumulatus erat: sed secundùm se absolutè, prout nimirum quædam priuatæ personę existunt, nullo naturæ morbo, nulla virium deformitate, nulla animi ægritudine, aut noxa teneri depræhenduntur: Siquidem culpa omnis deposcit voluntarium, hoc autem, vt sub priuatorum ratione concipiuntur, locum in illis nullum habet.

Primæ rationis vel authoritatis discussio.

Qui ex Adamo oriuntur, onus suũ portant, non alienum.

Originis malum, vt mali rationem assequatur, ad Adami trãsgressionẽ referatur, oportet.

Quô hæc solutionis appendix aliquanto explicatior habeatur, meminisse oportet, vnumquemlibet mortalium bifariam considerari posse: Vno modo absolutè, vt priuata persona: altero modo relatè, vt mystici, vel politici corporis membrum. Vt priuata vel singularis persona est, id totum, & solum ad illum spectat, quod ipse priuato iudicio, vel imperio designat, quodcunque tandem illud fuerit: At verò vt vniuersitatis portio est, id ad illum quoque pertinet, quod ab vniuerso collegio, vel potiore collegij parte, vel ab ipso quoque collegij præfecto, vel vniuersitatis principe communi omnium nomine suscipitur, vel instituitur, vel quouis etiam modo designatur. Secundùm hanc igitur capitis & membrorum, totius rursum & partium inter se analogiam, vniuersa hominũ multitudo, quę ab vno principio fluxit, concipi potest, & in hac controuersia concipi quoque debet, vt vnum aliquod collegium, vel vt vnum aliquod corpus mysticum, in quo corpore varia & inter se distincta existunt membra, quę singula, geminam illam cõsiderationem, de qua modò dicebamus, recipiunt.

Vnusquilibet bifariam cõsiderari potest: & vt priuata persona, & vt communitatis membrum.

Vniuersa mortaliũ multitudo constituit vnum corpus mysticum, in quo vnũ existit caput, membra autẽ diuersa.

Adamo in ortu suo obtigit illustre donum, quod vnà cum natura in posteritatem suam transmissurus erat.

Huic contemplationi alteram, si lubet, adde: nempe primo illi, & communi humani generis principio in ipso statim ortus sui vestibulo obtigisse donum quoddam supernaturale, cuius vi, & energia efficiebatur, vt mens Deo, menti sensus, & tota inferior hominis portio, corpus tandem totum integrè subderetur animo. Obtigisse autem hoc illi non vt solus illo felix esset, sed quô per generationem in vniuersam posteritatem suam illud transfunderet. Quia ergo eximium hoc ornamentum non sibi soli, sed cæteris quoque omnibus, qui olim ex eo nasci turi erant, susceperat, semperque, si Deo Opt. Max. quam debebat fidem, & obedientiam præstitisset, seruaturus erat: euenit vt non ipse solus, postea quam legis mandatum transgressus est, ex ea gratia excideret, peccatique mancipium, & Sathanæ spolium fieret, sed vt cæteri quoque omnes, qui potentia in illius lumbis iam tum hærebant, eandem illam iacturam facerent, idemque peccati & seruitutis incommodum incurrerent. Atqui hoc ordinis, vel rectitudinis munere orbatum, & per consequens à Deo auersum alienumque nasci, est originis labe obstrictum nasci.

Orig. iust. orbatum, & à Deo auersum nasci, est originis peccato obstrictum nasci.

Diluitur secūdus Pelag. locus.

Addunt illi, vnum hoc solùm vnumquemlibet messurum quod ipse semināràt: infantes autem nihil, vel cum Adamo, vel in Adamo seminâsse. Sed neque seminare quoque aliquid in illo, vel cum illo, potuisse, vt qui per id tempus vitalem lucem nondum hausissent. Næ qui actu non existunt, nullùm illi externum, aut internum opus seminare possunt. Verùm de hoc operum, vel sationis genere hoc loco nō est sermo. Ecquid est hîc ergo, inquis, in Adamo vel cum Adamo seminâsse? Aliud sanè nihil, quàm naturæ, quę per legis inobedientiam in illo deprauata, iustitiaque & sanctitate orbata fuerat, cōmunicâsse. Nam vt obiter indicatum est antè, non is solùm peccato obstringitur, qui aliquid flagitiosum per se ipsum designat, verùm is etiam, qui naturam peccato subiectam participat.

Malè in Adamo, & cum Adamo seminare, est naturæ, quę in illo deprauata fuerat, participem fieri.

Acquè

Acquè ἀσύςατον eſt, quod de accidentis μετοικεσίᾳ vrgent. Quandoquidem vt naturę vitium ab hoc in illum transferatur, nulla hîc opus eſt prodigioſa accidentium tranſmigratione, ſed ſolo naturæ opere, hoc eſt, generatione: Cùm idem vtrobique tranſlationis ſit modus, eadem via, idem medium. Eſt ſanè primarium peccati huius ſubiectum anima, quę vi ſeminis effectiuè non producitur, producitur tamen eiuſdem virtute diſpoſitiuè. Siquidem corpori maſculi ſeminis energia organizato perfectoque infunditur anima, non quidem ſancta, aut illuſtri aliqua virtutum ſupellectile exornata, (qualis vtique infuſa fuiſſet, ſi Adam non concidiſſet) ſed nuda, omnibusque gratuitis, & ſupernaturalibus donis deſtituta: qualem nimirum corpus ab ingrato propagatum iure promerebatur.

Refellitur tertius Pelag. cauillus.

Orig. peccatū non auulſum à natura, ſed ipſi naturæ impactū vnà cū natura ex hoc in illum transfertur.

Anima vi ſeminis, non effectiuè, ſed diſpoſitiuè producitur.

Quod de Chriſto deinde in erroris ſui patrocinium adferunt, indignum eſt, cui ſolutio aliqua adhibeatur. Conſtat enim non omnes ſimpliciter originis peccatum contrahere, ſed illos ſolùm, qui naturali, ac trita generationis via ex Adamo oriuntur. Quanuis ne iſti quidem maculam vllam contraherent, ſi Deus, vt matri Virgini, vnà cum ipſa anima gratiam illis infunderet. Chriſtus autem licèt corporis ſui materiam ex Adamo mutuatus fuerit: Credimus enim illum ex Maria virgine natum: corpus tamen quod aſſumpſit, Adamici ſeminis virtute, & energia non fuit efformatum, ſed virtute & opera Spiritus ſancti temporis momento perfectum. Quare dici ſolet ex Adamo deſcendere ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, non etiam ſecundùm ſeminalem rationem.

Excutitur quarta Pelag. ratio.

Ii ſolùm orig. peccatū contrahunt, qui trita generationis via ex Adamo naſcuntur.

Virgini, vt primo homini, gratia fuit cōcreata, atque hac ratione ab orig. peccato fuit præſeruata.

Corpus Chriſti non vi ſeminis, ſed virtute Spiritus ſancti fuit efformatum.

Ad antepenultimum propoſitæ argumentationis membrum reſpondetur, etiam illa, quæ ab ortu inſunt, cum nonnulla interdum nota coniuncta eſſe. Conſtat nanque parentum probra in liberos plerunque redundare. Quanuis hîc longè diuerſiſſima ſit ratio: Nam quicquid infanti vitij ab ipſo ortu ineſt, hoc totum ſua culpa ipſi ineſt. peccauit enim in Adamo, & cū Adamo, quod in alijs locum non habet. Quam

Reſpondetur ad quintum Pelag. argumentum.

Parentū probra redundāt in filios.

ob rem si mente concipiatur, non vt filius Adæ, sed vt filius Titij, vel Męuij, quicquid illi cohęserit, natura erit, noxa non erit.

Occurritur sexto Pelag. cauillo.

Orig. peccatum prouenit ex productitij principij vitio.

Peccatum nō sustulit naturam, sed cōmunem naturæ prærogatiuam.

Ad penultimum respondeo, falsò sumi originis peccatum non prouenire ex aliquo productitij principij vitio, vel vulnere: prouenit enim ex iusta primæuæ iustitiæ, ac rectitudinis priuatione. Nam etsi illustre illud iustitię donum non fuerit simpliciter naturale, aut naturę absolutè debitum: hactenus tamen naturale dici potuit, & potest, quatenus naturæ in sui primordio gratuitò collatum, vnà cum ipsa natura tanquam proprium illius πάθος propagandum fuit. Quare licèt aliquo sensu admitti possit, naturalia omnia homini post peccatum mansisse integra, simpliciter tamen id admitti non debet. Nam esto, nullum omnino bonum ademptum sit homini peccanti, quod ad illius speciem vel ad intrinsecam humanæ naturæ rationem pertineat: illud tamen bonum, quod ex peculiari Dei Opt. Max. beneficio communi naturæ accesserat, per peccatum sublatum est funditus.

Refutatur postrema Pelag. argumentatio.

Vt orig. iust. in paradiso omnes assimilâsset Adamo, ita nūc orig. pec. oēs eidem assimilat in hoc miseriarum pelago.

Accidentia quæ totam naturā quouis modo consequuntur, ea semper vna cū ipsa natura transfundūtur.

Ad postremum dici potest: Vt iustitia originalis, tanquam vera naturæ specificę proprietas, in omnes homines vnà cum natura transitura erat, atque ita omnes ea parte primi parentis similitudinem expressissent: ita peccatum originale (quod originali iustitiæ quasi exaduerso opponitur) in omnes & singulos, qui naturam humanam secundùm naturæ legem participant, tanquam proprium eiusdem naturę πάθος per generationem transfundi, omnesque & singulos secundùm hanc partem primę suę causę, hoc est, Adamo assimilare. Quapropter licèt dici soleat, & verè quoque dicatur, liberos parentibus in ijs tantùm perpetuò assimilari, quæ ad specificam vtrorunque naturam pertinent: non tamen assimilantur in his tantùm, sed in ijs quoque, quę toti naturę gratuitò adijciuntur, vel toti rursum naturę propter ingratitudinem, vel aliquam aliam causam in pœnam adimuntur.

Cęterùm quòd personalia proximorum parentum crimi-

na in prolem non transferuntur, vt peccatum originale, hoc inde non prouenit, quòd hoc illa sint leuiora : (sunt enim pleraque multis partibus grauiora) sed quia isthæc communis naturæ accidentia non sunt, vt illud, sed huius tantùm, vel illius singularis personæ propria. Constat autem, quę alicui conueniunt, vt hoc vnum est, siue vt hæc indiuidua substantia est, ea sibi conuenire, vt ab alijs singularibus secernitur: quæ verò totam aliquam naturam consequuntur, ea in singula illius naturæ conuenire, non vt à se inuicem distinguuntur, sed vt cum alijs in natura, vel in aliqua naturæ proprietate consentiunt.

Personalia parentū peccata nō transfunduntur, quia sunt accidentia priuatæ personę, non communis naturæ.

Veruntamen licèt proximorum parentum peccata in filios eorum propriè non transeant, sæpe tamen grauiter in illis vindicantur: Nec in illis solùm, sed illorum quoque nepotibus, & abnepotibus. Deus nanque maiorum sceleribus prouocatus sępenumero eorum posteris infert supplicium, peccatis eorundem alioqui debitum, quod illis fortè non intulisset, si præcedentibus parentum sceleribus ad hoc incitatus non fuisset. Sæpe quoque paternorum flagitiorum occasione & merito infelix soboles in lucem editur. Videmus enim quosdam ad peculiaria quędam flagitia, vel ad omnem quoq; nequitiam, naturæ quodam impetu rapi : alios contrà ad omnem modestiam, & honestatem spontaneo, ac quasi naturali quodam ductu ferri. Hoc autem discrimen, licèt ex alijs quoque causis prouenire queat, plerunque tamen ex varia educatione, diuersisque parentum moribus accidere solet. Constitutum sit ergo, vitium, quod ipso ortu contrahimus, veri quidem nominis peccatum esse, inter ea tamen simpliciter minimum, quæ à Deo separant: nunc ad ea, quæ ad formalem peccati huius rationem spectant, se vertat oratio.

Parentum peccata in illorum liberis sæpe vindicantur.

Mores parētum redundant in liberos.

Formalem

Formalem peccati huius rationem, non in aliquo priuato actu, aut actuali primi parentis præuaricatione, non in aliqua reali qualitate, aut morbida tabe, non in carnis libidine, aut nuda originalis iuſtitiæ debitione, non in totali totius hominis corruptione, aut aliquo alio eiuſmodi, ſed in habituali quadam voluntatis à Deo auerſione, cæterarumque virium obliquitate præcipuè poſitam eſſe.

TRACTATVS SEPTIMVS.



Idimus originis peccatum eſſe, & quidem veri nominis peccatum eſſe, tametſi non omnium funeſtiſſimum: proximum eſt, vt, quidnam illud ſit, ſiue in quonam formalis illius ratio præcipuè poſita ſit, quanta perſpicuitate fieri poterit nunc oſtendamus. Eſt enim locus hic admodum obſcurus, ac difficilis; in cuius proinde tractatione, & explicatione tanta eſt doctorum hominum varietas, & inconſtantia, vt vix vlla alia in re maior.

De formali orig. peccati ratione magna apud eruditos eſt cōtrouerſia.

Refellitur eorum opinio, qui docēt orig. peccatum actum eſſe.

Orig. peccatum non eſt aliquod dictum, aut factum illius, cui cohæret.

Et primò quidem certum eſt, originis peccatum non eſſe aliquod improbum illius dictum, aut factum, aut concupitum, qui illo obſtrictus tenetur. Nam ſi quid eiuſmodi eſſet, originis peccatum non eſſet: neque infantes, qui per ætatem nihil improbum, diuinæ've legi, aut rationis luci diſſentaneum dicere, aut facere, aut concupiſcere poſſunt, vlla omnino originis labe ſorderent: Atque ita, quod falſum eſt, ſuperuacaneò Baptiſmi Sacramentum in peccatorum remiſſionem capeſſerent. Quanuis ergo omnes & ſinguli, qui ex Adamo genus ducunt, peccato obnoxij oriantur, vereque, & propriè, dum per Chriſti meritum expientur, peccatores appellentur, nullo tamen proprio actu hanc ſibi peſtem aliquando acciuerunt.

Adæ præuaricatio nō eſt

Nec dici poteſt, vnum illud piaculum, quo generis noſtri prin-

princeps legem perfregit, formaliter noſtrum originale exiſtere. Siquidem vitioſus ille præuaricationis actus iam olim euanuit: eratque perſonalis. Actiones enim ſuppoſitorum, rerumque per ſe exiſtentium ſunt, non partium, aut potentia tantùm extantium. Adhęc ſi primus ille tranſgreſsionis actus eſſet verè, ac propriè vniuſcuiuſque originale, non ſingula extarent in ſingulis, ſed vnum duntaxat numero in omnibus, & ſingulis: at hoc ſalua fide defendi non poteſt. definitum eſt enim: Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quàm per meritum vnius Mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, anathema ſit.

noſtrũ orig. peccatum formaliter.

Syn. Triden. Seſs. 5. c. 2.

Non vnum numero in omnibus, ſed vnum ad numerũ in ſingulis eſt orig. peccatum.

En hîc claris, diſertiſque verbis decernitur, ſingulis ſuum proprium ineſſe, non vnum etiam ad numerum omnibus, & ſingulis. Nec cauſam obtineas, ſi vnicuique ſuum proprium ſecundùm effectum ineſse dicas. Nam ſecundùm effectum non vnum tantùm ineſt vni, ſed vni multa, & multis plurima. Conſtat enim huius vnius peccati multa, & inter ſe diſtincta, effecta eſse. Sed neque Synodus quoque ſingulis vnum peccati effectum, vel vnum peccatum ſecundùm effectum ineſse prædicat, ſed vnicuique ſuum proprium adeſse pronunciat; Atqui aliud eſt peccati cuiuſpiam effectus, aliud ipſum peccatum. Mitto hîc, ſi ita Synodorum decreta exponere liceret, quiduis ad quemlibet ſenſum facili negotio detorqueri poſſe.

Secundùm effectum non vnũ tantùm vni, ſed vni multa adſunt originis mala.

Denique ſi perſonale Adami peccatum omnium, & ſingulorum originale foret, qui ex Adamo orirentur, extrinſeca tantùm denominatione, & imputatiuè peccatores eſſent; vt quibus nihil omnino morte dignum reipſa inhæreret. Atqui hoc defendere, eſt non ſolùm à fide, & Apoſtolica doctrina exorbitare, ſed apertam quoque ad imputatiuæ iuſtitię commentum viam munire. Et quî, ob-

Si Adami pręuaricatio noſtrũ orig. eſſet, extrinſeca tantùm denominatione peccatores naſceremur.

Transgressionis actu Adamus formaliter peccans, non etiã peccator erat: erat hoc autẽ causaliter.

obsecro, actus ille prçuaricationis nostrum originale peccatum esset, aut formaliter nos peccatores denominaret, qui ne ipsum quidem malorum fontem formaliter peccatorem denominare potuerit, sed tantùm causaliter? Neque enim, si tamen propriè loqui velimus, Adamus actu illo transgressionis peccator erat, sed tantùm peccans.

Conuellitur, planeq́; euertitur eorum sententia, qui statuunt orig. pec. aliquem habitum, vel aliquod reale accidẽs esse.

Originis peccatum nõ est aliqua natura subsistens, vel inhærens.

Deus nullius peccati author est.

Ad hæc originis peccatum non est aliquis habitus, aut aliqua qualitas, aut aliud quodcunque reale accidens homini, dum per Christi gratiam exhauriatur, verè ac propriè inhærens. Siquidem omnis qualitas, & omnis omnino natura, & entitas, siue ea substantia sit, siue accidens, & bona est, & ex Deo est: Deus autem, cùm nullum non peccatum grauiter inhibeat, & magna quoque seueritate punire soleat, nullius peccati author est, neque salua pietate peccati alius author censeri potest.

Orig. peccatum nec infusus, nec acquisitus, nec congenitus habitus est.

Præterea si originis vitium esset aliquis veri nominis habitus, aut esset is infusus, aut acquisitus, aut congenitus. At non est habitus à Deo infusus: Nam cùm Deus sit optimus, & ad bonum creaturæ, quod ad se quidem attinet, propensissimus, nulli mortalium prauos habitus infundit. Nec est rursum habitus improbis actibus acquisitus: Aliâs enim in pueris infantibus esset omnino nullus. Nec est postremò habitus naturalis: Quandoquidem si tale quid foret, malum non esset, neque per Christi gratiam expiari posset; gratia enim naturæ opus non soluit, sed perficit.

Nullo opus fuit habitu, qui hominẽ ad mala, & sensuum oblectamenta pronum redderet.

Denique nulla hîc opus fuit qualitate, aut habitu, qui vel quæ hominem in peccati pœnam in deteriorem partem abriperet, aut animum illius in vitiosos actus inflecteret. Nam vt nauis auulso temone spontè, quâ tempestas rapit, fertur: & fera bestia vinculo, quo ligata tenebatur, soluto, citra delectum in obuia quæque furiosè grassatur: & saxea moles basi, qua sustentabatur, excussa, suo mox pondere vergit ad ima: & singula tandem corpora, & corporata, impedimento semoto, vl-

to, vltro feruntur ad loca ꝓpria: ita originali iustitia, quę animi vires in suo quasque ordine, & officio arctè immotéque continebat, sublata, singulæ euestigio in sua obiecta pręcipites abierunt.

Designatur nihilominus originis peccatum inhærentis habitus nomine non infrequenter. Non quòd re ipsa habitus, aut qualitas aliqua infusa, aut innata, naturæ've inspersa, aut aliunde ascita verè existat: Sed quòd non secùs atque veri habitus solent, diu multumque perstet, animumque ad diuersa vitia, & carnis oblectamenta inclinet. Inclinat autem malum hoc originis, non vt causa per se, ac directè; sed vt causa per accidens, & indirectè. Semouit enim iustitiam originalem, quæ incitatum illum inferiorum virium impetum, carnisque motum sistebat, ac intra rationis cancellos continebat. Ea itaque prolabendi facilitas, & ad carnis commoda procliuitas, non prouenit ex forma aliqua inhęrente, aut inclinante, quæ ab ipsa potentia verè sit distincta: sed ex virium appetentium infirmitate, ac destitutione; siue ex eo, quòd vinculum illud, quo eiusmodi incitati naturæ impetus sistebantur, ac coercebantur, submouit: hoc est, ex legis præuaricatione tanquam à causa prima; ab originalis autem iustitiæ amotione, tanquam à causa proxima.

Cur orig. peccatum habitus nomine designetur, causæ.

Inclinat originis peccatum, vt causa per acciden.

Eędem illæ rationes planum faciunt, originis peccatum formaliter acceptum, non esse aliquam tabem, aut morbidam qualitatem, carni vel corpori insidentem. Nam si peccatum hoc intrinsecè ac quidditatiuè aliqua tabes, aut aliqua morbida qualitas, hoc est, res quæpiam positiua carni adhærens, ipsamque ad omnem concupiscentiam, & rebellionem inflammans existeret, profectò peccatum nullum esset; quippe quod non aliunde quàm ex vno illo dimanaret, ex quo omne, quod vel per se subsistit, vel alteri inexistit, ortum ducit. Sed etiam olim quoque in tot partes secta, atque dissecta euanuisset. Et æquè tandem ex quouis scelere proueniret. Siquidem nulla apparet ratio, cur vnum, vel vnius flagitium

Orig. peccatum formaliter non est morbida quędã qualitas, vel tabes, vt alij quidam sentiunt.

Si orig. peccatum morbida qualitas esset, veræ rationis peccatum nõ esset.

 istius-

istiuscemodi tabem progignere oporteat; alterum, vel alterius progignere non oporteat. Nam quod de virulento serpentis afflatu quidam hîc concionantur, id nulla graui ratione nititur :· Imò cum ratione neutiquam obscurè pugnare videtur.

Quod de virulento Serpentis afflatu dicitur, nulla ratione nititur.

Quòd si illi per tabem, vel morbidam qualitatem, non aliquam naturam ab ipso carnis appetitu distinctam, sed ipsammet vim concupiscentem originali iustitia destitutam exprimere volunt, tunc sanè aliquid ad rem faciens exprimunt; attamen veram, ac formalem peccati huius rationem nondum satis aperiunt. Certum est enim, carnis concupiscentiã, quam & fomitem, & membrorum legem, & inhabitans peccatum, & tyrannum, alijsque id genus nominibus appellant, non esse originis labem. Siue concupiscentię nomine ipsam concupiscendi facultatem secundùm se absolutè sumptam accipias: siue incitatum illius ad res lege prohibitas impetum : siue naturalem eiusdem ad ea, quæ carnis sensum demulcent, propensionem, hoc est, naturam ipsam vnà cum suo pondere.

Orig. peccatũ non est ipsa carnis concupiscentia.

Non est ipsa vis secundùm se absolutè sumpta : Quandoquidem si ipsa concupiscẽdi facultas carni insita, (de illa enim illi agunt) vel ipsa sensualitas, originis peccatum esset, profectò vitium hoc nullo modo peccatum esset; aut quadam tantùm analogica ratione peccatum esset. Constat enim, vim illam, neque ex Adami peccato esse, neque ex nobis esse, neque iniquitatem esse, neque Deo secundùm se exosam esse, neque vlla lege inhibitã esse, neq; vlli legi secundùm se contrariam esse: Si ergo nihil horum omnium est, quomodo verę rationis peccatum est ? Nec ipsi rursum inordinati concupiscentię motus ad carnis illecebras peccatum, de quo hîc disserimus, formaliter existunt. Nam si istiusmodi animi impetus secundùm se originis peccatum essent, pueri infantes, qui per ętatem inordinatè, ac deliberatè concupiscere non queunt, originalis maculæ expertes in lucem prodirent.

Orig. peccat. non est ipsa vis concupiscens secundùm se absolutè sumpta.

Concupiscentiæ motus nõ sunt orig. peccatum.

Nec

Nec ipsa denique naturę propensio, vel animi pronitas ad ea, quę carnis sunt; aut vis ipsa cum tali pronitate, vel pondere, peccatum origine contractum verè dici potest. Quando quidem si ea naturę inclinatio animíve propensio originale vitium verè & propriè esset, profectò peccatum hoc in iam olim regeneratis etiamnum hęreret: vt qui, & malè concupiscendi pronitatem in se retineant, & multos prętereà inordinatos motus subinde sentiant. Sed neque id omne quoque, quod ad peccatum quouis modo inuitat, aut allectat, peccatum est statim: nisi forsan, & dęmonem, & mũdum, & carnem ipsam peccatũ esse existimes. Nam hęc omnia huc allectant, & inuitant indefessè. Patet ergo concupiscentiam vtcunque acceptam non esse originis labem.

Pronitas animi ad malum non est orig. peccatum.

Regenerati, & cõcupiscẽdi pronitatẽ retinent, & multos concupiscentiæ motus subinde sustinent.

Non omne, quod ad peccatum inuitat, peccatum est statim.

Sed neque in corporis quoque infirmitate, aut in carnis contra spiritum rebellione, aut in virium animę turbatione, aut in moriẽdi necessitate, aut in alio quopiam eiusmodi propria & formalis peccati huius ratio posita est. Siquidem hæc omnia & alia prętereà multa, quę horum nominibus cõtinentur, originalis peccati effectus sunt veriùs, quàm ipsum secundùm se peccatum. Neque tam per ortum contrahũtur, quàm à Deo peccatum vlciscente infliguntur. Ideo enim carnis libidine incẽdimur, eiusdemque contumacia infestamur: ideo virium omnium infirmitatem experimur: ideo tandem mortis legibus obstricti tenemur, quia originalis peccati macula infecti in hãc lucem fundimur. Mitto hîc omnia isthęc etiam post susceptum Baptismi Sacramentum, quo tamen nullum non peccatum penitus aboletur, reliqua fieri, & certa quadam consideratione naturalia posse censeri.

Originalis peccati vis nõ est posita in corporis infirmitate, aut carnis rebellione, aut moriendi necessitate, vt contendunt nonnulli.

Propiùs ad rem accedunt, qui formalem peccati huius rationem in originalis iustitiæ debitę inesse priuatione constituunt. Sed neque hi quoque omnem penitus difficultatem euadunt. Posset enim illis non iniuria obijci: Omne veræ rationis debitum aliquam legem, vel aliquod præceptũ, vel aliquod statutum ponere. Nam etsi aliquod eximiæ dignitatis

Orig. peccatũ nõ est propriè carentia iustitiæ debitæ inesse, vt multi defendunt.

Omne veræ rationis debitum legem ponit.

 bonum,

bonum, Deo, vel altero quocunque largiente, obtentum, mea ignauia, aut culpa amittam, atque ob id iustā repræhensionem meritò incurram: ipsa tamen tanti illius tamque illustris boni absentia secundùm se absolutè considerata, nunquam culpę erit obnoxia, nisi extet lex, vel statutū, quod ad perpetuam boni, vel doni illius conseruationēm iure ac legitimè me obliget: Atqui nulla profertur lex, nullum statutum, nullum præceptum, quod perpetuam originalis iustitię conseruationē ab Adamo exigeret; vel quod hoc ipso peccati reum illum pronunciaret, quòd doni illius expers esset.

Lex illis ferri non debet, qui legē explere nullo modo possunt.

Deinde vt maximè aliqua eiusmodi lex Adę imposita fuisset, ea apud illius posteros nullum robur obtineret. Nam vt lex quæpiam vim obtineat, non debet illis ferri, qui, quod lex iubet, nulla vi explere possunt. At in nullius potestate sitū est, vt hoc, vel illo dono ornatus nascatur, vel vt nullam vnquam carnis infirmitatem, aut virium rebellionem experiatur, vel vt hinc citra vllam mortem, aut calamitatem, ad meliorem vitam transferatur.

Cùm ergo posteritas Adę illam originalem iustitiam αὐτοπροσώπως non acceperit, sed solus Adam; licèt & ipsa quoque, si peccatum nullum intercessisset, dono illa potitura fuerit: nec vlla rursum lege ad illā obstricta sit, neque iure quoque obstringi potuerit, vt quę nulla vi illam, vel ex se, vel ex altero consequi possit: (certum est enim Deum nulli mortalīum in hac vita illā impertiri decreuisse) nec vllo tandem proprio opere illam amiserit: non video quomodo tota, & propria, & formalis peccati originalis ratio, in sola illa absentis debitione posita sit.

Orig. peccati vis non est in sola absentis iustitiæ debitione posita.

Aug. pro vera earum crucū, quas patiuntur infantes, causa, nunquam allegauit orig. iustitię debitū.

Adde his, si lubet, diuum Augustinum, licèt ob eas, quas quotidie videmus, & audimus, paruulorum cruces, multùm interdum ab Antagonistis vrgeretur, nusquam tamen hoc absentis iustitię debitum pro vera tantarum afflictionum, ac miseriarum, quæ in teneram illam ætatem incidunt, causa allegâsse. Imò verò suam hîc ignorantiam fateri, & aliorum tam abstru-

abstrusa de re sententiam audire maluit, quàm vel solo verbo huius carentiæ, vel debiti mentionem vllam facere. Ad Hieronymum de hoc arcano ita scribit:

Deus bonus est, Deus iustus est, Deus omnipotens est: hęc dubitare omnino dementis est. Tātorum ergo malorum, quę fiūt in paruulis, causa iusta dicatur. Nempe cùm maiores ista patiuntur, solemus dicere: aut sicut in Iob merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri. Et de quibusdā exemplis, quę Deus manifesta esse voluit, alia, quę obscura sunt, coniectare conceditur: sed hęc in maioribus. De paruulis autem quid respondeamus edissere, si pœnis tantis nulla in eis sunt punienda peccata? Nam vtique nulla est in illis ætatibus examinanda iustitia. En disertè fatetur ętatem illam omnis iustitię vacuam nasci, nec hoc in quęstionem vocandum putat: Sed quia eam vacuitatem ad tantas pœnas, quæ paruulis irrogantur, sat esse non existimat, peccata, quę in ipsis puniantur, inuestigat. Nam iustitia vacuum nasci, nō est peccatis obstrictum nasci, vel certè non est id necessariò. Etenim vt aliud est virginitatis, vel martyrij prẽmio potiri, aliud ꝓpter admissum adulterium, vel abiuratam fidem plecti: ita aliud quoque est originalis iustitiæ fructibus destitui, aliud propter inhęrens peccatum puniri.

Epist. 28 Deus bonus, iustus, & omnipotens est.

In paruulis non iustitiæ vacuitas, sed peccata puniuntur.

Aliud iustitia vacuū, aliud culpæ obnoxium nasci.

Mittamus Augustinū, rem ipsam expendamus. Quis, quæso, dicere audeat, paruulos dum baptismi Sacramento initiantur, ab hoc solo iustitię debito absolui? vel id solum hinc consequi, ne videlicet illa iustitię absentia illis in noxam imputetur? Certè si hunc nodum ex communi loquendi vsu soluere velimus, nullam difficultatem experiemur. Neque enim infantes, dum baptizantur, ab aliquo debito absolui dicuntur, sed expiari, sed ablui, sed innouari; à quo autem, si nō à culpa, & macula? At quanuis à debito non ineptè absolui, vel relaxari dicimur, attamē à debito expiari, vel ablui nequaquam rectè dicimur.

Paruuli dum baptizantur, nō absoluuntur à iustitiæ debito, sed expiantur à peccato.

Deni-

Lib. 1. de part.

Denique licèt communis illa Anſelmi definitio ad commodam ſententiam trahi, atque ideo admitti queat: eo tamen ſenſu, quo illam Sectarij exponunt, nullo modo admitti debet.

Sectarij deprauant Anſelmi definitionem.

Etenim cùm illi iuſtitiæ nomine vtriuſque tabulę præcepta complectātur, iniuſtitiæ verò vocabulo, quę iuſtitię exaduerſum opponitur, omnia peccata ac ſcelera, quę quouis modo contra Decalogi pręcepta cōmitti poſſunt: fit vt vniuerſum ſcelerū omnium chaos in vnius huius peccati ratione includant, vnoq; peccati huius vocabulo cōpræhendant. Hinc iam portenta illa de ira & odio Dei, de horrore iudiciorū Dei, de amore rerum fluxarum vſque ad contemptū Dei, & alia id genus innumera, quæ ipſi vni huic peccato ſtultè affingunt. Neque enim iſthæc ſunt næui origine contracti, ſed grauiſſima proprię voluntatis ſcelera, quę adeò non cadunt in infantes rationis vſura adhuc deſtitutos, vt ne in omnes quoque adultę ætatis homines cadere ſoleant.

Sectarij iuſtitiæ nomine Decalogi legē, iniuſtitiæ quicquid cōtra Decalogi legem committitur, complectuntur.

Orig. peccati vis non conſiſtit in totali totius hominis & omniū partium eius corruptione, vt mentiuntur Sectarij.

Tandem formalis, & propria peccati huius ratio non conſiſtit in eiuſmodi corruptione, cuiuſmodi Antagoniſtæ confingunt: Aiunt enim originale peccatum aliud nihil eſſe, quàm totalem totius hominis, & omnium partiū eius, tam ſubſtantialium, quàm accidentalium corruptionem, eamque vſque adeò atrocem, & immanem, vt totus homo quantus eſt miſeranda quadam metamorphoſi in carnē omnis ſpiritus expertem, nec nō in fœdam quandam vitiorum ac ſcelerum omnium ſentinam demutatus, nihil poſſit aliud, nihil velit aliud, nihil ſtudeat aliud, quàm tota vi Deo, eiuſque legi aduerſari; quàm ipſum eundem toto corde odiſſe, ac verbum illius contemptui ducere; quàm, vt verbo abſoluam, perpetuò horrenda, nefariaque peccata horrendis nefarijsque peccatis accumulare.

Sectarij pdigioſa de orig. peccati natura & ratione ſtatuunt.

Et quò ſpectaculum hoc nuſquam non appareat horrendum, vereque tragicum, cęteris, quę pluſquam tragicè, imò pluſquam ſathanicè de ingenti peccati huius malitia, & grauitate euomunt, addunt exitiale peccati huius virus tam altis

ac firmis radicibus humanę naturæ infixum hęrere, vt nullo pietatis studio expungi, nulla Sacramētorum vi aboleri, nulla prece, aut precio in mortali hac vita queat redimi. Tum vnum hoc in causa esse, vt quicquid ex se hominis natura fundit, quicquid agitat, aut molitur, etiamsi is, qui aliquid agere instituit, sit iustus, hoc est, fide & charitate ad Christum adiunctus, se seque quanta vi potest ad aliquod sanctū opus in Dei gloriam perficiendum excitet, nihil aliud edere possit, quàm dirum ac capitale facinus, suapte natura, nisi per diuinam clementiam steterit, sempiterni ignis flammis dignum. Hæc illi, qui se solos post tot annorum hecatontadas peccati huius naturam depręhendisse gloriantur.

Orig. peccatum Sectariorum sententia est prorsus inexpiabile.

Quicquid homo molitur, peccatum est falsa Sectariorum opinatione.

Verùm quis hęc tam dira, ac tragica; hæc tam sathanica, & ab omni prorsus sensu, & ratione aliena, patiēti animo audire, nedum vt ipsissimum Dei verbum admittere valeat? Etenim si homo mortifero peccato perpetuò hęret obstrictus, si diuinę gratię nunquam verè sit affinis, si peccati huius malitia impeditus, officium nunquam facit, sed neque facere potest vnquam: quid aliud illi restat, quàm vt nolit velit in omne omnino ęuum pereat miserrimè?

Nemo fit saluus, si vera sunt, quæ Sectarij de orig. peccato prædicant.

Eccur, quæso, vnum hoc peccati genus tam atrociter exaggerant? Profectò non ideo hoc faciunt, quô prodigiosa illa auxesi Christi gloriam, eius've meritum illustrent: (Nam si alibi vsquam, hîc sanè plurimùm vtrunque obscurant. Quæ enim, aut quāta est meriti Christi energia, si tota sua vi vnum hoc peccatum abolere non potest? Docent nanque per regenerationis lauacrum tantùm radi, vel, ne in pœnam imputetur, solùm tegi, non etiam absumi.) sed quô insanos illos de libero arbitrio, de perpetua hominis seruitute sub peccato, de bonorum operum inefficacitate, de legis Christi, & naturæ impossibilitate, aliosque consimiles errores, quos miserę plebeculę pro ipsissimo Euangelio obtrudunt, faciliùs tueri, ac persuadere queant.

Sectarij nō exaggerārt orig. peccati malitiā, vt Christi gloriam amplificent, sed quô statuant suos errores.

At quibus, quęso, Scripturis tetrum hoc errorum chaos

firmāt? Nullis. Attamen ne hîc omnino Pythagorizare videantur, allegant illud Ecclesiastæ: Deus fecit hominē rectum, ipse autem infinitis quæstionibus semiscuit. Tum illud Genesis: Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. Tum illud rursum Christi: Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Tum illud tandem prophetę regij: Non est iustus, non est qui faciat bonum, nō est vsque ad vnum. Sed quid hæc ad rem? Siquidem quod ex Ecclesiaste adfertur, aut nihil omnino probat, aut non illud probat, quod isti instituunt. Cōstat enim pueros infantes nullis inutilibus quęstionibus se occupare, neque per ętatē occupare quoque posse: & tamen ab originalis peccati labe immunes nō nascūtur. Locus ex Genesi petitus causam tantùm, cur Deus Opt. Max. clementiùs, quàm peccata nostra promerentur, plerunque nobiscum agat, assignat.

Eccles 7. Genes. 6. Ioan. 3. Psal. 13.

Scripturæ, quas Sectarij pro se allegant, nihil ad rem faciunt.

Christi porrò Domini nostri oraculum, etiamsi simpliciter vt iacet exponas, causam nostram non grauat. Nihil enim ambigimus totum id carnem esse, quod ex sola carne gignitur; & totum rursum id spiritum esse, quod ex solo spiritu oritur. Sed nunquid, aut sola caro generat, aut sola quoque generatur? non opinor. Nam quod generat homo est, & quod generatur rursum homo est: Homo autem, nec tantùm spiritus est, nec solùm quoque caro est, sed vtrunque simul est: Qui id negat, Paulum & vniuersam Ecclesiam mendacij accusat. Nec enim in solis regeneratis pugna illa & lucta inter carnē & spiritum locum habent, verùm etiam in iniustis & peccatoribus: imò euidentiùs in illis. Viuit ergo & viget in iniustis & infidelibus quoque aliquis spiritus, alioqui omnis omnino pugnæ expertes viuerent.

Quod ex carne nascitur, caro est, sed nō sola, quia ex sola carne non oritur.

Lucta inter carnē & spiritū in omnibus mortalibus locū habet, & per cōsequens in omnibus est spiritus, etiā in peccatoribus.

Postremum solùm probat, nullum tam iustum, nullum tam cautum ac prouidum, qui, nisi gratia obstet, interdum non cespitet, non impingat, naturæ've impetui non cedat. nec hoc nos inficiamur, sed quid hoc ad rhombum?

Nemo tam cautè incedit, vt interdum non cespitet.

Quòd si qui primam fœdi erroris huius radicem quærant,

rant, illos equidem ad veteres Origeniſtas ablegandos exiſtimem. Nam cùm illi imaginis rationem ad hominis mentem, ad voluntatis libertatem, ad animæ immortalitatem, ad cœleſtis beatitudinis capacitatem, ad cætera, quæ homini intrinſeca, & propria ſunt, non referrent; ſed ad quædam externa, puta ad iuſtitiam, ad ſanctitatem, ad reliqua virtutum, ac donorum gratuitorum ornamenta: tradebant, prout falſo hoc fundamento iacto ſecùs tradere non poterant, imaginem Dei Adamo impreſſam per peccatum fuiſſe deletam, planéque extinctam.

Origeniſtæ Sectarijs errādi anſam hoc ipſo præbuerunt, ꝙ imaginis rationē præpoſterè interpretati ſunt.

Ex hoc ergo principio erroneo, & altero rurſum catholico ac vero, moderni Origeniſtæ hunc in modum paralogizant: Imago communi veterum ſententia, ad hominis eſſentiam pertinet: (hoc enim illi inter imaginem & ſimilitudinem diſcrimen aſſignant, quòd hanc ad gratiam, illam ad naturam referre oporteat.) Atqui imago Dei humanæ menti initio impreſſa, in ipſa, & ex ipſa per peccatum deleta & extincta eſt, Ergo peccatum vniuerſam hominis naturam corrupit, eiuſdemque ſubſtanriam prorſus euertit. Quòd ſi qui alium, aut veriorem, aut viciniorem huius erroris fontem compertum habeant, eum illi patefaciant: nobis ſat eſt, quid hac in re veriſimile videatur, indicâſſe. Nunc totalem illam totius hominis corruptionem, in qua illi propriam originalis peccati rationem conſtituunt, paucis expendamus.

Sectarij ex vna vera, & altera falſa paralogizāt.

Si ergo originis vitium formaliter, vt iſti dicunt, in totali totius hominis corruptione poſitum eſt, (Ego, inquit Muſæus, poſt Bucerum, Lutherum, & alios eius farinæ Sectarios, diſertè profiteor, originale peccatum eſſe totalem corruptionem, non tantùm accidentium in nobis, ſed etiam totius ſubſtantiæ, tam ſecũdùm materiam, quàm ſecũdùm formam. & paucis interiectis: Simpliciter affirmo originale peccatum eſſe totalem corruptionem totius hominis animę & corporis &c.) Si, inquam, originis vitium in totali totius hominis corruptione poſitum eſt, ergo ſubiecti expers eſt. nam vt to-

Muſæus contra Illyric.

Confeſſ. ſententia de peccato originali.

Totum corruptū nullius virtutis aut vitij subiectū esse potest.

tum corruptum nullius studiosæ, aut vitiosæ actionis, ita neque vllius quoque peccati, aut virtutis subiectum esse potest. Quòd si subiecti expers est, ergo peccatum non est, quia nusquam est. Sed seriò & ad rem propiùs.

Si prima legis pręuaricatio Adamum, & vniuersam illius posteritatem cum illo, & in illo secundùm corpus & animam, & totum illud, quod quouis modo in illo, vel illis existit, totaliter corrupit: aut corrupit illū corruptione physica & vera; aut corruptione metaphorica, vel similitudinaria, vel quocūque tandem nomine alteram illam appellare lubeat: (nō enim occurrit vocabulum aliquod ad rem hanc designandam satis idoneū) sed neutra corruptionis specie totaliter illū corrupit.

Peccatum nō corrupit Adamum physica corruptione.

Non physica & vera: certum est enim nullam omnino verę ac proprię rationis corruptionem contingere posse citra formę illius, quod corrumpitur, à materia diuulsionē. Quicquid enim quouis modo corrumpitur, semper per illius formæ, qua constabat, diuulsionem corrumpitur. Quare si primum primi hominis peccatum substantiam illius vera corruptione totaliter corrupit, necessum est, vt formā, quę ad naturę illius integritatem pertinebat, illi ademerit: At nullā eiusmodi illi ademit,

Adamus ante & post peccatum mansit idem specie & numero.

Adamus enim post admissum scelus non solùm superstes fuit, sed idem etiā, qui ante, & genere, & specie, & numero quoque fuit, permansitque constanter.

Si dicant, eodem illo momento, quo peccauit, atque ideo à priori forma excidit, alteram rursum formā in ademptæ locum fuisse suffectam: Quæro an forma suffecta eiusdem rationis fuerit cum pulsa, an diuersæ. Si eiusdem, nulla fuit causa, cur prior sede sua pelleretur: Si diuersæ, ergo Adamus ante & post peccatum non fuit eiusdem speciei: & per cōsequens homo non erit species infima, sed media. Sequeretur hinc quoq; non alium quàm ipsummet Deum totius huius prauitatis &

Solius Dei est instantaneè totū aliquod absoluere.

corruptionis authorem esse: Huius enim solius est totum aliquod opus instantaneè absoluere, vel totum in alterum permutare.

Præ-

Prçterea certò ſtatuere licet, primorum hominum lapſum non fuiſſe grauiorem peccato dæmonũ. Imò verò fuit hoc illo multò grauius: ſiue peccati grauitatem ex peccati genere metiare: ſiue ex peccantiũ cõditione: ſiue ex cuiuſcunq; alterius circunſtantię qualitate. In cõfeſſo eſt enim diabolũ mala fraude ab altero non fuiſſe circunuentum, Euam autem non ſpontè furentem, ſed ab ipſo deceptam mortis poculum hauſiſſe, hauſtumque incauto marito propinâſſe. Et tamen hoc tantum, ac tam enorme Angelorum peccatum, eorum naturam non corrupit, neque ſecundùm ſubſtantiam, neq; ſecundùm aliquam naturalem proprietatem. Siquidem, vt Dionyſius Areopagita docet, & Patrum conſenſus poſt ipſum confirmat, naturalia omnia Angelis manſerunt integra.

Primi hominis lapſus, diaboli lapſu non fuit grauior, ſed leuior.

Peccatum diaboli naturã non corrupit.

Imò verò tantum abeſt, vt primi parentis lapſus, nefarium illud dęmonum flagitium, malitia exceſſerit, vt non omnium quoque ſcelerum, quę in hominem cadunt, maximum extiterit. Planum eſt enim, hęreſin, blaſphemiam, cœleſtis numinis contemptum, eiuſdemque odium, & cętera omnia, quę contra æternam Dei legem committuntur, ſuo genere multò grauiora eſſe illis, quę contra legem diſciplinæ, aut quodcunque iuris poſitiui prçceptum deſignantur. Aequè certum eſt, qui peccant ex contemptu, vel ex certa malitia, quales ſunt, qui ipſummet Dei contemptum, vel ipſammet numinis offenſam peccati ſui obiectum conſtituunt, longè nequiùs peccare, quàm qui ex quadam mentis præcipitatione peccant, etiamſi non adſit intellectus error, aut carnis infirmitas. Adam autem neque ex contemptu, neque ex malitia, neque contra ius naturæ, aut æternam Dei legem peccauit, ſed tantùm contra legem diſciplinæ.

Adami ſcelus non exceſſit omne ſcelus, quod in hominem cadit.

Grauiùs peccat, qui ex cõtemptu peccat, quàm qui ex quadam mentis præcipitatione.

Cùm ergo odium, vel contemptus Dei, hęreſis, infidelitas, blaſphemia, & illa quoque flagitia, à quibus genus noſtrum abhorret, hominis ſubſtantiam non corrumpant, ſed neque in minimo quoque corrũpere queant: (Nam ſi peccatum quantumlibet enorme aliquid ſubſtantiæ adimeret, aut etiam adi-

Nullum peccatum quantũlibet enorme corrũpit hominis naturam.

mere poſſet, multa, & grandia vniuerſam tandem hominis naturam abolerent) nullo modo exiſtimandum eſt interdictę eſcæ abuſum protoplaſtorum ſubſtantiam, aut corrupiſſe, aut in alteram demutâſſe. Denique ſententia hæc de phyſica hominis corruptione per peccatum, & propter peccatum adeò abſurda eſt, vt nullos, præter illos, qui abſurdiſſima quęque oraculorum loco habere ſolent, ſectatores habere exiſtimem. Quare non eſt vt pluribus hanc vrgeam.

Dicent ergo tragici illi, vel ex illis ſaltem aliqui, peccatum non phyſica, ſed quadam metaphorica corruptione ſecundùm omnem ſui partem hominis naturam corrupiſſe. Dicent, inquam, Adamum cum tota ſua poſteritate hactenus totaliter, ſecundùm materiam & formam, ſecundùm ſubſtantiam & accidens corruptum dici, quatenus pręclaris illis virtutum ornamentis, quibus initio ſplendebat, exutus in extremam deiectus eſt ignorantiam, impotentiam, vanitatem, malitiam, mentiſque cęcitatem, & impuritatem. Audio quid exponant. Sed illa interim expoſitio apertè oſtendit Gloſſatores illos, errorumque architectos, vel fœdiſſimè labi, vel certè impropriiſſimè loqui.

Quid ſit hominē metaphorica corruptione corruptum dici Sectariorum interpretatione.

Quod vt clarè perſpiciatur, quęro ex illis an illa ornamenta, illæ dotes, illę pręrogatiuę, fuerint tandem quantęcunque, & qualeſcunque voluerint, aut potuerint, pertinerent ad intrinſecam ipſius hominis, vel animæ eiuſdē rationem; an verò non ad ipſam animæ naturam, aut quidditatē, ſed tantùm ad quendā externū illius ornatū. Quòd ſi ad animę ſubſtantiam ſpectâſſe reſpondeant, quacunq; demū ratione ad illam ſpectauerint, citra manifeſtum illius interitum ab ea ſeiungi non poterant. Nec hoc in quęſtionem cadit: Nulli enim rei adimi poteſt, quod ad quidditatem illius pertinet, citra certam eiuſdem internecionem. Si verò illa ornamenta ad animę naturam non pertinebant, ſed extrinſecus illi aduenerant, vt reuera aduenerant: quo modo abſceſſu ſuo corruperunt totam illius ſubſtantiam, & omnes illius vires;

Diuiſione oſtenditur, peccatū non corrupiſſe hominē, ne metaphorica quidē corruptione ſecundùm ſubſtantiam.

res; imò totum hominem, tam ſecundùm materiam; quàm ſecundùm formam; tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm ſecundum accidens?

Dicent forſan, ea ornamentorum, vel prerogatiuarum deſpoliatione, non ipſam animæ ſubſtantiam ſecundùm ſe fuiſſe corruptam, ſed integritatem, vel ſanitatem illius fuiſſe læſam. Sed hęc exceptio in eaſdem penè difficultates incidit. Nam vt duplicia animæ ſunt ornamenta, ita geminam quoq; eidem ſanitatem aſſignare licet: eſſentialem vnam, accidentariam alteram. Id κατ᾽οὐσίαν integrum, vel ſanum dicitur, cui nihil deeſt ex illis omnibus, quæ ad illius quidditatem, vel naturam depoſcuntur: Porrò id κατὰ συμβεβηκὸς ſanum cenſetur, quod externo ſuo ornatu, aduentitia've perfectione non deſtituitur. Si ergo de prioris ſanitatis, vel integritatis ratione loquantur, clarum eſt eā anima ſalua abſcedere nequiuiſſe. Si autem de poſterioris ſanitatis genere id aſſerūt, imperitiſſimè ineptiunt. Nā vt externa illa ornamēta, vel externa illa perfectio animę iam perfectæ, & in ſuo vigore conſtitutæ acceſſerant, (priùs enim naturâ anima fuit, quàm ornata fuit) ita eâdem illa per omnia incolumi denuo abſcedere poterant. Sed & illa ipſa quoque integritas non potuit adimi, niſi à Deo, qui non eſt author peccati. Adā enim, neq; ademit, neq; ademptā voluit, niſi forſan meritoriè. Tandē ſi homo eo corruptionis genere totaliter ſecundùm ſubſtantiā eſset corruptus, nihil vnquā de ſe fundere poſset, niſi merā corruptionē, hoc eſt, merā peccatorū ſaniē. Hoc aūt etſi Aduerſarij nō inuitè cōcedāt, ſalua tamen pietate & veritate nullo modo concedi poteſt.

Alia Sectariorum totalis illius totius hominis corruptionis interpretatio, ſed æquè inepta.

Duplex integritas, vna eſſentialis, altera accidentaria.

Prius naturâ fuit anima, quàm ornata fuit.

Eaſdem difficultates, & abſurditates offerunt horrendę illæ peſtes, ac ſcelerū portenta, quæ in ſubmotarū virtutū, vel ornamentorū locū ſucceſsiſse pleriq; ex illis contendunt. Aut enim per tetras illas animæ peſtes, ac ſcelerum monſtra, intelligunt reales aliquos habitus, aut nudam tantùm eorum ornamentorum, virtutum've, quæ ante peccatum inerant, priuationem. Si aliquos habitus, vel qualitates, Deū vtiq; totius huius

Aequè abſurda ſunt, quæ de ſcelerum horrēdorum in depulſæ

iustitiæ locũ suffectione vel successione Sectarij scribunt.

huius corruptionis,vel deprauationis authorem faciunt,siquidem omnis omnino qualitas, & entitas à Deo existit: Sin autem meras nudasque priuationes, non vera monstra, sed quędam tantùm inania ac terrifica monstrorum nomina iactant. Quippe cùm ea priuatio aliud nihil sit, quàm quædam tantùm naturæ solitudo, ac denudatio: quæ & ipsa quoque non aliunde est, quàm ab eo, qui sustulit habitum, nempe à Deo. Mitto hîc,eadem illa primæuę iustitiæ ornamenta (de illis enim ipsi agunt) & nunc maiorem in partem deesse iustis, & illis quoque defutura esse, qui in puris naturalibus conderentur: & tamen nulla, neque in istis, neque in illis sunt, essent'ue scelerum monstra,aut tetræ animorum pestes.

Sed disputationis causa donetur Antagonistis ad tempus tales animorum pestes,taliaque scelerum prodigia, atque adeò totalem corruptionem, vt ipsi loquuntur, statim post violatam legem quasi impetu quodam facto in primi parentis animum irruisse.(Erat enim illius peccatum personale,& grauissimum, non originale, vt nostrum.) At per quod ostium, quæso, eadem illa scelerum phalanx, totalisque corruptionis calamitas illabitur in filios Adę ? Nunquid ea per corpus deriuatur in animam,an contrà per animam in corpus, an in vtrunque per vtriusq; inter se copulam, an verò per aliquam aliam fenestram transmittitur in totum hominem ?

Quæstionem habet non facilẽ, qua via ea scelerum phalanx, quã orig. peccato assignant Sectarij, irruat in hominem.

Sanè non transfertur per corpus in animam : Corpus enim tale est,qualia sunt principia, ex quibus intrinsecè conflatur, quæ vtique suapte natura fluxa,caducaque, & mutationi obnoxia sunt. Causæ autem eiusdem externæ sunt Deus, homo, & astra,ex quibus non trahit corruptionem, aut non esse, sed esse. Fertur illud in suauia sanè,sibique commoda : verùm secundùm se absolutè consideratum non magis hoc impetu peccat ac pecus,quod famelicum, aut sitibundum pręceps in cibum,aut potum rapitur : etiamsi illa ipsa,in quæ fertur,iustitiæ essent aduersa. Tandem sit corpus qualecunque visum fuerit,certum est, antequam rationali anima perficiatur,nihil in

Non transfertur per corpus in animã ea vitiorum colluuies.

Corpus hominis secundùm se sumptũ,nec peccat,neq; peccati capax existit.

eo existere, neque existere quoque posse, quod Deo sit exosum: Deus enim solum peccatum odit, & peccatorem propter peccatum, cuius corpus secundùm se capax non existit.

Pestes illæ, quas Sectarij orig. peccati nomine cōprehendunt, ex anima in corpus non deriuantur.

Sed neque ediuerso quoque per animã transfertur in corpus. Anima enim non corrumpit corpus: neque corruptione naturę, neque infectione quoq; culpæ. Imò verò corpus secundùm se imperfectũ, per animæ aduentũ perficitur. Et quo, obsecro, contagio, aut toxico anima ex se totum corpus inficere, aut totaliter illud corrumpere queat; vt maximè illud studeat? Etenim ipsa tota procreatur à Deo, & priùs quidem naturâ creatur, & priùs quoque perfectionis ordine existit, quàm corpori infundatur, eidem've vniatur: prout omnis omnino causa naturâ prior est suo effectu. In illo autem priori talis vtique est anima, qualis procreatur à Deo: & quicquid interim obtinet, hoc totum à Deo obtinet. Atque ideo in illa naturæ prioritate ab omni prorsus peccati infectione libera, immunisque existit: aliâs enim peccatum à Deo esset. Nullam itaque labem, aut corruptionem corpus contrahit ex anima.

Anima corpus inficere non potest, vt maxime velit.

Iam si neutrum horum ex se, ac secundùm se seorsum sumptum totaliter est corruptum; nec alterum rursus secundùm substantiam corrumpit alterum: profectò quod formali, ac naturali eorum inter se vnione constituitur, omnis substantialis corruptionis expers erit. (de hac enim hìc agitur ex instituto, non de aliqua peccati labe.) Nam vnde, quæso, talismodi corruptio proueniret? Tale enim est totum, quales sunt partes, ex quibus conflatur: Nisi forsan in ipsa vnione aliquis error, aut vitium aliquod committatur: Siquidem artificis inscitia ex bona farina insipidus interdum panis conficitur; & ex bono panno deformis nonnunquam toga. At id hìc locum non habet: quandoquidem qui has partes inter se coniungit Deus est: Hic enim solus corpori iam organizato, & quantum sat est, perfecto infundit animam. Cùm ergo hęc ita habeant, ineptiunt prorsus, qui origi-

Non contingit substantialis illa corruptio ex partium inter se vnione.

Solus Deus coniungit animam cum corpore.

nis peccatum per totalem totius ſubſtantiæ,& omnium partium illius corruptiônem definiunt.

Inſaniũt, qui orig. peccatũ hominis ſubſtantiam eſſe dicunt.

At multò verò magis inſaniunt, qui originis peccatum ipſammet hominis ſubſtantiam, vel ipſammet hominis animam, vel ipſummet hominis cor eſſe contendunt. Ego, inquit Flacius, oſtendi in libello, cui titulus, Angelus tenebrarum, & in alijs meis ſcriptis Lutherum ſtudio, & ex profeſſo iſtam Sophiſtarum ſententiam oppugnâſſe, & contendiſſe originale peccatum non eſſe accidens, ſed quiddam de eſſentia, & natura: Imò eſſe ipſam eſſentiam, ac naturam hominis, denique eſſe ipſum cor, ipſam rationem cum omnibus optimis viribus. & paucis interiectis, ſubdit: Articuli Schmalcaldici etiam largiùs, quàm ego, loquuntur. Dicentes verum peccatum, ſeu de quo pœnitere, & condonationem petere debeamus, eſſe id totum, quod homo eſt. Hæc ibi Illyricus, quæ alibi ad nauſeam vſque inculcat, & repetit. Totus enim in hoc eſt, vt perſuadeat originis peccatum non eſſe aliquod accidens, ſed ipſam hominis ſubſtantiam, vel eſſentialem eiuſdem hominis formam.

In refut. cõt. Muſæum.

Illyrici ſententia de originis peccato.

Eſt autem hæc Illyrici phantaſia (ſi tamen id ille verè ſenſit, ſerioque tueri voluit, quod verba illius vbique diſertè ſonant; quodque Conſectarij eiuſdem citra vllam hęſitationem aperti erroris in illo condemnant) vſque adeò delira, ac phantaſtica, vt eam in proſcenium adduxiſſe, ſit quodammodo refutâſſe. Etenim ſi originis peccatum eſt ipſamet hominis ſubſtantia, vel ipſummet hominis cor, vel eſſentialis eiuſdem forma, (quæ vtique alia non eſt, quàm anima mente & ratione prædita) non poterit profectò alium, quàm ipſummet Deum, authorem habere: quippe cùm quicquid vſquã ſubſtantiarum extat, ſiue id materia ſit, ſiue forma, ſiue quippiam ex vtroque conflatum, totum hoc integrè ex vno hoc fonte dimanet. At quis, niſi mentis ſenſu penitus deſtitutus, Deum id velle, vel etiam efficere, dicere audeat, quod ille tam

Illyrici phãtaſia de orig. peccato, ad deliriũ vſque phãtaſtica eſt

Omnis omnino ſubſtantia à Deo eſt, nec aliunde eſſe poteſt.

incen-

incensè odit, vt cætera omnia quæcunque tandem odit, huius vnius causa odio habeat? Nec enim quicquam omnino est quod, vel in homine, vel dęmone auersetur Deus, nisi peccatum: vt quod vnum ipsum hominem & dæmonem ab ipsius bonitate auertat; cumque honore, & reuerentia, quæ ab omni creatura iure illi debentur, hostiliter pugnet; ac nullum tandem ordinem, nullum modum, aut speciem in se contineat.

Quicquid Deus odit, solius peccati causa odit.

Peccatum ordinis, modi, & speciei expers est.

Quòd si Deum peccati huius authorem negant, vt fortè negant, diabolum pessimæ huius substantię, vel formę architectum definiant, oportet: (Neque enim credibile fit eò vesaniæ progressos, vt castissimas illas ac sanctissimas mentes, quos Angelos dicimus, cuiusque peccati authores pronuncient) atqui diabolum quarumcunque substantiarum opificem effingere, aliud nihil est, quàm manifestè insanire.

Apertè insaniunt, qui diabolum cuiuscunq; substantiæ cōditorem statuunt.

Dicent fortè, diabolum non esse substantiæ, vel naturæ authorem absolutè, sed tantùm pessimę huius substātię, vel pessimæ huius formę. Verùm dum hoc dicunt, nouū inscitiæ suę testimoniū proferūt. Nā si peccatū, quod ipsa origine ex Adamo trahimus, substātia est, pessima substātia nō est, imò ne mala quidē est. Est enim omnis omnino substantia bona, nec vlla omnino potest esse mala, vt substātia est. En in quas difficultates sese conijciant, qui originis peccatum ipsissimam hominis substantiam, vel ipsissimam hominis formam esse nugantur. Sed nunquid in has solas? nequaquam.

Si orig. peccatū substantia est, pessima substātia non est: imò ne mala quidem est.

Etenim si originis vitium est ipsamet hominis substantia, vel essentialis eiusdem forma ab ea, quæ primo homini in ortu suo obtigerat, planè diuersa: vndecunque tandem forma hæc fluxerit: (Nam hoc ad paradoxa, quæ inferre hinc licet, impertinens est) consequens fit Adamum ante & post patratum peccatum non vnius eiusdemque speciei extitisse, sed diuersæ. Siquidem essentialis forma rei, cuius forma est, esse specificum largitur. Vbi ergo diuersæ adsunt essentiales formę, ibi diuersę quoque rerum species constituantur, necessum est.

Si orig. peccatum esset ipsa essentialis hominis formą, Adam ante & post peccatū nō fuisset eiusdē speciei.

Ex Illyrici cómento cõsequitur, iustos & iniustos specie inter se differre.

Ex eodem illo παραδοξοτάτῳ principio conficitur rursum, fideles & infideles, iustos item & iniustos specifica ratione inter se differre. Nam cùm per Baptismi energiam, aut fidei virtutem, vt ipsis magis probatur, pessima hæc forma aboleatur, aliaque noua & bona creetur & infundatur, & illa quoque essentialis; vel nihil video, vel noua hîc hominum constituetur species. Atque ita vniuersa Philosophia, & Theologia quoque reclamante, iusti & iniusti sola materia, vnde genus peti solet, inter se communicabunt.

Flacianorum commentum exponit oẽs damnationis discrimini.

Quòd si per fidem, vel fidei Sacramentum pessimam hanc formam, quæ Deo exosos nos reddit, diaboliqúe imperio ac potestati subijcit, in mortali hac vita aboleri posse negent, atque ita specificam vnitatem conseruari contendant: videant ne hac sua responsione communem de omnibus damnationis sententiam proferant. Impossibile est enim hominem Deo exosum, & pessima illa forma deformatum, cœlesti beatitudine potiri.

Rom. 5.

Flaciani plus tribuunt nostræ morti, quàm vitę aut merito Christi.

Respondebunt fortè, pessimam hanc formam per mortem aboleri. Video quid respondeant, at interim admirabile quiddam videri potest mortem, quæ peccati huius proles est, (per peccatum nanque mors intrauit in orbem) nec aliud quàm mera vitę priuatio est, id sua vi efficere posse, quod fides, vel Sacramentum, vel Christi passi meritum non potuit.

Ex Illyrici principijs cõficitur, qui peccato inter moriuntur, simul mortali hac vita defungi, atque adeò geminã carnis resurrectioné confiṅgẽdã esse.

Conficitur hinc tertiò, quicunque per Christi gratiam iustificantur, eos non solùm peccato, sed hac quoque nota & animali vita defungi: Siquidem essentialis formæ abscessum, compositi interitus necessariò comitatur. Quòd si hominem verè quidem corrumpi, statim tamen, & quasi temporis puncto denuo instaurari responsitent: geminam mox carnis resurrectionem nobis obtrudent; vnam in hac vita solis iustis propriam, alteram in fine mundi omnibus communem.

Consequitur hinc postremò, (nam singula paradoxa, quæ

ex bello illo cõmento inferri possent, hîc inferre, vel etiam referre nullum est operæprecium) nos per Christũ Iesum nondum verè redemptos esse. Quandoquidẽ id solum, iuxta sanctorum Patrum traditionem, redemptum est, quod à Verbo assumptum est. Cùm ergò Verbum pessimam illam formam non assumpserit, fit vt speciem, quę per pessimam illam formam constituebatur, non redemerit quoque. Atque ita vniuersum mortalium genus, quod cum forma hac pessima nascitur, etiamnum peccato obstrictum hęrebit. At hæc omnia sunt perabsurda, & in Christum, eiusque meritũ apertè contumeliosa.

Si quæ Illyricani de orig. peccato prædicant, vera sunt, mortales per Christi sanguinẽ nondum redempti sunt.

Quòd si non de substantiali totius hominis forma, sed tantùm de essentiali ipsius animę actu hęc se statuere dixerint; primò insignis inconstantiæ testes de se producunt. Nam alibi, & id quidem frequenter, & clarè, pessimam hanc substantiam non partis alicuius præcisè, sed totius hominis formam; imò verò ipsam hominis naturam esse garriunt. Deinde in nouas rursum difficultates, & absurditates se coniiciunt. Quandoquidem si pessima hæc substantia est essentialis animę forma, sequitur animam rationalem non esse substantialem hominis formam: formæ enim non datur alia substantialis forma; nam aliâs daretur processus in infinitum. Sequitur nihilominus eandem illam animã, tam intra, quàm extra corpus esse quoddam perfectum ac totum per se subsistens: quod ipsum denuo confirmat, non esse proprium humani corporis actum. Sequitur tandem, animã hominis interitui obnoxiam esse: Fatentùr enim formam illam pessimam tametsi essentialem ab ea seiungi posse. Ad formę autem amotionem necessariò consequitur interitus: Substantíæ quidẽ, si separetur, substantialis; accidentis verò accidentaria. Postremò absurda, quę suprà percensuimus, non euadunt. Nam cùm hæc animæ forma sit, quędam quoque substantia, à Deo, vel diabolo producta sit, necessarium est.

Flaciani assignata incõmoda nõ vitant, sed augẽt, dum sententiã suam ad animę formam astringunt.

In similia incommoda incidẽt, si originis peccatum, neque

In eadem absurda incidũt Illyricani, si orig peccatũ nobiliorem, vel potiorem animæ facultatem dixerint.

animam, neque animæ formam, sed nobiliorẽ, vel potiorem illius vim, vel partem esse defendant: puta mentem, vel rationem, vel liberum arbitrium, vel aliquid aliud eiusmodi. Siquidem omnis omnino essentialis mutatio, quę in formam inciderit, speciem necessariò mutat. Habent se nanque formæ, & species hinc constitutæ, vt numeri, quibus vtique nihil addi, nihil adimi potest citra numericę speciei mutationem. Igitur vt denario binarium adimẽs constituis octonarium, & eidem rursum denario vnitatem adijciens, absoluis vndenarium: ita si homini ademeris mentem, aut liberum arbitriũ, aut vnicum ex omnibus sensum, ita vt eum nec habeat, neque secundùm naturę suę conditionem habere queat, totam mox hominis speciem sustuleris. Siue ergo integram hominis substantiam, siue partem huius substantię originale peccatum Flaciani appellent, non possunt in hæc, quę diximus, absurda non impingere.

Naturæ rei nihil essentiale potest addi, vel adimi, citra specificam illius mutationem.

Licuisset pluribus prodigiosi dogmatis huius absurditatem ostendere. Verùm quòd ipsimet Lutherani magna contentione illud impugnent, & iam certam sibi de hoste quantumlibet pugnace & pertinace victoriam polliceantur, nolumus hanc illis arenam turbare. Solùm monuerim, cautione opus hîc esse, ne suis se mucronibus conficiant, hoc est, in errorem Illyricano cognatum impingant. Certum est enim, non modò substantias, omnesque substantiales partes, & proprietates à Deo Opt. Max. fluxisse, ac porrò fluere, sed omnia quoque vera, & realia accidẽtia. Credimus enim Deum omnium simpliciter, hoc est, aspectabilium & inaspectabilium, per se subsistentium rursum & alteri inhęrentium, totius denique & partium omnium conditorem esse. Nequaquam fas est, inquiebat Augustinus, vllius naturæ quantumlibet minimæ mortalisque creatorem, nisi Deũ credere ac dicere, etiam antequam possit intelligi.

Lutherani se inuicem oppugnant.

Deus substãtiæ & accidẽtis, totius & partis est cõditor.

Lib. 12. c. 24. de ciuit.

Cùm ergo plerique ex illis, qui Flacianos impugnant, originis peccatum aliquod reale accidens esse, cõcedere videantur:

tur: caueant ne Illyricani omnia illa tela, quibus à Symnyſtis ſuis impetuntur, in illorum capita retorqueant. Nouimus malum hoc accidētis appellatione deſignari poſse. Accidit enim homini formale huius peccati, quodcunque tandem illud ſit. Vnde etiam diuus Auguſtinus, & alij quoque Patres accidentis vocabulo non infrequenter in hac materia vtuntur: ſed accidentis prędicabilis, non etiam prędicamentalis, vt in Scholis loquimur. Originis itaque peccatum, neque ſubſtātia eſt, neque aliquod reale, aut prędicamentale accidens eſt, neque aliquod denique eorum omnium, quę hactenus reiecimus, vel impugnauimus, formaliter eſt.

Flacianorum Symmyſtæ & Antagoniſtæ in eundē ferè cū Flacianis lapidem offendunt.

Orig. peccatū neq; ſubſtantia eſt, neque aliquod prædicamentale, vel reale accidens eſt.

At iure meritoque hîc nobis obieceris: Si originis peccatum non eſt ſubſtantia, neque aliquod verę rationis accidens, neque aliquod denique eorum omnium, quę huc vſque, vel vt falſa, vel vt minùs probabilia reiecimus, in quo ergo formalis illius ratio præcipuè conſiſtit? Sanè quod de alijs quibuſdam dici ſolet, hoc & de hoc ipſo quoque peccato veriſſimè dici poteſt: nempe multò faciliùs explicari quid nō ſit, quàm quid ſit. Eſt enim res non parum abſtruſa, & à vulgarium hominum ſenſu procùl poſita. Eſſe, & omnibus, qui ex Adamo oriuntur, ineſſe, Scripturę ſacrę prędicant: prędicant idem quoque Patres, & Synodi œcumenicæ: Quid autem ſit formaliter, id aut non explicant, aut non ea perſpicuitate explicant, quæ omnem mox ſcrupulum omnibus eximat.

Faciliùs explicatur, quid non ſit orig. peccatum, q̄ quid ſit.

Veruntamen quia & hîc quoque certi aliquid pronunciandum eſt, (eſt enim vnus hic pręcipuus diſputationis huius locus) ſimpliciter cenſeo inter omnes, qui de hac controuerſia ſententiam tulerunt, eos propiùs ad veram, & intrinſecam peccati huius vim, naturam, & quidditatem accedere, qui propriam ac formalem vitij huius rationem, in quadam habituali mentis à Deo auerſione, & ex conſequenti, in quadam inordinata eiuſdem ad caducas iſtas & fluxas res conuerſione, (hæc duo enim ſe inuicem conſequuntur) ex Adami peccato in natura noſtra relictis & infixis, conſtituunt. Siue habitualem

Intrinſeca orig. peccati vis in quadā habituali à Deo auerſione poſita eſt.

lem illam, hoc est, fixam, constantemque à Deo auersionem, & ad creaturam conuersionem, cum diuo Augustino reatum vel maculam: siue cum Arausicana, & Tridentina Synodo animæ mortem: siue cum quibusdam Scholæ Theologis originalis iustitiæ priuationem: siue alio quocunque eiuscemodi nomine rem hanc appellare, aut oratione definire lubeat.

Quô hęc de formali peccati huius vi & ratione sententia, quam verissimam existimo, certior explicatiorque habeatur, vnum hîc vt certum, ac indubitatum in morali Philosophia principium ponere oportet: nempe in quouis commissionis peccato duo cōperiri, ipsi peccato quàm maximè intrinseca: Alterum, quod se habet per modum materiæ: Alterum, quod per modū formæ. Materiale peccati est ipsa vitiosi actus substantia, vel ipse actus vitiosus secundùm se absolutè consideratus: vt, exempli causa, rei alienę ablatio: cibi lege interdicti vsurpatio, vel aliud quiduis eiusmodi. Formale aūt peccati est ipsa operis vel actus deformitas, vel obliquitas: aut ipsa ornatus, vel ordinis, vel rectitudinis, quę vel quā actui adesse oportuit, priuatio. Nam vt actio regulę suę consentanea, hoc est, ad regulę suę modū expressa, est bona: ita legi, vel regulę suę dissentanea, hoc est, à regulę suę ratione exorbitans, est mala.

In quouis cōmissionis peccato comperiūtur duo, actus nimirum, & actus deformitas.

Cùm igitur omnium humanarum actionum regula, amussisque certissima sit diuina voluntas, (bonum vtique modis omnibus infinitum, ac nulli prorsus mutationi, aut obliquitati, aut deformitati obnoxium) consequens fit vnumquodque hominis opus, hactenus rectum, ac laude dignum iure censeri, quatenus cum prima hac, & inobliquabili regula per omnia consentit: hactenus rursum obliquum, & vitiosum, quatenus ab hac ipsa amussi, vel regula dissentit. Quamobrem vbicunque abest omnis omnino à summa illa, & indemutabili lege, quæ Deus est, auersio, ibi omne quoque abest peccatum: & ediuerso vbicunque occurrit aliqua istiuscemodi à prima illa regula, vel lege deflexio, ibi necessariò obtinet aliquod peccatum, vel vitium.

Humanarū actionū amussis certa diuina voluntas.

Vbicunq; occurrit exorbitatio à prima regula, ibi necessariò occurrit peccatum.

Rectè

Rectè hæc, inquis: at nondum formalem originalis peccati rationem hinc satis apertè colligo. Nec enim infans scelere aliquo à summa illa lege, vel regula quandoque sese auertit, aut ad bonum caducũ, præter rationis ordinem aliquando sese conuertit, vt ob id peccato obstrictus nasci verè dici queat. His igitur, quę de duplici peccati parte, altera materiali, altera formali, modò exposuimus, adde: scelere perfecto, actuque peccaminoso iam absoluto, elapsoque, authorem illius tantisper adhuc peccato obnoxium teneri, vereque peccatorem esse, & peccatorem dici, donec per Christi gratiam absoluatur, & à contracta labe emundetur. Nam vt actu, dum scelus patrabat, à Deo sese auertebat, & ad rem, quã Deo potiorem ducebat, turpiter sese conuertebat, abijciebatque: ita absoluto iam crimine per modum habitus à Deo auersus, rebusque caducis, quas Deo antepofuerat, affixus hęret.

Infans nullo proprio actu, vel scelere à diuina lege sese auertit.

Scelere perfecto, sceleratus tantisper peccato hæret obstrictus, dũ Deo per pœnitentiam reconcilietur.

Hoc autem constituto, ex superioribus tandẽ repetas vniuersam humani generis naturam in Adamo, dum actu transgressus est legem, tanq̃ in capite extitisse; atque adeò omnes nos non quidem verè, ac propriè, (nec enim verè, ac propriè per id tempus adhuc existebamus) sed potẽtia tantùm, ac virtute, vel quadam quoq; iuris fictione per eũdem illum Adamicę pręuaricationis actum Dei legem perfregisse, ac testamentum illius, vt Scriptura loquitur, dissipâsse. Atque ita clarè, & quasi ad oculum perspicies auersionem illi ipsi, quæ post peccatum admissum in Adamo reliqua erat, haud dissimilem per modum habitus, hoc est, fixè, perseueranterque in natura, quam per generationem participamus, relictam, propriè ac formaliter nostrum originis peccatum esse.

Vniuersa humani generis natura extitit in Adamo peccãte, vnaque cum illo & in illo peccauit, & maculam contraxit.

Genes. 17.

Dixerim autem auersionem illi ipsi, quæ perfecto scelere Adamo adhęrebat, haud dissimilem, non etiam parem, aut ęqualem, generéve, aut specie eandẽ. Nam vt Christi Redemptoris iustitia, quæ per regenerationis lauacrum in nos deriuatur, multò in illo extat perfectior, & absolutior, quàm in nobis adoptiuis illius filijs: ita macula illa multis partibus in

Macula, vel auersio post patratũ scelus in Adamo fuit maior, q̃ est in illius posteris.

O Adamo

Adamo extitit deformior, & grauior, quàm in nobis naturalibus eiusdem filijs. Vnde hæc dissimilitudo? Inde nimirum, quia nostra non proprio aliquo ac personali scelere, vt illius, conflatur, sed ipso ortu contrahitur.

Post scelus patratum gemina, secundùm rationẽ in Adamo reliqua fuit macula, vel auersio.

Clariùs aliquanto discrimen illud edisseram, facit enim ad rem non parum. Aduerte ergo post legis præuaricationem geminam secundùm rationem auersionem, vel maculam per modum habitus in Adamo reliquam fuisse: Vnam personæ, alteram naturæ. Hæc illi adhærebat, vt erat commune totius naturæ principium: Illa verò, vt erat priuata quædam persona. Personalis macula, quòd proximè ex prauo ipsius Adami actu esset conflata, ipsumque formaliter peccatorem denominaret & constitueret, per generationem in nos non transmittitur; neque est nostrum originale peccatum. Aliâs enim nostrum originale & Adami personale eiusdem prorsus rationis, & quantitatis forent, quod est absurdum. Macula autem, vel auersio naturæ, quæ est proximus personalis auersionis effectus, infelixque eiusdem fœtus, vna cum ipsa natura tanquam naturalis quædam eiusdem naturę proprietas per generationem in nos transfertur, & formalem in hoc nostro originis vitio rationem obtinet; nosque formaliter & propriè ante regenerationem peccatores denominat.

Personalis Adæ macula in illius posteritatem per generationẽ nõ transmittitur.

Macula naturæ, hoc est, auersio Adami vt erat communne naturæ principiũ, per generationẽ in nos transmittitur.

Neque mirum videri debet illud nostrum esse originale formaliter, quod formalis auersionis Adæ effectus extitit. Quandoquidem peccata hæc sunt primo diuersa, sola nominis analogia inter se conuenientia. Alterum enim, vt modò dicebatur, proprio actu asciscitur: alterum verò ipso ortu contrahitur.

Peccatũ orig. & personale, nec genere, nec specie inter se conueniunt.

Ex hac explanatione, & duplicis maculę distinctione planum euadit, quæ de originalis peccati natura, & quidditate hactenus exposuimus, ea cum illorum opinione, qui in originalis iustitiæ priuatione formalem peccati huius rationem collocant, non tam sententia, quàm loquendi ratione pugnare. Nam si voluntas per gratiam, quam ipsi originali iustitiæ,

Qui orig. peccati vim in habituali à Deo auersione, & qui in

vel

vel eſſentialiter incluſam, vel radicaliter ſubſtratam fuiſſe tradunt, formamque illius appellant, cum Deo coniuncta, aut ſecundùm ſe recta non eſt; ab eo auerſa, & ad terrena inflexa ſit, neceſſum eſt. Si, inquam, formalis originalis iuſtiæ ratio poſita erat in perfecta, plenaque voluntatis rectitudine, amicaque, ac beneuola quadam eiuſdem cum Deo ſocietate, atque cōiunctione; materialis verò in recto inferiorum virium ordine, perfectaque earundem cum ratione & voluntate concordia & pace: profectò originis peccatum, quod originali iuſtitiæ quaſi exaduerſo opponitur, formaliter in habituali quadam voluntatis à Deo auerſione, vel elongatione, vel abalienatione conſiſtet: Materialiter verò in turpi quadam inferiorum virium perturbatione, pertinaciq́ue earūdem contra rationem & voluntatem pugna, ac rebellione.

Orig. iuſtitiæ priuatione collocāt, verborū forma veriùs inter ſe diſcrepāt, q̃ ſententia.

Hoc tamen ſentētię illę inter ſe diſſident, quòd altera proximam peccati huius cauſam veriùs aſſignare videtur, quàm intrinſecam illius rationem: Siquidem ex gratiæ, & iuſtitię priuatione, quam paſſus eſt primò Adamus, & nos omnes in illo, proximè conſecuta eſt habitualis illa animorum abalienatio, & voluntatis à Deo auerſio: hinc verò inferiorum virium rebellio, ac perturbatio. Sunt ſanè hęc omnia indiſſociabili quadam copula in ſe apta, atq; connexa: attamen copula illa non obſtante, ſingula certū inter ſe ordinē ſortiuntur. Nam ex perpetrato ſcelere, nata eſt iuſtitiæ & gratiæ priuatio: ex hac autē priuatione eueſtigio conſecuta eſt habitualis illa voluntatis à Deo auerſio: inde tandem profecta eſt fœda illa virium omnium tum ſuperiorū, tum etiam inferiorum rebellio, & perturbatio. Atq; vnam hanc cauſarum ſeriem, effectuumq; inter ſe cohęrentiam, ac mutuam dependentiam tot opinionibus, quot de intrinſeca peccati huius ratione emerſerunt olim, & ſubinde adhuc emergunt, nō minimam cauſam ſubminiſtrâſſe crediderim.

Orig. iuſtitiæ priuatio veriùs eſt orig. peccati cauſa, quàm ipſum ſecundùm ſe orig. peccatum.

In orig. peccato obſeruare licet variam cauſarum & effectuum ſeriem.

Ex eo, inquam, quòd iſthęc omnia, quæ obiter modò expoſuimus, indiuulsè inter ſe cohærent, & certo quodam ordi-

Ex varijs peccati huius cauſis & effe-

ctis variæ de interna illius vi natæ sunt opiniones.

ordine ex se inuicem dimanant, factum est vt Orthodoxorum alij (nam Hæreticorum commenta nihil hîc moramur) peccati huius vim collocarent, in habituali quadam mentis à Deo auersione: alij in originalis iustitiæ priuatione: alij in virium omnium destitutione: alij tandem in morbida quadam tabe, vel qualitate: Imò verò vt vnus & idem ad numerum non in eodem constitueret illud semper, sed modò in hoc, modò in illo. Qua de re nunc non est agendum prolixiùs. Solùm monuerim, qui in originalis iustitiæ priuatione illud constituunt, eos habitualem voluntatis à Deo auersionem hinc non excludere, sed includere. Quandoquidem vt illi originalis iustitiæ nomine non accipiunt gratuitum illud donum secundùm se absolutè ac præcisè, sed vnà cum primario ac principali eiusdem illius doni effectu, qui vtique alius non extitit, quàm integra mentis ad Deum cōuersio: ita originalis peccati appellatione, non tantùm gratuiti illiusce doni priuationem designant, sed principalē quoque eiusdem priuationis effectū; nempe mentis, ac voluntatis à Deo auersionem.

Qui orig. peccatū in orig. iustitiæ priuatione ponūt, habitualem à Deo auersionem hinc nō excludunt.

Veteres concupiscentiæ nomine peccatū hoc designant familiariùs, quàm auersionis, aut priuationis: non quòd hæc secundùm se sit ipsum originale peccatum, aut materialis quoque eiusdem peccati pars, eo saltem modo, quo actus proprium peccati subiectum dicitur, (neque enim, vt actus rectè obliquus, vel vitiosus, ita concupiscentia quoque rectè peccatrix appellatur) sed quòd manifestior illius effectus existat: tum ob id quoque, quòd ex peccato prodeat, incautósque ac desides facilè in peccatū inducat: tum ob id demum, quòd generationis actui, per quem natura vnà cum peccato transfunditur, indiuulsè cohæreat.

Veteres orig. peccatū concupiscentiæ nomine designant.

Qui orig. peccatum cōcupiscentię nomine designetur, triplex ratio.

Obijcies forsan: Si peccati huius materiale non est concupiscentia, ergo aliud sit oportet? Non est id necessum: constat enim culpabilem pręcepti omissionem veræ ac propriæ rationis peccatum esse, & illud quidem personale: & tamen

Non omne peccatū fortitur materiale sui partē.

men neque actum, neque aliud quicquam omnino, quod materiæ locum expleat, sortiri. Vtrunque tamen peccati genus sortitur proprium subiectum, quod materiale illius appellare licet; puta ipsum hominem, vel ipsam hominis animam. Sed & ipsa quoque concupiscentia, certa quadam analogia ad communem materiam, peccati huius materiale appellari posset. Nam vt communis rerum materia suis affecta dimensionibus, post generationem remanet in composito, inferioremq́; gradum in eodem obtinet: ita concupiscentia post obtentam reconciliationis gratiam in corpore, quod afficiebat, restat; & in originalis peccati ratione infimum locum tenet, & varijs tandem carnis partibus, ac dimensionibus, tanquàm propriæ sedi inhæret, insidetque.

Concupiscētia, certa ad communem rerum materiam analogia, orig. peccati materiale dici potest.

In quo propria originalis peccati vis, formalisq́ue eiusdem peccati ratio, præcipuè posita videatur, quantum res per se alioqui obscura patiebatur, explicuimus vtcunque clarè, ac perspicuè, &, nisi vehemēter fallimur, Scripturæ & veterū Patrū doctrinę satis cōsentaneè. Nūc quę effectrices illius causę existant, paucis explanemus, vt tractationis ordo postulat.

Orig. peccati vis, pro rei natura exposita est perspicuè & clarè.

Originale peccatum non sola imitatione, aut sola externa patrati sceleris imputatione; non seminis propriè, aut carnis infectione, aut animæ ex anima, aut animæ ex semine traductione; non malitiæ in generatione, aut aliquo alio eiusmodi: sed ipsamet naturæ propagatione, ex Adamo in vniuersam illius posteritatem transfundi.

TRACTATVS OCTAVVS.



VT nunquam apud syncerè Catholicos dubitatum est, quin pręuaricationis Adę noxa simul & pœna, in totam eiusdem Adami stirpem, vnà cum natura transfunderetur: ita apud doctos & indoctos nō parum semper controuersum fuit, quanam via vel ratione; aut, vt ille aiebat, per quasnam rimas peccatum illud in naturam nostrā se insinuaret, eandemque, &

Quomodo, quáve via orig. peccatū ex hoc in illū transfundatur, magnam semper quæstionē habuit

Iul. Pelag.

& rectum illius ordinem, ac statum tam fœdè turbaret. Neque enim peccare videtur, qui nascitur, vt qui nihil hic agat, sed tantùm patiatur: Nec ille rursum, qui gignit, cùm coniugalis actus sæpe sit, & semper esse possit meritorius: Nec ille tandem qui condit, siue qui corpori seminis virtute iam perfecto animam infundit, vt qui naturæ à se institutę opus tantùm adiuuet, illudque, quod natura ipsa per se non poterat, clementer expleat.

Pelagiani.

Fuerunt igitur, qui sola imitatione illud in nos transfundi docerent. Putabant hi ob id tantùm in Adamo prę-uaricatos nos dici, quòd præuaricationis illius exemplum æmulati, nefariè interdum in Deum committamus, commissamque noxam improbè plerunque excusemus. At huius sententiæ authores, tanquā qui originis peccatum apertè negent, Apostolique doctrinam fœdè deprauent, (aliud est enim prauum cuiuscunque exemplum imitari, aliud peccato obstrictum nasci: pueri infantes peccatores nasci possunt, & reuera nascuntur: ad aliorum autem exemplum peccare omnino non possunt. Obstat enim ætas, & rationis vsura, qua sola peccatur) iam olim vt hæretici ab Ecclesia proscripti sunt.

Pelagiani sola imitatione orig. peccatū transfundi sentiunt.

Si orig. peccatum sola imitatione transferretur, in infantibus, qui æmulari adhuc nequeunt, nullum orig. peccatū existeret.

Pigij & Amb. Catharini de orig. peccato opinio.

Sunt alij Catholici alioqui, & egregiè pij, qui originis vitium ita admittunt, vt nihil tamen quicquam, quo formaliter peccatores denominemur, & simus, nobis agnasci contendant. Imaginantur hi illud ipsum crimen, vel illum ipsum pręuaricationis actum, quo generis nostri princeps mandatum infregit, omnibus & singulis perinde ac proprium, cùm in pœnam, tum etiam in noxam imputari.

Pigij & Catharini opinio refellitur.

Sed nec hęc quoque sententia, quæ recipiatur, satis idonea est. Quandoquidem si ob id solum peccatores nascuntur, qui ex Adamo nascuntur, quòd pręuaricatio illius in noxam illis, vel etiā in pœnam imputetur: profectò non verè peccatores nascuntur, sed tantùm imputatiuè: Neque singulis suum inhęret proprium, vt definit Concilium, sed

Conc. Trid. Sess. 5.

omni-

omnibus & ſingulis vnum tantùm: imò ne vnum quidem omnibus ſat verè, & propriè. Nam ſi macula, quam Adamus peccando contraxit, & in naturam induxit, non reipſa in eos tranſmittitur, qui communi generationis lege ex ipſo oriuntur, ſed nuda tantùm imputatione, haud dubiè non tranſmittitur: idem eſt enim non tranſmitti, & ſola imputatione tranſmitti: Aut ſi qua ratione tranſmittitur, ſecundùm ſe tamen non tranſmittitur, ſed tantùm ſecundùm effectum. Sicut etiam læſæ maieſtatis crimen, quod parens admiſit, reuera ſecundùm ſe in liberos non transfertur, ſed tantùm ſecundùm aliquem ſui effectum. Imputatur enim illis perinde in pœnam, atque ipſimet admiſſi criminis authori, tametſi non in tantam.

Quod ſola imputatione, vel imaginatione tranſmittitur, reipſa non tranſmittitur.

Iam ſi hoc naturę vitium vnà cum natura reuera non transfunditur; neque naturæ, quę per generationem propagatur, reipſa inhęret, ita vt verè propriéque peccatricem illam denominet, ſed tantùm imaginariè, vel imputatiuè; reipſa ergo nuſquam eſt; vel, ſi alicubi eſt, in illius ſolùm ſcientia eſt, cui nihil omnium pręteritum eſt. Quòd ſi nuſquam eſt, ergo vnum ad numerum non eſt. Neutiquā proinde hanc imaginationem tanquam probabilem aliquam opinionem tueri fas eſt: non ob id ſolùm, quòd ratione, & authoritate careat, & malè pręterea ſonet: ſed ob id etiā, quòd illorum errori non obſcurè faueat, qui imputatiuæ iuſtitiæ commentū hac tempeſtate plurimùm vrgent; tum illorum quoque, qui nihil veræ noxæ ex Adamo in nos tranſmitti concionantur, ſed nudam tantùm pœnam, moriendi've neceſſitatem.

Quod nuſquā eſt, non eſt, & per cōſequēs vnum numero non eſt.

Pigij & Catharini opinatio neq; tuta eſt, neque ratione nixa eſt.

Comperiũtur, qui animum quidem ex corpore, vel corporis tabe; corpus verò ex ſeminis contagione infici, ac certa quadam ratione pollui contendunt. Exiſtimant hi genitale ſemen hoc ipſo morbida quadam tabe, ac veluti ſcabioſa quadam contagione infici, quòd ab infecta generantis natura, non abſque incenſo libidinis ardore decidatur. Hanc autem impurati ſeminis tabem, hinc quidem in

Refutatur Ioan. Scoti, & aliorum quorundam opinatio.

in corpus, vel carnem, inde verò in animam transfundi. Sed sanè captu perdifficile est, quonam modo morbida illa, & peccans qualitas, semini insidens per generationis actum infundatur in carnem; multò verò difficilius, quî per corpus transmigret in animam: vel ex ea in carne remanente, altera similis transferatur in spiritum: vel ab ipso spiritu hauriatur ex corpore. Est enim spiritus corporibus, rebusq́ue corporatis multis partibus præstantior: agens autem præstantioris virtutis esse debet illo, in quod agit.

Difficile captu, qui ex semine in carnem, & hinc in spiritum transferatur morbida quędam tabes.

Mitto hîc, humanam carnem aliter, quàm per humanam formam, hoc est, per animam rationis compotem, hominis carnem esse non posse: nec enim plures vno in homine formas admittimus. Priùs itaque naturæ ordine anima rationalis coniungitur vt forma vel actus materiæ, quàm caro sit hominis caro, vt quæ ad intrinsecam humanæ carnis naturam pertineat. Vt enim hoc vel illud nequit esse caro bubula, aut hœdina, aut agnina, nisi adsit bouis, vel hœdi, vel agni anima: ita quoq; hoc vel illud nō potest esse humana caro, nisi hominis adsit forma. Iam quod non est, hoc sordibus ab altero infici non potest. Falsò proinde asseri videtur, hominis carnem ex semine infici, animam verò per hominis carnem.

Hominis caro, per hominis animam, est hominis caro.

Si dixerint sola vegetante, vel sentiente anima humanam carnem constitui, atque ideo per naturalem illam sympathiam, quæ inter materiam & formam intercedit, hanc ab illa infici, hoc est, originalis peccati labe contaminari: adhuc falsa illa assertione, vel sumptione veriùs, non omnem prorsus difficultatem euadent. Siquidem fœditas illa, quæ carni affingitur, aut spiritalis est, aut corporalis. Non spiritalis: nam cùm caro sit quiddam materiale, ac corporeum, non potest spiritalis cuiuspiam coinquinationis, aut qualitatis sedes esse.

Fœditas omnis, aut spiritalis, aut corporalis est.

Corpus non est capax spiritalis coinquinationis.

Nec est rursum corporalis: Siquidem nulla istiusce modi infectio, aut fœditas, aut deformitas rei naturali vnquam adest, nisi, vel aliquid eiusmodi illi ademptum sit, quod naturali illius integritati adesse oportuit; vel aliquid contrà eiusmodi

Omnis corporalis deformitas, defectu vel excessu constat.

extrin-

extrinsecus illi accesserit, quod cum naturali illius integritate, ac venustate apertè pugnat. vtrunque enim faciem deturpat, & nasus iusto grandior, & nasus rursum iusto exilior. Prius hîc locum non habet: quandoquidem per peccatum nihil ademptum est humanę naturæ, quod specifica illius ratio necessariò deposceret. Subducta est sanè originalis iustitia, sed illa extra specificam hominis rationem existebat. Atque ita ablata hominis speciem intrinsecè non deformabat. Et vt maximè orbitas illa aliquid deformitatis attulisset, adhuc illud pœnæ rationem sortitũ fuisset veriùs, quàm culpę. Ex pœna autem non progignitur culpa, sed contrà ex culpa enascitur pœna: est enim hęc illius causa: & omnis præterea pœna, vt pœna est, & à Deo est, & iusta est: Iustũ autem, vt eiusmodi, iniustitiam ex se procreare nequit. Sed neque posterius quoque admitti debet: Siquidem peccatum formaliter sumptum priuationem denotat: hęc autem subiecto, de quo prędicatur, nihil rerum adiungit; sed quiddam tantùm, quod adesse oportuit, ab illo abesse indicat.

Orig. iustitiæ extra specificam hominis rationẽ erat.

Ex pœna ordinaria lege non progignitur culpa, sed contrà.

Peccatũ formaliter sumptum priuationem indicat.

Denique rationes, quibus Theologi illi nituntur, nõ sunt necessariæ. Allegant in causæ suæ patrocinium dũo: ex parte seminis vnũ, ex parte carnis alterum. Ex parte seminis, incensum libidinis ardorẽ: ex parte carnis, mutuam materiæ & formæ inter se sympathiam: At neutrum horum est satis validum. Nam ad partium essentialium sympathiam quod attinet, licèt anima, quæ propria corporis forma est, materiam perficiat, suasq́; perfectiones, licèt non omnes, illi impertiat: materia tamen formam non perficit, neque pathemata sua in illam transfundit. Secludimus hinc ea πάθη, easque proprietates, & operationes, in quibus obiectiuè, vel subiectiuè inter se communicant. Videmus enim animam, pro varia corporis, cui vnita est, cõstitutione, variè affici. Ob prauam nanque organorum dispositionem operationes naturæ suę consentaneas sępe exercere nequit. At nulla interim spiritalis affectio ex carne, vel corpore in illius essentiã, vel potentiã transmitti potest.

Ratiões, quibus huius tertiæ opinationis authores nituntur, non sunt firmę.

Forma materiam, nõ contrà materia perficit formam.

Organorum vitium impedit animæ operationem.

Etiã si parẽtes generarẽt citra libidinis ardorem, adhuc proles orig. vitium contraheret.

Quod porrò de libidinis ęstu adferebatur, id tantum non est, vt multùm nos mouere debeat. Nam etsi omnis omnino incensa libido, vel sensilis oblectatio hîc suspendatur, vel impediatur, (quod diuina virtute fieri posse, dubitat nemo) adhuc proles originis vitio contaminata in lucem funderetur. Signum est ergo certum, & quasi euidens, animam ex immoderata illa sensualitatis oblectatione, vel inordinata generantium libidine non infici. Nam si libido esset per se causa, primaq́; totius huius infectionis radix, profectò ea quacunq; potentia sublata, ex generationis opere nulla sequeretur macula.

Nec libido semen, nec semen carnẽ, nec caro inficit animam.

Cùm ergo, nec libido semen, nec semen carnem, nec caro animã inficiat; frustra hîc duæ, vel plures confinguntur morbidę qualitates: vna in semine, altera in carne, tertia demũ in anima. Siue eas illi infectiones, morbidas've qualitates formaliter cõstituant in semine, vel carne: siue tãtùm causaliter.

Si qua infectio existit in carne, vel effectiuè in ea existit, vel receptiuè: sed neutro modo in illa existit.

Nam si qua eiusmodi macula in semine vel carne existit, necessum est vt effectiuè in ea existat, vel receptiuè. At non existit in ea tanquam in principio actiuo: siquidem materia non agit in formam, nec corpus in spiritum, cùm hic illo multò excellentioris sit virtutis, nec in materia cum eo communicet. Neque existit in illa rursum receptiuè subiectiuè: Nam si quas caro extrinsecè susciperet sordes, iam non tantùm causaliter sordida esset, sed formaliter quoq; & denominatiuè. Nihil proinde sordium spiritus contrahit ex carnis sordibus, aut caro ex seminis contagione, aut semen ex libidinis ardore: & per consequens originis peccatum non transfunditur ex genitalis seminis tabe in carnem, & inde in animam, vt habebat tertia illa opinio.

Exponitur, & refutatur eorũ sententia, qui animam vnà cũ orig. peccato de potẽtia materiæ educi opinati sunt.

Non defuêre, quibus hominis formã de potentia materiæ aliarũ formarũ more educi persuasum esset. Censebant hi, vt ex genitali semine propagari nequit corpus secundùm se immortale, integręq́; ac incorruptæ sanitatis, agile item ac vegetum; sed quicquid hinc nascitur, id totum suapte natura tardum, infirmum, mortiq́; atq; corruptioni obnoxium est: ita

ex eodem illo ſemine produci formam, vel animam, corpori iſtiuſcemodi caliginoſo, ægro, tardoq; per omnia cognatam; puta animalem, ad caduca & terrena abiectã, incuruatamque, à rebus diuinis alienam, cæcam tandem ac ſurdam, malisque omnibus & miſerijs plenam, hoc ipſum autem eſſe hominem originali peccato obſtrictum naſci.

Anima ſecũdùm verã philoſophiã non educitur de potentia materiæ.

Verùm licèt hic traductionis modus, eiuſdemque fundamentum multis claris, & illuſtribus Scripturarum teſtimonijs non facilè queant refelli: eſt tamen vtrunque falſum, veræque Philoſophię diſſentaneum. Nam cùm anima humana ſit ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, materia & morte vacans, nullo, vt operetur, corpore indigens: (vtitur ſanè phantaſmate, dum eſt in corpore, at id non vt operetur, ſed ne deſit circa quod operetur) fieri nullo modo poteſt, vt orta ſit ex ſemine: alioqui enim actio virtutis modis omnibus corporeæ pertingeret ad effectum modis omnibus ſpirituale, & immateriale, quod fieri poſſe meritò ab omnibus negatur. Spiritale nanque & corporale toto genere inter ſe differunt: atq; ideo hoc illud producere nequaquam poteſt: quippe cùm nihil agat, ſed neque agere quoque valeat, vltra ſuam ſpeciem, imò omne agens eo, in quod agit, præſtantius ſit oportet.

Anima eſt ſubſtãtia per ſe ſubſiſtens, morte & materia vacans.

Spiritale & corporale toto genere differunt.

Horum errori proximè accedunt, qui animam ex traduce eſſe contendunt. Quandoquidem ſi anima filij procreatur ex anima vel per animam patris, vt corpus ex corpore: aut procreatur per illam ex nihilo, aut ex ipſamet paternæ animę ſubſtantia, aut ex patris ſemine. Non ex nihilo: nam aliâs nõ eſſet ex ꝑpagine, ſed ex creatione, quod iſti negãt. Mitto hîc, res creatas nõ creare, nec creare poſſe. Nec eſt rurſum ex patris anima: quia nõ ex tota, nec ex parte. Non ex tota, alioqui vna anima eſſet in duobus, vel certè generãs generãdo ſeipſum periperet. Nec eſt ex parte rurſum, qa anima nõ eſt ſectilis. Non eſt tandẽ ex ſemine, ſiquidẽ anima ꝑ ſe ſerere nequit, cùm materię expers ſit. Nec geminũ hîc deciditur ſemen, corporis vnũ, animę alterũ, ſed vnũ vtriq; cõmune. Dices forſan animã pe-

Proponitur & euertitur illorũ cõmentum, qui animam ex traduce eſſe defendunt.

Anima filij non eſt ex anima patris, quia nec ex tota, neque ex parte.

Anima non sortitur peculiare semē

culiare semen sibi vendicare? Sit ita: At cùm generationis opus non infrequenter suo fine frustretur, quęro abs te ecquid nam de semine illo nequicquam elapso fiat. Nam si illud interire respondeas, interitus sententiam in animam feres: Fieri enim non potest, vt morte id careat, cuius synonyma stirps corruptioni subiacet. Si autem non perit, quid obstat ergo, quô minùs anima hinc prodeat?

Dices rursum, nō semper indę animam educi, sed tum demū cùm oēs illæ qualitates, ac dispositiones, quę ad animæ ꝓductionē necessariò deposcūtur, adfuerint. Verùm dū hoc respōsitas, animę substantiā, cùm in fieri, tum etiam in cōseruari, ex quibusdā corporeis qualitatibus pēdere haud obscurè insinuas: ita vt illis semotis, aut etiā desideratis, neq; fieri queat, neq; conseruari. At cùm nonnullæ ex illis inter se necessariò sint pugnantes, (nam si nulla vnquam cum altera pugnaret, sed omnes in vnum semper conspirarent, semper generatio contingeret) non poterunt eiusmodi qualitates corruptioni non esse obnoxiæ: ijs ergo vel in partem, vel etiam in totum corruptis, necessariò & ipsa quoque anima corrumpetur. Sed anima corrumpi non potest, cùm simpliciter sit immortalis. Impossibile est ergo vt anima propagetur ex anima, vt corpus propagatur ex corpore.

Humana anima secūdùm se non pendet ex corporeis qualitatibus.

Adferūtur argumēta, quibus probari videtur humanas animas ex semine, vel ex traduce esse.

Sed inquis: Si humana anima nō est ex semine, nec rursum ex traduce: falsò ergo asseritur, hominem ex homine progigni: falsò, omne agens virtute formę, qua agit, producere sibi simile secundùm speciem: falsò tandem, ex femore Iacob septuaginta animas prodijsse. & alio loco, omnem carnis animam esse in sanguine.

Genes 46. Leuit. 17.

Diluitur primum argumentum.

At isthęc, quæ de animæ creatione traduntur, non infirmant. Nam etsi homo non eo prorsus modo generat hominem, quo leo leonem, aut elephas elephantem: verè tamen, & propriè generat, quia vera, & propria, & per se causa est, vt hæc forma vniatur huic materiæ, vel vt hęc anima huic corpori.

Homo nō eo prorsus modo generat hominē, quo leo leonē, & tamen verè generat.

Quæ

Quæ ratio diſcriminis? Hæc nimirum, quia cùm animæ brutorum per ſe non ſubſiſtant, neque per ſe eſſe, neque quicquam omnino per ſe extra materiā operari queant, fit vt totę à materia dependeant: atque adeò vt virtute in ipſa materia herentes, naturalis agentis vi & energia inde educi valeant: Forma autem hominis, quòd per ſe ſubſiſtat, cęterisque omnibus altioris ordinis exiſtat, ita materiæ coniungi poteſt, vt tamen de potentia materię educi non poſſit. Cętera proinde animantia, dum generant, non ſolùm compoſiti, quod propriè generatur & generat, cauſa exiſtunt; ſed ipſius quoque formæ, qua compoſitum abſoluitur, & in eſſe conſtituitur. Homo autem licèt per multas alterationes, & generationes materiam diſponens, ac præparans efficiat, vt hęc forma recipiatur in hanc materiam, ipſam tamen formam effectiuè non producit, neque propter cauſas iam expoſitas producere poteſt.

Animæ brutorum totæ dependent à materia.

Cętera generātia & cōpoſiti & formæ cauſæ exiſtunt, homo compoſiti tantum.

Ex his patet, quid ad locum ex Geneſi petitum reſponderi queat: ſiue quod inde adferebatur planè & ἀσχηματισμένως exponas; ſiue συνεκδοχικῶς. Nam hoc ipſo quòd vis ſeminis vltima diſpoſitione materiam ad formam diſponit, corporis & animę vnionem, & per conſequens humanam naturam efficit. Quare licèt quęlibet hominis pars ex genitali ſemine non procedat, ſed materialis tantùm: rectè tamen, propter naturalem illam animæ & corporis inter ſe coniunctionem, vi & energia ſeminis effectam, has vel illas animas, ſeu hos vel illos homines, ex huius vel illius lumbis prodijſſe, aſſeritur.

Propter corporis & animæ vnionē, q̄ vi ſeminis efficitur, homo rectè generare dicitur hominē.

Ex Leuitico tandem quod allegabatur, ſolùm indicat animam non cuiuſuis corporis actum eſſe, ſed viuentis, & ſentientis: Siquidem animalis vitæ ratio pręcipuè in calido & humido poſita videtur: vtrunque autem nutritur, & conſeruatur per ſanguinem. Nam & hic quoque ſuaptę natura humidus & calidus exiſtit. Patet ergo animas hominum ex ſemine non procreari, vt animæ pecudum; neque ex generantium rurſus animabus traduci, atque ideo modum traductionis originalis

Vita animantis in calido & humido præcipuè ſita.

Sanguis humidus & calidus.

peccati, quem assignat hęc quarta opinio, non esse satis idoneum.

Extiterunt,& etiamnum extant,quintò & postremò,(Nam omnes,quæ ea de re prodierunt opiniones, in medium adferre nullum est operæprecium.)qui certò statuerunt,vt Deus Opt. Max. Adamo originalem iustitiam concreauit, eandemque omnibus, qui olim ex illo nasciturі erant, porrò concreaturus erat: ita nunc versa vice post legem violatam omnibus & singulis ortum ab illo ducentibus concreare peccatum & iniustitiam. Hanc in Deum blasphemam sententiam inter alios disertis verbis propugnat Martinus Bucerus. Quanuis non hanc solam, sed alias complures ęquè absurdas, & in Deum ęquè blasphemas.

Proponitur blasphema illorũ sententia,& refellitur, qui docẽt Deum Opt. Max. iniquitatẽ animabus cõcreare.

Bucerus.

Cont. censſ. Coloni.

Leg. Billich.

Asserit enim originale peccatum vitium esse, quo totus homo aduersatur Deo. Asserit, vniuersam hominum naturam ab illa imagine, ad quam initio efformata fuerat, per peccatum excidisse. Asserit, vniuersos homines sempiterno illo originis vitio deprauatos,Deo, eiusque verbo, ac legi semper repugnare: omnibus suis viribus, & partibus semper peruersè, ac iniustè vti. Asserit, quicquid à perfecta illa imagine, quæ Christus est,alienum est, & damnabile, & damnans peccatum esse. Asserit, sententiam de nouarum animarum inspiratione non necessariò sibi recipiendam esse: & quod ad rem, de qua hîc disserimus,facit maximè, asserit,Deum creare generationem peccato obnoxiam,animamque in ipsis Dei manibus vitiari,vitiatamque & peccato obnoxiam vitiato corpori infundi. Asserit,nõ consequi, Est opus Dei, ergo vitium vel malum non est. Asserit,Deum prauos motus, noxias perturbationes, & sceleratas actiones hominibus immittere. Asserit, nihil vetare, diabolum ea horrenda efficere in animis infantium, quę efficit in mentibus adultorum, inprimis autẽ incredulitatem, & diffidentiam, qua sint inimici fidei. Asserit,infantes recèns natos habere propriam iniquitatem, propriam,inquam, actualem: peccare in legem illis inditam, à qua declinent, alioqui non

En plaustrum blasphemiarum Buceri.

non renatos iustè damnari non posse. Hæc ille, & alia his cognata, quę piæ aures vix ferunt.

Buceri blasphemias pię aures vix ferunt.

In eandem sententiam impingunt omnes illi, qui originis peccatum, vel ipsammet hominis substantiam, vel ipsam rationem, vel ipsum cor, vel essentialem illius formam: vel aliquod etiam reale eiusdem accidens esse defendunt. Constat enim hęc omnia nõ aliunde proficisci, neque aliunde quoque proficisci posse, quàm ex primo illo rerum omniũ fonte, qui Deus est. Verùm contra hoc hominum genus, quantum sat videbatur, actum est iam antè: Contra Bucerum aũt vt prolixè agatur, omnino superuacaneum duco. Nam Deum Opt. Max. cuiusuis peccati authorem asserere, res est vsque adeò absurda, adeoque ab omni pietatis sensu aliena, vt Manichęi, homines alioqui multis & magnis erroribus contaminati, dęmonem scelerum omnium & vitiorum architectum maluerint pronunciare, & per consequens liberum arbitriũ homini adimere, quàm notã vsque adeò fœdã summo illi, ac sanctissimo numini inurere. Attamen ne quì irrefutabile opinẽtur, adferam contra impium hoc dogma breuiter nonnulla.

Flaciani, & plerique Lutherani impingunt in sententiã Buceri.

Cõtra Flacianos suprà actum.

Manichęi dęmonẽ scelerum omnium causam statuerunt.

Igitur si Deus Opt. Max. vel originalis, vel alterius cuiuscunque peccati vera, ac propria causa existit, necessariũ est, vt vel materialis, vel formalis, vel finalis, vel effectrix illius causa existat. At non est formalis, aut materialis illius causa, vt notum est satis; neque probatione vlla id indiget. Si enim Deus nullius rei essentialis pars esse potest, multò minùs peccati materia, aut forma esse poterit. Nec est rursum finalis eiusdem causa: Siquidem peccatum nullum ad illum, tanquam ad finem, ordinem, nullam habitudinem, nullam aptitudinem obtinet, imò simpliciter ab vltimo illo fine, qui ipse est, quàm remotissimè seuocat.

Deus non est materialis, aut formalis peccati causa.

Deus non est finalis peccati causa.

Neque est denique efficiens illius causa, quia peccatum formaliter sumptum causam deficientem sortitur veriùs, quàm efficientem: Deus autem, cùm sit infinitè potens, infinitè sapiens, infinitè bonus, non potest deficiens causa existere. Deinde

Deus non est effectrix peccati causa.

Peccatũ deficientem causam sortitur veriùs, quàm efficientem.

inde quę oriuntur ex causis merè naturalibus, licèt propter principij alicuius vitiū monstrosa esse queāt, vitiosa tamē, vel peccaminosa, vt ex eiusmodi causis oriūtur, esse non possunt: dici enim solet, quę naturaliter accidunt, ea in peccatis, vel meritis haberi iure non posse. Postremò cùm Deus sit author naturæ, non potest nisi absurdissimè illius causa censeri, quod ordini naturæ ab ipso institutæ quàm maximè aduersatur: Atqui peccatum omne, vt legi, & rectæ rationi, ita naturę humanæ, quæ vtique rationalis est, est vt quod maximè dissentaneum: Imò si illi dissentaneum non esset, propriæ rationis peccatum non esset.

Nata ex causis merè naturalibus, monstrosa esse possunt, peccaminosa esse non possunt.

At dicet fortè quispiam: Esto, Deus non sit naturalis peccati causa, potest tamē supernaturalis, vel moralis illius causa existere. Sanè si non est peccati huius, vel alterius cuiuscunque naturalis causa, multò minùs erit supernaturalis, vel moralis eiusdem causa. Nam vt naturalis causa per verum realemque influxum id producit, quod naturæ vires non excedit: ita supernaturalis per veram actionem, propriumque illapsum id efficit, quod naturæ viribus maius existit: Atqui peccare, vel peccare posse, nō est alicuius supernaturalis potētiæ, sed merę impotentiæ. Mitto hìc, causam supernaturalem, vt eiusmodi, peccati interitum moliri solere, non etiam eiusdem constructionem. Constat enim, filio Dei nullam aliam, aut certè nullam aliam potiorem causam extitisse, cur carnem assumeret, crucemque, & mortem subiret, quàm vt peccati regnū euerteret, ipsumque peccatum in profundum demergeret. Deus itaq; sub spiritalis, vel supernaturalis causę ratione animo cōceptus, ipsum peccati regnum nō construit: sed peccatorum expiationem, sed iustificationem, sed glorificationem efficit.

Deus non est supernaturalis orig. vel alterius cuiuscunque peccati causa.

Posse peccare impotentiæ est, non potentiæ.

Causa supernaturalis peccatū euertit, non ꝓgignit.

Porrò autem quòd idem gloriosus Deus nullius peccati moralis causa existat, patet: quia nullum is peccatum præcipit, nullum suadet, ad nullū omnino mouet, aut impellit: imò inhibet grauiter, ne fiat, factumque seueris pœnis castigat. Quapropter licèt cum quibusdam statueretur, peccatum secundùm

Deus non est moralis peccati causa.

cundùm vtranque ſui partem, materialem, inquam, & formalem, aliquid reale includere, adhuc Deus propria illius cauſa non exiſteret: tum quia nõ eſſet moralis illius cauſa, ſed tantùm naturalis; peccatum autem, vt eiuſmodi, eſt ens morale: tum maximè, quia is deformitatem illam, quæ intrinſecè in eo continetur, nulla lege euitare obligatur; peccatum autem omne eſt contra legem. Addunt quidam, ideo nullius peccati cauſam exiſtere, quia nullius proxima cauſa exiſtit. Sed hęc ratio non eſt admodum firma. Nam præter alia incommoda ſequeretur hinc, neque boni quoque operis authorem eſſe; par enim vtrobique eſt ratio.

Vtcunq; peccatum concipiatur, Deus nullo modo peccati cauſa exiſtit.

Peccatũ omne eſt contra legem, Deus nullius ſuperioris lege tenetur.

Denique ſi Deus eſt peccati cauſa, falsò ergo aſſeritur, nihil ipſum eorum omnium, quę fecit, odiſſe. Certum eſt enim, & ex Scripturis manifeſtum, omne omnino peccatum, omnémque iniquitatem, & iniuſtitiam ex animo deteſtari. Et vt Scripturę taceant, mala tamen, quę patimur, & quibus vniuerſus mundus iam inde ab initio exercetur, euidenter id probant. Falsò rurſum, neminem vnquam malum aliquod eligere, aut diligere, niſi bonum, ex quo eiuſmodi malum conſequitur, ardentiùs diligat, quàm malum illud odio habeat. Certum eſt autem, Deum nullum bonum infra ſe poſitum incenſiùs amare, quàm odit quodcunque peccatum. Nec iniuria: nam ſi boni & mali æquè ille ac nos capax exiſteret, peccatum vtique multò plus detrimenti ipſi adferret, quàm commodi illi conciliare poſſet, quodcunque bonum creatum. Quandoquidem ſi mœror, aut triſtitia in ipſum caderent, peccatum vtrunque ſimul ipſi adimeret, nempe, & eſſe, & beatum eſſe: at nullum bonum creatum quantumuis illuſtre conferre illi poteſt, aut eſſe, aut beatum eſſe: nullo igitur modo Deus vult peccatum, propter cuiuſcunque boni euentum; liberè tamen admiſſum, pro ſumma illa ſua potentia & ſapientia, in magnum aliquod bonum conuertere poteſt, & ſępe conuertere ſolet.

Deus odit & punit peccatum, ergo nõ eſt author peccati.

Deus nullum bonum creatum incẽſiùs amat, quàm odit peccatũ.

Falsò deniquè, Deum impenſiſſimè amare ſuam gloriam, ſuumque honorem, & reuerentiã: Siquidem omne omnino

Peccatũ omne pugnat cum honore, & reuerentia, quæ Deo debetur

peccatum, præcipuè verò blaſphemia, Dei odium, eiuſdémque contemptus, hæreſis, deſperatio, & id genus alia, honori & reuerentiæ, quæ iure ab omni creatura illi debentur, quàm maximè aduerſantur. Nõ poteſt ergo vllum ille omnino peccatum, aut velle, aut facere, aut factum amare: & per conſequens blaſphema planeque ſathanica vox eſt Buceri, qua aſſerit, Deum creare generationem peccato obnoxiam; tum animas in illius manibus vitiari, vitiatasque vitiatis corporibus infundi; tum eundem illum quoque prauos motus, noxias perturbationes, ac ſceleratas actiones hominibus immittere, & alia complura eiuſmodi, quę paſſim in illius commentationibus & tractatibus occurrunt.

Blaſphema planeque Sathanica vox Buceri.

His igitur, alijsq; ſimilibus maleſanis opinionibus reiectis, ſimpliciter ſtatuendum eſt originis peccatum non alio modo vel medio, nec alijs organis vel inſtrumentis traduci; nec per aliud oſtium in mundum, vel in animum ingredi, quàm producitur, ac in mundum ingreditur ipſa natura humana. Hæc autem, vt nemo eruditorum ignorat, communi generationis lege & ordine transfunditur, & propagatur.

Eadem via & ratione, qua trãſmittitur, & propagatur natura humana, trãſmittitur, & propagatur originis peccatum quoque.

Sciſcitanti proinde ecquiſnam peccatum illud, quod originale dicimus, transfundat? aut quanam via, vel ratione illud transfundat? Huic breuiter & abſolutè reſpondere licet, generis noſtri principem Adamum, non quidem per ſe proximè, ſed per proximos genitores in omnes & ſingulos, qui originem ex illo trahunt, illud transfundere. Transfundere autem non quidem ipſum creando, vel efficiendo, (nam cùm peccatum hoc, vt & cętera quoque peccata & priuantia omnia, verâ naturâ nulla conſtet, vanum eſt cauſam illius effectricem quęrere) ſed naturam, qualem ipſe poſt peccatum habuit, cõmuni, & vſitata procreationis via, ac ratione producendo. Nec enim vlla alia quàm hac regia ac trita procreationis via ſuam ille in nos iniquitatem transfundere poteſt, aut in vllum vnquam transfundere potuit, aut poterit.

Idem ille, qui transfundit naturã, transfũdit & orig. peccatũ quoque. Naturã autem transfundit Adam, non per ſe proximè, ſed per proximos progenitores. Transfundit verò talem, qualem illo peccato ſuo fecerat.

Vnde ſi quis alia, quàm vulgari illa, ac protrita generationis

nis lege produceretur; quemadmodum in mūdi exordio producta est Eua, & post illam Christus Dominus: (Nam etsi hic secundùm corpulentam substantiam ex Adamo descendat, non tamen secundùm seminalem rationem. Neque enim sacratissimum illud corpus, quod totum ex sacra Virgine assumptū est, occulta aliqua vi seminis in vtero virgineo efformatum est, aut per certa dierum interualla, vt cætera solent, perfectum est, sed tēporis pūcto virtute & manibus Spiritus sancti organizatum est. vnde Ecclesia: Non ex virili semine, sed mystico spiramine, Verbum Dei factum est caro.) Si quis, inquam, vel aliūde quàm ex Adamo, aut ex Adamo quidem, non tamen protrita illa & nota procreationis via hanc in lucē prodiret, ille originalis peccati maculam non contraheret.

Qui secùs, ac protrita generationis via, producerentur, illi orig. peccatū non contraherēt.

Damasc. lib. 3. c. 2. ortho.

Ecquis enim hoc casu posito transfunderet? Non Deus: ab ipso nanque, vt antè euidenter ostēsum est, nulla est culpa. Nec rursum natura: hæc enim nō potest aliquid vitij, aut perfectionis in illud, vel in illū transfundere, in quod, vel in quem nullam potest actionem exercere: transfusio nanque (vt & transmissio quoque) actionem denotat: Ad eum autem, qui diuina virtute citra vllam generationē ex humana carne formaretur, (quemadmodum initio nascētis mūdi ex costa Adæ formata est Eua) merè patibiliter sese haberet: Solùm enim subministraret materiam, cuius vtique est moueri ac pati, nō etiam mouere aut agere. Vnde etiam pro comperto habetur, si sola Eua mandatū violâsset, nullum originis peccatū in Adę posteritatem trāsiturum fuisse. Nam in generationis opere, vt grauiores Philosophi statuunt, sola materia per mulierē suggeritur. Nec deniq; Adamus, vel alius ab ipso: nā vt manus, vel pes, vel aliud corporis membrū, nihil cōmune habet cum voluntate, nisi ab ipsa moueantur: ita iste, vel ille nihil quicquam negotij habet cum Adamo, nisi ab illo moueatur. Isthæc autem motio non aliter contingit, quàm per seminalem rationem, vel actiuam generantis virtutem.

Qui secùs, q̄ vulgata generationis via in lucē funderetur, ille, neque ex Deo, neque ex Adamo, neque ex ipsa natura, neque ex vlla alia re peccatū traheret.

Sed, inquis, originis peccatum, communi Theologo-

rum ſententia, eſt peccatum naturæ: Natura autem non ſecundùm hanc, aut illam partem præciſè, ſed ſecundùm omnem ſui partē primi parentis ſcelere corrupta ac deprauata eſt. Quare vitium hoc homini adhærebit ex quacunque tandem carnis parte efformetur? Sanè ſi Sectariorum commenta de totali humanæ naturæ corruptione admitteremus, difficile foret rationis huius vim eneruare: Verùm quia aliud longè ſanius de originalis peccati natura nobis perſuaſum eſt: reſpondemus originis labem, naturæ peccatum non eſſe ſimpliciter, ſed hactenus tantùm, quatenus communi generationis ratione ab Adamo propagatur. Nec enim vniuerſa carnis noſtræ maſſa in protoplaſto corrupta eſt formaliter, cùm formaliter in eo nunquam extiterit, ſed tantùm radicaliter: prout nimirum tota in ipſo erat tanquam in actiuo generationis principio, ſiue ſecundùm rationem ſeminalē: hoc autem modo in illo non exiſtunt, neq; vnquā extiterūt, qui miraculo, aut extraordinaria Dei virtute ex eiuſmodi maſſa formantur.

Orig peccatū nō eſt naturæ peccatū ſimpliciter, ſed hactenus tantùm, quatenus naturæ opere ab Adamo, & per Adamū trāſfunditur

Et vt maximè tota hominis caro formaliter corrupta, vel infecta foret, adhuc quod inde formaretur, infectionis expers eſſet. Nam cùm nulla contingat generatio citra corruptionem, non priùs ab eiuſmodi carne aliquid formaretur, quàm ipſa ſecundùm ſe corrumperetur, atque adeò à naturali ſua diſpoſitione ſemoueretur, & per conſequens à labe, qua tenebatur, repurgaretur. Nullam itaque peccati immunditiam contraherent, qui ſecùs quàm per ordinariam generandi viam humanæ naturæ participes euaderent. Verùm qui communi & ordinaria ortus ratione ex Adamo naſcuntur, illi omnes communi, & ordinaria lege peccatum illud contrahunt. Neque probabile ſit, vel vnum ex omnibus, præter ſacratiſſimam Virginem matrem, ex communi hac & ordinaria lege vnquam fuiſſe exemptum, aut vnquam futuris temporibus eximendum eſſe.

Non contingit generatio citra corruptionem.

Sola Virgo mater à communi lege exempta fuit.

Et quoniam genitale ſemen inſtrumentum eſt, quo natura ab Adamo propagatur: (nec enim generans naturam ſuam in prolem

prolem transfundere posset, nisi per generandi potentiam, quę vires suas per vim semini inclusam exerit) haud inerudite à Scholę Theologis proditum est, originis peccatum in semine contineri, & per semen, tanquam per instrumentum in vniuersam Adami posteritatem transfundi & propagari. Non attingit sanè vis seminis animam rationalem, nec eam efficit: attamen hoc ipso, quòd occulta virtute materiam ad formæ susceptionem disponit, animæ & corporis vnionem, atque adeò naturam humanam, cuius naturæ essentialis pars est anima, efficit.

Orig. peccatū per genitale semen transfunditur tanquam per instrumētum.

Vis seminis non attingit animam effectiue, sed tantùm dispositiuè.

Et quia Adamus per se, vel per alium generans, (in idē enim vtrunque redit) animam per corpus propriè non attingit, eruditi tradunt non tam effectiuè, vel dispositiuè originis peccatum in genus nostrum transfundere, quàm meritoriè. Hoc tamen non ita accipi debet, quasi peccatum istuc in Adami posteritatem transeat per modum meriti, sicut vis mortis, & crucis Christi: (transit enim per modum propaginis, vel proprietatis naturam consequentis: Nam vt vnusquisque suam sortitur naturam, ita suam quoque sortitur peccatum, quod eidem naturę suo modo (est enim mera priuatio) formaliter inhęret) sed quòd suo ille insigni scelere, & inobedientia effecerit, vt anima, quæ munda alioqui à Deo creatur, ex societate, quam cum corpore ab ipso propagato init, maculam contrahat.

Adamus non solùm effectiuè, sed dispositiuè trāsfundit originis peccatū, sed suo etiam modo meritoriè.

Orig. peccatū transit per modum propaginis, vel proprietatis naturam cōsequentis.

Quod de peccati merito hîc dicitur, hunc sensum habet: Anima rationis compos in humanum corpus recipitur tanquam naturalis quidam eiusdem corporis actus, essentialisq; eiusdem perfectio, ac forma. Quia ergo hæc, vel illa anima procreatur, vt forma huius, vel illius corporis ab Adamo propagati, fit vt eo ipso quadantenus vera ipsius Adami filia efficiatur, quòd hoc, vel illud corpus ab illo deriuatum ac propagatum informat ac perficit: Atque ideo vt talis, quod quidem ad externum ornatum attinet, infundatur, qualem secundùm Adami meritum infusam oportuit; aut certè, qualē ipsemet

Anima hoc ipso quadantenus Adæ efficitur filia, quòd corpus ab illo propagatum informat.

Adam produceret, si per se solus cũ generali Dei auxilio totum hominem produceret; puta, inops, omniq́ue cœlestium donorum, & gratiarum præsidio destituta, & à Deo nihilominus auersa. Hanc tamen auersionem non contrahit, vt à Deo procreatur, sed vt humanę naturæ, quam Adamus ad modum paulò antè expositum propagat, essentialis pars efficitur.

Anima non contrahit labem ex eo, quòd à Deo procreatur, sed ex eo, quòd humani corporis forma efficitur

Cur non ornata, & sancta infunditur? Quia licèt Deus Opt. Max. ad extra liberè operetur, tamen secundùm ordinem sapientissimè à seipso institutum, operatur secundùm modum, ac meritum causarum secundarum, & naturalium. Atqui Adamus infami illa rebellione, & scelere grauissimo iustissimè promeritus erat, vti Deus naturam humanam, quam vniuersam ille potentia ac virtute in se sustinebat, singulari clementia & beneficio in ortus sui primordio iustitia & sanctitate insigniter ornatam, eo ornatu spoliaret, nudamq́ue, ac bonis omnibus, quibus abundabat, exutam, veluti nihil ad se pertinentem, imò verò vt sibi inuisam atq; exosam desereret, missamq́ue faceret. Eiusmodi autem naturam à Deo desertam, & abalienatam participare, est in originis peccato nasci, vel originis peccatum nascendo contrahere.

Deus operatur secundùm modũ, & meritum causarum secundarum.

in pecto orig.

Quamobrem post fœdam illam primi parentis nostri præuaricationem, non ex cœlesti numine, sed ex corporis communione eiusmodi efficiuntur animæ, cuiusmodi natura ipsa humana peccatrix, & vitiosa, Deoq́ue inuisa, mediante persona produceret, si humanæ animę, vt cæterarum rerum formę, ex semine prouenirent, nempe omni gratia & iustitia destitutæ. At verò propter peccatum exutum esse iustitia, vel gratia, qua sola in filios Dei cooptamur, & in qua Deus initio hominem constituerat, est nasci filium iræ, & à regno nihilo seciùs, & domestica Dei consuetudine alienum, & pœnæ tandem maledictoq́ue obnoxium.

Communione corporis eiusmodi efficiuntur animæ, cuiusmodi natura peccatrix produceret.

Animam itaque originis vitium per corpus contrahere, est naturali vinculo huic, vel illi corpori ab Adamo propagato

Animã orig. peccato infici, est corpori

con-

coniungi: Vel huius, illius've corporis naturaliter ab Adamo propagati formam effici: Atque ideo per naturæ ab Adamo propagatę participationem, illius quoque auersionis, & obliquitatis, quæ in natura ex Adami peccato relicta fuit, participem fieri. Forma nanque naturę indolem, ac dispositionem æmulatur: prout id omne, quod in alterum recipitur, secundùm recipientis conditionem, modumque ac meritum recipi plerunque consueuit.

ab Adamo ꝓpagato essentialiter coniungi.

Quòd ergo Adamus ęquè verè ac propriè huius, vel illius animę parens appellatur & existit, atque homo verè ac ꝓpriè hominem ex se progignit, hoc inde non prouenit, quòd ipse aliquam eiusmodi animam ex se procreet, aut de potentia materiæ educat: sed quòd corpus, cui illa vt proprius actus, vel forma cõiungitur, ex se progeneret. Nihil enim Adamus cum hac vel illa anima commune haberet, nisi hęc vel illa, hoc vel illud corpus ex se proseminatũ perficeret ac informaret. Atq; huc forsan tendebant, qui animam ab ipso corpore, cuius essentialis forma est, veluti à vitioso quodam vase infici, ac contaminari aiebant, tametsi illorum verba id non sonent.

Adam æquè verè huius vel illius animæ parens est, ac homo generat hominem

Et quid mirum, obsecro, vitium toti naturæ validissimè impactum, vnà cum natura transfundi, & propagari? cùm quasdam quoque singulares, ac personales indiuiduarum naturarum affectiones, ac proprietates in ipsam interdum prolem traductas cernere liceat? Nam etsi similes non perpetuò generent similes, sæpe tamen generant. Experimur enim fortes ac validos, procreari ex fortibus & validis: ignauos & timidos, ex ignauis & timidis: & quod magis mirandũ est, (nam isthęc maiori ex parte ad corpus pertinent) ingeniosos ac industrios, ex industrijs & ingeniosis: mites, placidos, faciles, ac verecundos, ex mitibus, placidis, ac verecundis. Contrà verò iracundos ac tetricos, ex tetricis & iracundis: bardos denique ac stupidos, ex bardis ac stupidis. Quanuis pro varia generantium, vel corporum quoque cœlestium constitutione nonnunquam hæc fallant.

Non mirum, communis naturæ vitiũ vnà cum natura transfundi, cùm quædam quoque personales proprietates interdũ transfundantur.

Deum

Deum Opt. Max. humanæ generationis opus propter originis peccatum impedire non debuisse. Iustos æquè ac iniustos commune hoc naturæ vitium tantùm vnà cum natura in prolem transfundere, cæterorum autem nullum omnino. Primam primi hominis ab hoste tentante victoriam non omnibus statim confirmationis gratiam parituram fuisse.

TRACTATVS NONVS.

Insulsa quæstio: Cur Deus creat animam, quã peccato infectũ iri nouit?



X his patet, iniustam, imò & fatuam quoq; illorum esse querelam, & quæstionem, qui, vel secum non absque stomacho queritantur, vel ab alijs, si casus ita tulerit, curiosè sciscitantur: Cur Deus procreat animam, quam, vbi primùm corpori consociata fuerit, contaminatum iri certò nouit? Dictum est enim, & ob morosos illos quæsitores repetendum est sæpe, Deum Opt. Max. iam inde ab initio certò constituisse cum omnibus causis naturalibus, iuxta cuiusque modum, naturamque, ac meritum concurrere, ijsdemque ad producendum effectus naturæ suæ consentaneos assistere ac συνεργεῖν. Quo igitur ordine, lege, & ratione hoc statuit, ijsdem quoque humanę generationis opus, quod natura per se absoluere non poterat, explere certum deliberatumque habuit. Expletur autem non aliter, quàm per animæ infusionem.

Deus cum omnibus causis naturalibus naturali quodam influxu concurrit.

Cæterùm quòd vltimæ huic naturę perfectioni nonnullum incommodum adiungatur, hoc communem naturæ legem infringere, aut infirmare non debet. Nam vt commune populi bonum præstabilius est priuato huius vel illius commodo; & multitudinis detrimentum, detrimentosius, & ob id vitandum impensiùs, quàm singulare cuiusuis indiuiduæ substantiæ damnum: ita bonum vniuersi excellentius est, atque ideò studiosiùs fouendũ, & accuratiùs conseruandũ est, quàm particulare priuati cuiuspiam commodum; & vitium rursum,

Priuatum incommodum communi bono præiudicare nõ debet.

ſum, vel exitium, quod redundat in vniuerſum, multò malignius, exitialiusq; cēſendum eſt illo, quod in exiguā tantùm vniuerſitatis partem cadit. Atqui licèt originis peccatum totum humanum genus cōſequatur, ſemper tamen eſt particulare huius vel illius malum, & illud quidem ſanabile: verùm ne hoc malum accidat, humani generis propagationē è medio tollere, (quod vtiq; neceſſum eſt, ſi corporibus ex Adamo ortis forma, quam ex ſe habere nō poſſunt, denegetur) eſt rerum vniuerſitati prænobile membrum adimere, atque ideo ingens toti rerum vniuerſitati damnum adferre. Si enim nulla exiſteret hominum generatio, nulli ex conſequenti exiſterent Apoſtoli, Prophetæ nulli, Martyres nulli, Virgines nullę; qui alterum redimeret, aut doceret, aut regeret, nullus: Quorſum enim opus eſſet, aut redemptore, aut doctore, aut rectore, ſi nulli adeſſent, qui vel redimi, vel doceri, vel regi queant?

Orig. peccatum eſt malū ſanabile.

Si humanæ generationis opus diuina virtute non expleretur, nulli extarent Sancti, nulli redempti, nullus Redemptor.

Et vt toti rerum vniuerſitati nulla hinc clades, nullum accederet incommodum, quod hinc tamen accedere non poſſet non maximum: primariæ tamen vniuerſitatis parti, hoc eſt, humanę naturę, hęc calamitas neceſſariò accederet, quòd nunquam, neque ſimile ſecundùm ſpeciem generare, neque naturale deſiderium ſuum ſatis explere poſſet. Conſtat enim materiam vi ſeminis eo, quo par eſt, modo affectā, perfectamq; naturaliter ad formam anhelare: rurſum tum demum vnumquodq; perfectū cenſeri ſolere, cùm ſe alterum poteſt progignere. Interuerteretur hac quoq; ratione, naturalis illa rerū συνέπεια, & dependentium ſeries: quæ vtiq; in eo pręcipuè poſita eſt, vt poſterioribus caſu aliquo ſublatis, ea integra & inconcuſſa perſiſtant, quæ natura, vel tempore antecedunt. Neq; enim ſi aliquod interdum indiuiduum è medio tollitur, totam mox ſpeciē tolli neceſſum erit: aut ſi ſpecies aliqua, genus vniuerſum: aut ſi habitus quiſpiā, ipſum quoq; ſubiectum. Atqui bonitas naturæ quauis acceſſoria, ſiue ea acqſita ſit, ſiue diuinitus collata, naturâ quidē ſemp, ſępe quoq; tēpore prior exiſtit. Quare ſubmota per peçcatū originis iuſtitia, quam Deus

Materia ritè diſpoſita naturaliter ãhelar ad formã.

Tum vnumquodque perfectum, cùm ſe alterū poteſt progignere.

Bonitas naturæ acceſſoria bonitate prior eſt.

naturę adiecerat, neutiquam consentaneum erat, vt aliquid eorum omnium auferret, aut demutaret, quæ ad naturæ quidditatem, aut ad naturalem ac intrinsecam illius integritatem pertinebant: maximè verò, cùm in ipsa natura reliquum fieret, quo totum illud, quod per peccatum deperditum fuerat, instaurari posset: quanuis non per illud solùm.

In natura nostra reliquum est, qua sanari queat.

Frustraretur hinc tandem, prorsusq́; eluderetur primarius diuinæ institutionis scopus. Nā vt ex diuinis literis manifestū est, nō eadē causa cōdiderat hominē Deus, vt statim interiret, vel vt solus omnis humanę societatis expers in orbe hoc sublunari vitā degeret, sed quô per generationē se diffunderet; cōtinuaq; ꝑpagatione, & sobolis ꝑcreatione, ad finē vsq; seculi sese porrigeret, vtcunq; tandē sese gereret. Fecerat enim eum arbitrio liberū, & per cōsequens talē, qui nullā, siue staret, siue caderet, earū rerū, quæ naturæ debito ad se pertinebāt, iacturā faceret. Quòd si illū statim post lapsum extinctū, aut generādi vi voluisset orbatū, vtiq; nō cōdidisset, aut certè voluntatis libertate nō donâsset. Hoc enim modo institutus in peccatum, in eaq́; incōmoda, quę hinc cōsequuta sunt, incidere nō potuisset. Multæ itaque, magnæq́; fuerunt causæ, cur ob originalis peccati malū, humanæ generationis bonū euerti nō debuerit.

Deus voluit vt homo cōtinua sobolis propagatione ad seculi finē vsque se porrigeret.

At nō est sapiētis, inqs, vnguentū preciosum eiusmodi vasi cōmittere, in quo aliquod vitiū nō potest non cōtrahere: Aut opus moliri, qđ ad finē pręfixū nō potest perducere: Aut malum tandē, quod citra vllū incōmodū ab opere suo excludere poterat, nō excludere: Deū aūt in hęc omnia hoc ipso impingere posse videri, quòd corpori ex Adamo ꝑpagato animam infundit? Sanè ad pauca respiciēti hęc alicuius fortè momenti haberi poterant, sed reuera nullius sunt ponderis omnia.

Non est sapientis, preciosum vnguentum, vel thesaurum impuro & fragili vasi committere.

Ad primum igitur motæ cauillationis membrum respondetur, illum parū prudenter facturum, qui nō parui precij vnguentum, vel thesaurum (in idem enim redit) mallet amittere, quàm loco minùs puro, aut tuto recondere: maximè verò, si spes foret non vana, à contracto vitio repurgari quandoque posse:

Fatuus esset, qui preciosum vnguentum mallet amittere, quā vasi minus idoneo committere.

posse. Eiusmodi autem quippiam hîc vsu venire. Nam si hæc anima huic corpori non vniretur, omnino non crearetur. Nec enim vlla prorsus creatur, nisi vt huius vel illius corporis forma efficiatur. Addo, preciosum hoc vnguentum vitium non contrahere ex Deo infundente, sed ex homine vas impurum, cùm mundum debuisset, & potuisset, exhibente. Deus nanque iã inde ab initio certo animi ꝓposito decreuerat, quęcunq;, & qualiacunque, & quotcunq; Adamus vasa per generationem prępararet, ea intelligẽtis animæ creatione, ac infusione perficere. Quia ergo Adamus eiusmodi præparat, & exhibet, vnde preciosus hic thesaurus maculam necessariò contrahit, sibi ille hoc imputet, nõ Deo. Vno quod dicimus exẽplo illustremus.

Preciosus animæ thesaurus non polluitur ex Deo creãte, sed ex Adamo immundum vas porrigente.

Sit diues quispiam ac clemẽs paterfamiliâs, qui cuiuscunq; conditionis pauperi certò promittat, se omnia vasa, qualiacunque, & quotcunque tandem ille, vel exhibuerit, vel exhibere voluerit, vino cũprimis præstanti, ac generoso referturum esse: & is singulari hac gratia oblata, nullas offerat serias, nulla dolia, vasa nulla nisi infecta & vitiata; & ea quidem infectione, vt vinum alioqui pręstans, ac generosum in illa transfusum, non possit statim non aliquod vitium inde contrahere: profectò vitium hoc patrifamiliâs nullo iure posset adscribi, infudit enim is vinum optimum; sed stulto illi, & ignauo colono, qui cùm munda vasa præparare potuisset, ac debuisset, præparauit infecta, atq; immũda: hoc hîc locũ habet. Dicitur aũt vas hoc, id est, corpus humanum infectum: non quòd qualitatem aliquam inficientem formaliter sibi inhęrentem habeat, sed ob vnum hoc, quòd ab eo propagatum est, qui totam naturam suo scelere infecit, & perdidit.

Appositum exemplum infectionis animæ ex corpore.

Corpus humanum hoc ipso immundum dicitur quòd ab Adamo propagatur.

Ad alterum illud, quod de opere finẽ à natura sibi præstitutum cõsequi haud valente, allegabatur; respõderi potest, Deũ Opt. Max. cùm hominẽ ipsum, tũ cætera quoq; omnia condidisse, cõditaq; tueri, & cõseruare, quò bonitatis illius, quacũq; ratione, participia fiant: Satiusque esse vel modicam in partem ad eam participationẽ admitti, quàm ad nullam omnino.

Deus omnia condidit quò aliquem bonitatis illius partem hauriant.

Etiam illi, qui orig. peccato obstricti tenētur, alicuius perfectionis, & felicitatis capaces existunt.

Quanuis ergo, qui originis peccato obstricti nascuntur, indigni sint, qui ad illam diuinæ bonitatis communicationem admittantur, quæ simpliciter beatos efficit: non sunt tamen indigni, qui ea potiantur perfectione, vel felicitate, quæ in hominem secundùm participiorum suorum conditionem conuenit, vel qui eum finem consequantur, quem natura secundùm se præfigit. Et quia eam perfectionem, vel beatitatem, aut certò consequuntur, aut consequi certò possent, si sibi non deessent, imò verò illam alteram quoque, quæ simpliciter beat: (proponitur enim omnibus nouum noui Adami semen, per quod renascantur, renatique ad vltimum illum, & supernaturalem finem euehantur) fit vt non prorsus suo fine frustrati dici queant, qui originis peccato contaminati in hanc lucem prodeunt, etsi casu aliquo ab ea peste nunquam liberentur.

Omnes qui sibi non desunt, perfecta, non solum inchoata illa beatitudine potiri possunt.

Ad postremum respondetur, illũ iure meritoq; malũ, quod citra incommodum potest, ab opere suo arcere debere, qui ex malo permisso, vel nullũ, vel nō tantum colligere potest commodum, quantum est ipsum malum, quod permittit: Deum autem vsq; adeò potentem, bonũ, ac sapientē esse, vt nullum vnquã permittat malum, ex quo nō par, aut etiã maius eliciat bonum. Antè quoque ostensum est malum, de quo hîc agitur, citra graue totius vniuersi, & ordinis à Deo instituti detrimētum, præpediri nō posse: Inter duo autem mala minus anteponendum esse maiori. Tandē si argumētum, quod Antagonista proponit, aliquid necessariò euinceret, euinceret quoq; Deum nullum omnino peccatum, aut malum permittere debere: siue id faceret peccati materiam subtrahendo, siue hominis voluntatem in bono confirmando, siue alio quocunque modo.

Deus nullum admittit malum, ex quo non eliciat aliquod bonũ, & plerunque maius, quàm est ipsum malum.

Sed esto, ais, propter originalis peccati labē eorum ortum impedire non debuerit, quos per gratiam ab illa peste liberatos, magna olim cum gloria & honore ad cœlestes illas sedes transituros nôrat: videri tamē queat illorũ efformationē præpedire debuisse, quos nullo vnquam tēpore ab huiusmodi vitio

Quæstio est, cur Deus illos nasci sinit, quos ab orig. labe nunquam liberandos nouit.

tio absoluẽdos, atque ideo vltimo suo fine perpetuò frustrandos certum erat. Cuiusmodi inter cęteros sunt omnes illi, qui priùs in vtero, vel extra vterum extinguuntur, quàm per Baptismum, aut aliud Sacramentum regenerationis beneficio potiantur.

Ad hoc dici potest: Vt princeps, vel alius legitimus magistratus ob id legem Reipublicę vtilem, vel necessariam nõ refigit, quòd nonnulli, vel malitia occæcati, vel alia causa impulsi in eam præuaricantur, & per consequens noxam simul & pœnę debitum sibi asciscunt: ita prępotentem Deum communem illam propagationis legem, quam in mundi exordio tulerat, legitimeque promulgauerat, propter particulare plurium, vel etiam omnium incommodum interuertere, aut omnino tollere non debuisse: maximè verò, cùm illud incommodum suum quoque adiunctum habeat commodum. Certum est enim melius esse, originali peccato obnoxium esse, etiamsi nunquam inde sis absoluendus, quàm omnino non esse. Quippe cùm in eo ipso quoque esse multæ contineantur illustres diuinæ bonitatis atque perfectionis participationes. Et vt maximè hoc illo minus bonum, aut maius etiam malum esset, adhuc ratio proximè allata firma persisteret. Patet ergo iniustam, & homine Christiano indignam eorum esse querelam, qui opus Dei propter originis peccatũ in ius vocant, vel palàm etiam condemnare non dubitant.

Princeps propter priuatos legis transgressores, nõ debet vtilem legẽ refigere.

Melius est orig. peccato obnoxiũ esse, quàm omnino non esse.

Quæ de originalis peccati traductione, hactenus exposita sunt; videlicet Adamum post admissum peccatũ haud aliam in filios naturam transmittere potuisse, quàm sua ipse culpa, & inobedientia effecerat, puta contaminatam, gratiaque, & vitæ spiritu vacuam, atque ob id à Deo alienam: inoffenso pede procederent, inquis, si quidem Adam priùs procreâsset liberos, quàm amissam gratiam redintegrâsset. At quòd iam in gratiam receptus, & à vitio, quod per rebellionem contraxerat, expiatus; & alij item fideles (eadem nanque est ratio de vtrisque) in Baptismo spiritus nouitatem adepti, adhuc

Quæstio haud leuis, cur iusti & sancti generent iniustos, & sanctitatis exortes.

 Deo

Deo inuisos, iræque filios pariant, id humanum sensum vix capere, id paruos simul & magnos admirari, vt quod maximè.

Orig. iustitia post primum lapsum nulli mortaliũ obtigit secundũ omnem effectum.

At cessaret omnis hæc admiratio, mentisque titubatio, si, vt par est, cogitaretur, sanctitatem & gratiam (nam originis iustitia, post primum lapsum, nulli vnquam mortalium in hac vita obtigit, saltem secundùm omnem effectum) Adamo non fuisse restitutam vt totius naturæ principio ac stirpi, sed tantùm vt priuatę conditionis homini. Planum est autem, externa indiuiduæ substantiæ accidentia ordinaria lege vnà cum natura non transfundi, sed ea solùm, quæ specificam naturam, vel per se, vel Creatoris sanctione, vel aliqua alia simili occasione consequi solita sunt: Quale quid erat originalis iustitia, & quæ huic exaduerso opponitur, originalis peccati macula. Nam cùm priuatio & habitus eidem subiecto successiuè inexistant, & pari quasi passu incedant: vt originalis iustitiæ donum singulari Dei beneficio naturæ præstitum, (licèt ad speciei rationem intrinsecè non pertineret) à primo homine in omnes & singulos, qui olim ex illo nascerētur, pertransiturum erat; ita originis peccatum, per quod donum illud tollitur, in vniuersum mortalium genus sese diffundit. Vnde etiam omnes moriuntur, & quasi aqua dilabuntur.

Adamo restituta est gratia vt priuatæ personæ. priuata autem non transeũt cum natura.

Priuatio & habitus circa idem versantur.

Iam quod de Adami instauratione, eiusdemque cum Deo reconciliatione hoc loco asseritur, hoc ipsum & de cæteris quoque omnibus, qui quouis modo vel medio ab hac peccati labe expiantur, assertum intelligatur. Quandoquidem vt diuina clementia Adamum suo per inobedientiam deiectum gradu, misericordiæ suę dextera erexit, suaque gratia paternè donauit: non iam quô ille illam ipsam in alios deriuaret, vt primæuam iustitiam, quam communi omnium nomine acceperat, huc deriuaturus erat: sed quô seipsum à mortis laqueo, quo obstrictus tenebatur, expediret: ita eadem illa cœlestis patris benignitas eandem iustificationis, vel reconciliationis gratiā eiusdē Adami posteris gratuitò ac liberaliter impertitur,

Gratia Adamo eiusdémque posteris donatur, non vt ipsi sanctos generent, sed vt à peccato resurgant.

tur, non quô alios carnali generatione sanctificent, sed quô ipsi αὐτοπροσώπως per Christi gratiam liberati, illustrium meritorum stipendia faciant, ac perfectam mortali hac vita defungentes salutem consequantur.

Qui generãt, non generãt vt adoptionis filij, sed vt homines ab omni vetustate non prorsus adhuc exempti.

Cùm ergo quicunque generant, non vt adoptionis filij generent, sed vt homines, idque secundùm corpus, & vires inferiores, quę etiamnum suo modo infectæ manent, (neque enim ea vis per gratiam infunditur animæ, vti à morte, vel patibilitate corpus tueri queat: Vel vt inferiores vires ab innata illa contra spiritum rebellione perpetuò coerceat: hæret nanque, & perstat adhuc in partibus illis, secundùm quas generatio contingit, vetustas poenæ) non est mirum si homines tãtùm, non etiam homines sanctos generant. Imò verò miraculum esset apertissimum, si vel pios, vel regni filios ex se generarent. Quo modo, inquit Augustinus, præputium per circuncisionem aufertur, manet tamen in eo, quem genuerũt circuncisi: quo modo etiam palea, quę opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu, qui de purgato nascitur tritico: Ita peccatum, quod per Baptismum in parentibus mundatur, manet in eis, quos genuerunt. Ex hoc enim gignunt, quod adhuc vetustum trahunt; non ex hoc, quòd lex in nouitate promouit eos inter filios Dei. Nõ enim generant parentes filios secundùm illam generationem, qua denuo sunt nati, sed potiùs secundùm illam, qua carnaliter & ipsi primùm sunt geniti. Hæc ille, & rectè.

Lib. 3. cap. 8. de pec. merit.

Duplici exẽplo probat Aug. fideles infideles gignere.

Eadem ratio, cur iustus nõ generat iustum, ac cur sapiens non generat sapientem.

Sciscitanti proinde, Cur baptizatus, vel aliâs iustus non generat iustum? ab hoc vicissim sciscitari licebit, Cur olim circuncisus non generabat circuncisum? aut cur hoc tempore astrologus nõ generet astrologum, aut medicus medicũ, aut sapiens sapientẽ? Excipiet haud dubiò & dicet, hoc ideo fieri, quia astrologum, aut medicum, aut sapientem esse, est huius, vel illius singularis personę accidens, idque externum, & planè aduentitium, non etiam communis naturæ proprietas: aliâs enim fore, vt quicunque humanæ naturę participes fierent,

rent, ijdem ſimul, vel aſtrologi, vel medici, vel aliud quiduis eiuſmodi eſſent. Iam tu hîc rurſum: Vt ergo te aſſerente, & quotidiano experimento apertè confirmante, ex homine erudito naſcitur infans rerum omnium rudis; ex grano mundo & nitido, quod ſeminatur, alterum glumis & ariſtis obſitum; ex molli & leui caſtanea, altera hirſuta & aſpera, & alia itidem ex alijs: ita etiam ex pijs, fidelibus, & ſanctis parentibus oritur proles omnibus virtutum omnium ornamentis deſtituta, atque adeò naturæ vitio obnoxia.

Probatur aliquot Antagoniſtarũ rationibus, iuſtos iuſtos ex ſe progignere.

At nondum, inquis, faceſſit hîc omnis omnino difficultas: Nam etſi cõcupiſcentia, inferiorumque virium infirmitas ac pugna, poſt ſuſceptum Baptiſmum reliqua maneãt; nullo tamen modo ipſum originis peccatum obmanet, vt quod cum iuſtitia, diuinæque gratiæ prerogatiua vnà conſiſtere nequaquam valeat. Cùm ergo effectus cauſam ſuam non excedat, quo pacto concupiſcentia, cæteraque naturæ vulnera, quæ in generante iam iuſtificato tantùm pœnæ rationem habent, & hoc ipſum quoque non admodum adhuc propriè, in genito culpæ rationem ſortiuntur? Rurſum cùm gratia efficacior ſit peccato, & miſericors Deus ad ignoſcendum pronior eſſe ſoleat, quàm ad puniendum: quî fit vt vnum vnius Adami peccatum & iniuſtitia cõdemnare, hoc eſt, culpæ & pœnæ totum humanum genus ſubijcere potuerit; eius autem iuſtitia, & ſatisfactio idem illud totum in illo collapſum in integrum reſtituere nõ potuerit? maximè verò, cùm apud Anſelmum diſertè proditum extet, Adamum ſuam iniuſtitiam ad eos, quos ex ſe progeniturus erat, nequaquam tranſmittere quiturũ fuiſſe, ſi ſuam iuſtitiam ad eos traducere non valuiſſet. Denique (& redit in idem penè) ſi ob id omnes in Adamo peccauerunt, quòd virtute in illo peccante extiterunt, cur in eodem omnes non ſatisfecerunt, qui potentia in illo ſatisfaciente latuerunt? An non ſi oppoſitum eſt cauſa oppoſiti, propoſitum erit cauſa propoſiti?

Etſi verò his omnibus, per illa, & ex illis, quæ iam antè expoſu-

posuimus, occurri possit: tamē amplioris lucis causa, & quòd hîc nouę quędam de cœlestis gratiæ, Adamicęque satisfactionis vi difficultates obiter tactæ videãtur, ad singula argumentationis huius membra seorsum respondere visum est. Cùm ergo gratiam, vel iustitiam cum originali peccato vnà consistere posse negatur, id sanè negatur, quod nemo vnquā sanus affirmauit: si tamen vtrunque ex æquo, & secundùm idem accipiatur: secùs si non secundùm idem, vel non eodem modo vtrunque sumatur; sed alterum formaliter, alterum tantùm materialiter. Potest nanque mentis tranquillitas & sanitas, in qua formalis originalis iustitię ratio pręcipuè posita erat, cum inferiorum virium ægritudine, & rebellione, quas originalis peccati materiale nonnulli appellant, consistere. Sed ad argumenti formam. Mentis tranquillitas cū inferiorum viriū pugna consistere potest.

Concupiscentia, inquiunt illi, & cætera naturæ vulnera in regenerato tantùm sunt pœnæ, & illud ægrè, ergo in genito non possunt esse veræ rationis noxæ. Ad hoc igitur cum grauissimo quodam Theologo respondemus, vitiū naturæ, quod in regenerato pœnæ tantùm rationem sortiebatur, in prolem transfusum culpæ naturam induere. Nam etsi pœna, vt pœna est, culpæ causa esse non queat; benè tamen culpam ex se progignere potest, vt ex culpa ortum ducit: siquidem effectricis causæ vis incolumis persæpe in effectis persistit. At effectus, aiunt illi, causam excedere nequit. Sit ita, (tametsi in instrumentali causa, qualis vtique hîc est libidinosa satio, vel ipsum genitale semen non absque libidine & concupiscentia proseminatum, falsum id sit) sed nihil hoc ad nos: effectus enim causam suam hîc non excedit. Nam vitium naturæ, quod in prole existit formaliter, in parente hęret causaliter, aut radicaliter, vt fructus in semine, vel ramus in radice. Thom. 2. d. 31. q. 1. Pœna, vt pœna, culpā ex se non generat. Vitium naturæ, quod in prole hæret formaliter, in parēte existit causaliter.

Antè quoque ostensum est, & hoc nunc loco denuo repetendum est, (facit enim ad rem non minimè) concupiscentiam secundùm se, neque peccatū, neque propriam peccati huius culpam esse, ne materialem quidem, etsi certa quadam ad ma-

 teriam

Concupiscẽtia secũdùm se non est peccatum, nec peccati portio.

teriã propriã proportione,& analogia, materialis illius portio nonnunquam appelletur: sed proprium,ac manifestiorem eiusdem effectum. Quæ aũt vera, ac propria, quæ item instrumẽtalis,& meritoria originalis peccati causa existat,id iã antè explicatũ est fusè,&,quantũ res patiebatur,perspicuè & clarè.

Adamus ad iustitiæ libellam pro omnibus nõ potuit satisfacere.

Ad secundũ dicitur,licèt gratiæ diuinæ energia sit magna, & cœlestis patris propensio Dei ad ignoscendũ neutiquã parua,Adamũ tamẽ pro se,cæterisq́; omnibus, ad æquam iustitiæ libellã satisfacere nõ potuisse.Nam & mortẽ,& vitæ huius calamitates suo ipse nomine debebat:& gratia,quam diuina benignitate recuperârat,suã ipsius personã non excedebat: Nec enim ob id ille in gratiã receptus erat, quô gratiæ sibi collatæ subsidio mundũ seruaret,sed quô caput suũ mortis discrimine eriperet. Quapropter licèt amplissima gratia illi obtigisset, vt fortè obtigit, nihil tñ alijs illa cõtulisset. Sed & natura quoq;, ꝑ qua factũ satis oportuit,propagatione in infinitũ diffũdi poterat:atq; ideo,neq; Adamᵘˢ,neq; vllus alius finita tãtũ virtute prędítus illius preciũ ęquare,aut vitiũ illius abolere valebat. Et offensa tandẽ, quã amoliri debebat,tanta erat, quãtus is,in quẽ ceciderat, q vtiq; modis oĩbus immẽsus erat.Nullo ꝑinde ope quantũlibet heroico Adamˢ naturã eò reuehere poterat, vnde illius scelere deciderat:& ꝑ cõsequẽs,ne posteri illius originis peccatũ cõtraherẽt,nulla vi,aut studio efficere poterat.

Vis infinità minor pro toto humano genere satisfacere nõ poterat.

Cæterùm bonum'ne gratiæ, an malũ culpæ maiori vi polleat, parũ id ad rem pręsentem facit. Nam, vt suprà ostensum est,Adę peccatum nõ tam per modũ efficientię inficit naturã, (quanuis & hoc modo quoque inficiat) q̃ per modum meriti: Nam inobediẽtia sua iustè ille promeritus est,vt cum tota sua posteritate ex paradisi, & originalis iustitiæ possessione pelleretur,ijsq́; miserijs & calamitatibus,quas præsens hęc vita afferre solet,inuolueretur.Mitto hîc,longè maiorũ virium opus esse aliquod collapsum in integrum restituere, q̃ integrum aliquod in suas partes resoluere.Experimur enim per multa efficacia pharmaca id quandoq; nõ posse exhauriri, vel instaurari,

Maioribus opus est viribus, vt collapsum aliquod instaures,q̃ vt integrum euertas.

ri,quod per vnā tantū noxiā escā,aut potionē ingestū fuerat.

Sic fatendū est quoque, Deū Opt. Max. ęquè pronū,& suo quoq; modo proniorē esse ad miserendū, & absoluēdum,q̄ ad puniendū,vel condemnandum, id tamen salua iustitię suę lege:at hęc multò maiorē satisfactionē deposcebat, q̄ Adā tota sua vi p̄stare poterat. Quod tandē ex Anselmo adferebatur, id nullū causę nostrę prędiudicium adfert:loquitur is enim nō de satisfactoria iustitia, sed de primęua, siue de originali, quam Adamum, si constitisset,in posteros transmissurum prædicat, nō secùs atq; nūc in eosdē trāsmittit peccatū,& maculā:Quod vtiq; verum est,& apud oēs doctos & indoctos in confesso est.

Deus æquè pronus ad parcendū, ac ad plectendū, id tamen salua iustitię suæ lege.

Ad id quod postremò allegabatur, iam antè responsum est clarè.dictū est enim, Adami satisfactionē nō cōmunē naturā, sed illius duntaxat personā in integrū restituisse:Eiusdē autem peccatū,non alterum tātùm, sed vtrunq; simul deprauâsse. Ex quo etiā sequitur,oppositorū legē hîc locū nō habere:Siquidē satisfactio Adę nō opponebatur illius culpæ,vt hęc cōmunem omniū naturā inficiebat: sed hactenus tantū illi aduersabatur, quatenus illius personā inficiebat, eādemq́; satisfactionis debito obstrictā tenebat. Patet ergo,neq, Adamū,neq; aliquē aliū ex Adamo secūdùm seminalē rationē ortū, suam iustitiā, vel sanctitatē in ꝓlem ex se genitā trāsmittere potuisse, aut posse.

Oppositorum lex fallit in Adami prævaricatione, & satisfactione.

Et quemadmodū proximorū parentū pietas,vel sanctitas in eorundē liberos per generationē nō trāsfertur,neq; ordinaria lege trāsferri potest:ita neq; eorūdē quoq; improbitas,vel impietas, vel vllum omnino personale illorum flagitiū, aut peccatum in eorundem genus propagatione transmittitur. Nam si eiusmodi peccatum in nepotes, vel liberos transmitteretur: aut transmitteretur quo ad culpam,aut quo ad pœnā. Nō quo ad culpā:culpa enim omnis,vel actualis est, vel originalis. Actualis suppositū,vnde egreditur,non excedit. Et si quo casu in alterū pertransiret,iā in illo nō actualis vel personalis, sed originalis esset,quāuis ne hoc quoq; satis ꝓpriè. Quandoquidē originalis noxa cōmunis doni priuationē ponit. At nullū spiri-

Nullum personale parētum peccatū in illorum liberos transmittitur.

Actualis noxa authorem suum nō excedit.

Orig. peccatū ponit cōmunis doni amissionem per peccatum.

tale donum ordinaria lege per generationẽ in prolem transmittendum in proximis parentibus extat, vel extitit aliquando, quod per aliquod personale illorum peccatum amissum sit, aut quouis modo amitti potuerit. Amissum est sanè originalis iustitię beneficium, sed id non per actum aliquem proximorum progenitorum, sed per primi hominis flagitium.

Soli culpę authori pœna infligitur.

Nec rursum quo ad pœnam: siquidem nulli pœna in culpæ vindictam infligitur, nisi culpę authori. Quòd si qua insonti interdũ irrogatur, in eo nõ sortitur propriam rationẽ pœnæ, sed vel medicinæ, vel alterius eiusmodi. Adhęc per generationem ea tantùm accidentia communi, & perpetua lege transferri solent, quę ex conditione naturæ, vel ex Dei munere totam naturam specificam consequuntur: atqui peccata personalia, vt nomen ipsum indicat, nõ ad communem naturam, sed ad personam pertinent. Denique si peccatum vnum, vel vnius transmitteretur in prolem, & alterum quoque vel alterius huc transmitteretur, cùm par omnium sit ratio: at non omnium, nec omnia transmittuntur: nam aliâs, qui extremis illis temporibus orirentur, immensa peccatorum mole obruerentur; essentque suis maioribus multis semper partibus improbiores, quod experientia in multis ostendit esse falsum. Videmus enim pessimos ex optimis, & optimos rursum ex pessimis interdum nasci. Ergo nullum omnino præter illud primum, quo amota est originalis iustitia, per generationem in posteros traducitur.

Generatione specifica tantũ accidentia transferũtur.

Si peccatum vnum personale trãsmitteretur, trãsmitterentur omnia.

Augustinus anceps de personalium peccatorũ transmigratione.

Fatendum est tamen, Augustinum de ea re aliquãdo nonnihil hęsitâsse, imò verò in aientem partem inclinatiùs propendisse. Siquidem de fide ad Laurentium scribens hęc inter cętera habet: Parentum quoque peccatis paruulos obligari, non solùm primorũ hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, nõ improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina sententia, Reddã peccata patrũ in filios: tenet eos vtiq; anteq̃ per regenerationẽ ad Testamentũ nouũ incipiãt pertinere. & paucis interiectis: Ac ꝑ hoc nõ ob aliud instituta est regeneratio, nisi

In Ench. c. 45

Exod. 20.

nisi quia vitiosa est generatio, usq; adeò, vt etiā de legitimo matrimonio peccatus dicat, In iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Neq; hîc dixit, In iniquitate vel peccato, cùm & hoc rectè dici posset: sed iniqtates & peccata dicere maluit. Quia & in illo vno quod in oēs homines pertransijt, atque tam magnum est, vt in eo mutaretur & conuerteretur in necessitatem mortis humana natura, sicut suprà disserui, reperiuntur multa peccata, & alia parentum, qui etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat. Psal.50.

Ab hac Augustini sententia, (si tamen sententia dici debeat, disputatorem nanque agit veriùs, quàm definitorem) non multùm abhorrere videtur ex neotericis quidam: Nam mota quæstione, cur proximorum progenitorum scelera in suos posteros non transmittantur, sicut primi hominis, hunc ille in modum respondet: Respōdendum videtur, omne quidem scelus eius esse conditionis, vt suum authorem, & totam eius posteritatem eo modo inficiat, quo infecit prima hominis transgressio. Quia qui facit peccatum, meretur seruus peccati fieri: & seruus factus, non nisi seruos sibi similes generare possit. Quod nascitur ex carne, caro est. Sed quemadmodum Deus vindictam primæ transgressioni debitam sic temperauit, vt ex lapsis parentibus multos non tam peruersos filios sinat generari, quàm iusto iudicio nascēretur, nisi eis misericorditer indolem meliorem indulgeret: sic etiam Deus vindictam posterioribus parentum sceleribus debitam sic temperat, vt frequenter, neque parentes ipsos suis peccatis ita corrumpi sinat, sicut eorum meretur transgressio, neque corruptionem scelerum vsu contractorum in filios traduci sinat. Hæc ille. Quibus haud obscurè insinuat, omnia peccata suapte natura eiusmodi esse, quæ in prolem transmitti queant, imò verò re ipsa, nisi per diuinam clementiam staret, omnia in prolem transitura esse. Verùm propter rationes iam antè allatas, & multas præterea alias, quas hunc in locum adhuc adferre

Augustino fauet Neotericus quidā Scriptor.

Ioan.3.

Nullo modo probabile fit, personalia parentum scelera transire in illorum posteros.

liceret, & communem Theologorum Scholæ sententiã, nullo modo id admittẽdum existimo. Esset enim paruulorum absq; regenerationis gratia hinc decedentiũ, imò omniũ omnino mortalium conditio longè durissima. Iugum, quod vnus homo nobis imposuit, vix sustinemus: & omnium maiorum, quotquot iam inde ab initio vsque ad hanc præsentem ętatem nos antecesserunt, portabimus?

Non omnis quæstionis expers est, an Adamus primæ tentationi resistens, cum tota sua posteritate in gratia confirmatus fuisset

Porrò autem vt proximorum parentum peccata ordinaria saltem lege in eorum liberos non transmitti certum est: ita non omnis quęstionis expers est: An, si Adamus primæ tentationi non cessisset, aut omnino non peccâsset, eximium illud originalis iustitiæ donum ita firmatum, naturęq; infixum in posteros transmissurus fuerit, vt nullo ipsi deinceps peccati genere illud deperdituri fuerint: an verò tam ipse, quàm reliqui omnes, qui ex ipso nasciturі erant, dum ad alteram meliorem vitam transferrentur, ęquè peccare, iustitiamque & sanctitatem amittere potuissent, ac si nulla antè pugna, aut victoria intercessisset.

Anselmus innuit, Adamũ post primam de hoste victoriam cum tota posteritate gratiæ stabilitate potiturum fuisse.

Statim post primam de hoste victoriam, cùm ipsum, tum vniuersam quoque illius posteritatem confirmationis donum obtenturũ fuisse, innuere videtur Anselmus. ait enim: Si primi parentes sic vixissent, vt tentati non peccâssent, ita confirmarentur, cum omni propagine sua, vt vltrà peccare non possent. Hęc Anselmus ad illud Gregorij Magni satis consentaneè. Si, scribit ille, parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex se filios gehennę generaret: sed hi, qui nunc per Redemptorem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur. Isthæc ante Anselmum Gregorius, quibus ex Scholę Theologis astipulentur nonnulli.

Alij in alterum quasi extremum dilapsi, defendunt Adami stirpem, etiamsi is post obtentam de hoste victoriam stabilitatis dono potitus fuisset, hostis insidijs capi, ac labi, amissaque iustitia, & sanctitate mori: imò verò contractam abs se iniustitiam, non secùs in eos, qui ex ipsis nascerentur, transmittere potu-

potuiſſe, & reipſa quoque tranſmiſſuros fuiſſe, atque nunc Adamus ſuæ prçuaricationis labem in illos transfundit, qui ex illo oriuntûr. Verumenimuerò licèt, quç de perſonali Adæ confirmatione, deque reliquorum in vtranque partẽ liberta-te, hîc traduntur, admitti queant, cętera tamẽ difficultate non carent. Nã ſi ſola Eua, vel ipſo quoq; Adamo alio peccati gene-re (vt quidã volunt) illum, à quo conditus fuerat, ad iram pro-uocante, nullum originis peccatum in poſteros tranſiturum erat: nulla grauis apparet ratio, cur perſonale proximorum parentum peccatũ, cum quibus nullũ pactum initum fuerat, in genus illorum pertrãſiturum fuiſſẽ cõcedi debeat: maximè ve-rò, cùm poſt naturã peccato deprauatã paterna vitia in ꝓlem transferri non ſoleant, neque naturaliter quoque transferri queant. Quanuis ergo infantes pueri in ſtatu innocentię eiuſ-modi naſcerentur, qui peccare & labi poſsent; etiamſi Ada-mus diaboli pulſatus inuidia immotus conſtitiſset: (nec enim probabile fit, plus illis in ortu ſuo, aut perfectionis, aut ſtabili-tatis obuenturum fuiſse, quàm in creatione ſua obuenerat Adamo: hic autem, vt euentus probauit, labi potuit, vt & reipſa quoque lapſus fuit) attamen ſi, Adamo ſtante, ipſi corruiſ-ſent, lapſus eorum macula neceſsariò in eorundem ſobolem per generationem deriuata non fuiſset.

Non fit veri-ſimile, perſo-nale poſtero-rum peccatũ, in illorum li-beros tranſi-turum fuiſſe.

Non exceſ-ſiſſent Ada-mum perfe-ctione, aut ſta bilitate, qui ex illo naſci-turi erant.

Et quemadmodum nullo neceſsario argumento nituntur, qui hanc ſcelerum filiorum Adæ μετοιχεσίαν ſtatuunt: ita nullo quoque aut grauium rationum pondere, aut Scripturarum authoritate fulciuntur, qui Adamum poſt primam deuictam tentationem, cum tota ſua poſteritate confirmationis gratia donandum fuiſse contendunt. Sed quid ad Anſelmum & Gregorium? Anſelmus de hac controuerſia diſceptans, id, quod ex illo allegauimus, abſolutè non aſserit, ſed tãtùm ꝓpo-nit. ait enim: Videtur autem, ſi primi parentes ſic vixiſsent. Ad Gregorium porrò quod attinet, nihil ille de communi illa omniũ cõfirmatione prędicat: ſolùm monet, Adamũ, ſi in in nocẽtia ſua perſtitiſset, nullos ex ſe gehennæ filios progene raturum

Nulla ratio, nulla Scriptu ræ authoritas euincit, Ada-mum poſt pri mam deuictã tentationem inexpugnabi-lem euaſurũ fuiſſe.

Ex Grego. & Anſel. euidẽ-ter colligi nõ poteſt, Ada-mum poſt pri mam deuictã tentationem, cum tota ſua poſteritate in gratia cõfir-mãdũ fuiſſe.

raturum fuisse. & hoc verum est, quia ex pio & iusto nullum iniustitiæ, aut impietatis venenum traxissent, sed illustre iustitiæ, ac sanctitatis donum. Hoc tamen nihil quicquam prohibet, quô miuùs ipsi ad rationis vsuram iam euecti, ex se per liberum arbitrium acceptam iustitiam amittere, atque adeò gehennæ filij euadere possent. Quòd si omnino nulli ex illis in peccatum plapsuri erant, vel in peccato perpetuò morituri, id ex singulari Dei cura & prouidentia, & peruigili Angelorum custodia consequuti fuissent veriùs, quàm ex vllo confirmationis munere.

Lib. 14. c. 10. de ciuit.

Probabile fit, Adamum cũ sua sobole, dum animalem vitã ducerent, in peccatum prolabi potuisse.

Si qui tamen sunt, qui Gregorium & Anselmum eius opinionis fuisse existimant, & illos sequi malunt, quàm Augustinum, & alios complures eximiæ eruditionis & sanctimoniæ Patres, qui Adamum vnà cum sua prole, dum vitam animalem ducerent, & liberis operam darent, confirmationis beneficio neutiquam potituros fuisse defendunt, eos nos suo in sensu abundare haud inuiti patimur. Nobis sat sit, vtcunque perspicuè, & clarè ostensum & explicatum esse, quod hîc ostensum & explicatum volebamus: nempe originis peccatum contrahere, aliud nihil esse, quàm naturam in Adamo, & per Adamum originali iustitia orbatam, atque adeò à Deo auersam, abalienatamque, protrita generationis via participare, filium've, vel filiam Adami fieri. hoc est, proximè, vel persona quacunque intercedente, ex ipso progigni. Tum peccatum vnum hoc per generationem perpetuò transfundi, cuiuscunq; tandem sanctimoniæ proximi progenitores extiterint. Tum demum, quæ de generali omnium confirmatione post primam victoriam prędicantur, basi non admodum firma niti. Sicut nec illa quoque, quæ de originalis peccati propagatione, alio quàm Adamo peccante, à quibusdam asseruntur. His ergo de originalis peccati propagatione constitutis, ad alias eiusmodi peccati causas se conferat disputatio.

Orig. peccatũ contrahere, est naturam in Adamo deprauatam communi generationis via participare.

Originis

Originis peccatum, quod vnum est specie in omnibus, vnum numero in singulis, ad voluntatem & reliquas animæ partes virus suum ita diffundere, vt tamen eiusdem essentiæ insideat proximè.

TRACTATVS DECIMVS.



Vę formalis, quę item effectrix, (si tamen effectrix: peccato nanque, vt antè quoque monuimus, deficiens causa assignatur verius, quàm efficiens) originalis peccati causa existat, expositum est hucvsque: nunc verò, quæ materialis eiusdem peccati causa, siue quod proprium, ac proximum peccati huius subiectum censeri debeat, paucis vt ostendamus, res ipsa monet.

Peccatum deficientem verius, quàm efficientē causam sortitur.

Et quidem carnem, quę gignitur, aut semen, quod in cuiusq; ortu à generante deciditur, aut aliquam aliam corporis partem, primam ac propriam peccati huius sedem non esse, extra controuersiam positum est. Etenim quod per se primò originalis iustitię, aut diuinę quoque gratiæ subiectum rectè assignari non potest, id neque peccati quoque sedem aptè sat assignaueris: siquidem priuatio & habitus circa idem versantur, peccatum autem & gratia, etsi absolutè opposita nō sint, in hoc tamen corrupto naturæ statu vt verè opposita nunquam simul, sed perpetuò alternis insunt. At verò carnem secundùm se totam, aut aliquam eius partem primum diuinæ gratię, aut verè alicuius virtutis subiectum esse nō posse, apud eruditos quæstionis expers est.

Caro non est propria orig. peccati sedes.

Idem orig. iustitiæ & orig. iniustitiæ subiectum est.

Peccatum & gratia vt verè opposita nūquam simul consistunt.

Et cur carnem primum peccati huius subiectum assignare non liceat? Quia primum ac proprium cuiusque accidentis subiectum, ipsi proportionatū, & quodammodo adæquatum sit, oportet: neque enim id primum ac proprium felicitatis subiectum esse potest, quod felicitatis secundùm se nullo modo capax est; neque id proprium rursus visionis receptacu-

Accidēs subiecto proportionatum sit, oportet.

 lum,

lum, quod ex se videre natum non est. Cùm ergo in hominis naturam cadant gratia & amicitia, &, quæ his opponuntur, noxa & inimicitia, non possumus id primum & proprium vtriusque subiectum non assignare, quod homini, vt homo est, maximè proprium est: eiusmodi autem est, mens, vel anima mente & ratione prædita: Corpus enim & corporis affectiones cum cæteris animantibus communes habet.

Anima humana vel primum vel proximum peccati & gratiæ subiectum est. Mens homini propria, corpus illi cum brutis cõmune est.

Adde huc non omnino inusitatam in Scholis sententiam esse, originis peccatum ad eum ferme modum ab Adamo in vniuersum mortalium genus fluere, quo modo peccata propria vel personalia ad reliquas hominis partes, ac facultates dimanant. Quemadmodum ergo isthæc non ad quasuis hominis partes dimanant, sed ad eas tantùm, quę peccati subiectum, vel instrumentum esse possunt: cuiusmodi eæ solùm censeri solent, quæ voluntatis imperio, aliquo modo parere, & obsequi natę sunt: ita originis peccatum non permeat ad omnes omnino homines simpliciter, sed ad eos tantùm, qui per motum generationis ab Adamo fluxerunt. Nec ad omnes rursum & singulas hominum inde prodeuntium partes absolutè, sed ad eas solas, quæ peccati subiectum esse possunt: quales vtique sunt illæ pręcipuè, quas paulò antè assignauimus; & ipsa rursum intelligens anima, quę harum omnium radix ac basis existit. Ad reliquas autem si quid vitij ex primo illo hominis peccato descendit, id pœnæ rationem sortitur veriùs, quàm noxæ.

Ad eum ferè modum orig. peccatum ab Adamo ad singulos homines deriuatur, quo peccatum personale ad singulas hominis partes peccati capaces.

Non omnes hominis partes peccati subiectum esse possunt, sed eę solùm, quæ rationis exortes non sunt.

Asseruimus autem carnem, & quę cum carne affinitatem habent, primam ac propriam originalis sedem esse non posse: non etiam nihil quicquam cum carne commune habere: vel nullo existendi modo in carne, vel corpore existere posse. Constat nanque, & in carne quoque peccatum hoc aliqua ratione existere. Nam vt in generis nostri principe Adamo extitit, tanquam in principio remoto; in parentibus proximis, abauis

Orig. peccatum aliqua etiam ratione in carne existit.

auis item & proauis, tanquam in propinquo; (sunt enim hi veræ ac propriæ ipsius naturę, cum qua vnà cooritur, causę) in semine tandem, vt in instrumento, per quod transfunditur: ita in carne vel corpore, secundùm effecta sua existit. In oculis enim omnium est, peccatum hoc sua virulentia non solùm fami, & siti, & alijs pręterea innumeris calamitatibus ac miserijs nostram hanc carnem obnoxiam reddidisse, verùm etiam mortis legibus, moriendi've necessitati eandem subiugâsse. Imò verò non solùm in carne est tanquam causa quædam in suo effectu, verùm etiã est in illa vice versa, hoc est, tanquã effectus in sua causa, tametsi id minùs ꝓpriè, diuersaq; ratione.

Orig. peccatũ etiam in carnem sese diffundit, suámque vim in eã exerit.

Orig. peccatũ est in carne vt causa in suo effectu, & vice versa quodã modo.

Edisseram id clariùs: Generali quadam ratione, (nam speciales inexistendi modi sunt varij) dupliciter alterum in altero esse contingit: vno modo, vt in subiecto: altero modo, vt in causa. Omne autem quod est in altero tanquam in causa, vel est in illo tanquam in causa principali, vel tanquam in causa instrumentali. Quod in principali causa existit, siquidem agens synonymum fuerit, secundùm formę similitudinem in eo existit. Quod autem in causa instrumentali existit, id tantùm secundùm virtutem, quam à principali agente recipit, in eo existit, non etiam secundùm formæ similitudinem. Vt ergo statua Mercurij in ęre vel ligno existit, tanquam in proprio & immediato subiecto; in artifice vel artificis mente, tanquam in causa principali; in dolabris demum & malleis, & alijs id genus organis, tanquam in causa instrumentali: ita originis peccatum in anima quidem existit tanquam in proprio subiecto; in semine autem, quod ex carne deriuatur, & in carnem rursùm transmutatur, transmutatque vicissim, si masculum fuerit, tanquam in causa instrumentali; in Adamo tandem, tanquam in causa principali: quanuis interim naturæ partes non eodem modo in ipso extiterint. Nam corpus in ipso extitit tanquam in causa efformante, vel efficiente: anima verò tanquam in causa materiam ad certam formę susceptionem disponente, ac præparante.

Alterum in altero, vel vt in causa, vel vt in subiecto.

Quod est in altero tanquã in causa, vel est in illo tãquam in primaria, vel tãquam in secundaria.

Similitudine exponitur, quomodo orig. peccatum sit in carne, vel corpore.

Naturæ partes non eodẽ modo extiterunt in Adamo.

Duplex productionis ordo: naturæ vnus, generationis alter.

Naturæ ordine perfectum prius est imperfecto, Generationis ordine verò imperfectũ perfecto.

Ordine naturæ orig. peccatum prius est in anima, ordine verò generationis prius in corpore.

Et quemadmodum duplex est productionis causa: altera primaria, altera secundaria: ita duplex quoque generationis ordo existit: naturæ vnus, generationis alter. Ordine naturæ forma prior est materia, actus potentia, & omne omnino perfectum naturæ ordine prius est imperfecto. At verò generationis ordine materia prior est forma, potentia actu, & omne imperfectum, & inchoatum hoc ordine prius est perfecto, & consummato. Quia ergo forma perfectior est materia, & anima rursum perfectior est corpore, fit vt originale peccatum ordine naturæ priùs sit in anima, quàm in corpore vel carne: nam in hac est tanquam in causa instrumentali, quanuis ne hoc quoque satis propriè; in illa tanquam in subiecto. In carne tamen priùs est ordine generationis: hinc enim ad modum suprà expositum, anima vitium trahit. Nam cùm certò illud contrahat, & non per aliquod priuatum opus; aliâs enim peccatum hoc originale non esset, sed actuale: nec rursum ex Deo creante; Deus enim nulli omnino concreat peccatum: nec ex Deo tandem infundente; alioquin in pœnam non satis iustè posset imputari: necessum est, vt ex eo illud contrahat, quòd tali carni vel corpori, ex Adamo videlicet per viam seminalẽ propagato, vt propria forma vnitur. Quòd si tantùm vt motor ei coniungeretur, non magis inde contaminaretur, quàm solis radij inficiuntur ex rerũ sordibus, quas contingunt. Hæret ergo & in carne quoq; originis peccatum: quanuis id non eo modo, quo hæret in anima, sed lõgè diuerso.

Orig. peccatũ proxime & propriè inhęret animæ.

Orig. iustitia proximè animæ substantiæ insidebat.

Hæret autem in anima non quouis modo, aut gradu, sed proximè, & propriè. Nam vt originalis iustitia non huic, aut illi animę parti, vel facultati insidebat, vt primo, proprio, ac proximo subiecto; sed ipsimet animæ secundùm se, siue ipsius animę substantiæ: (vnde & dos quoque naturæ appellata est) ita originis peccatũ, quod illi opponitur, (est enim priuatio totius illius rectitudinis, quam originalis iustitia pręstabat, ex scelere Adami orta) primò, per se, & proximè ipsam animæ οὐσίαν occupat: Licèt hîc ita non hęreat, quin inde quoque

quoque ad voluntatem, & alias animæ vires, quę noxa aliqua cõtaminari possunt, potẽter sese diffundat. Nam vt fluxu quodam naturali, ac necessario ab essentia animæ dimanant eiusdem animæ potentiæ & vires: ita quicquid in ea tanquam in proprio & immediato subiecto existit, id totum inde certo quodam ordine ad naturales illius facultates quoq; sese porrigit.

Quicquid animæ proximè insidet, id inde ad illius potentias se fundit.

Fateor hanc de proximo & proprio originalis peccati subiecto sententiam nõ esse omnium simpliciter: est tamen plurium, & rationibus præterea nõ nixa vulgaribus. Etenim cùm anima corpori vniatur, nõ vt motor tantùm, neque vt proximum operationis principium, sed vt essentialis illius forma: (quo nimirum ex ea & corpore conflet ur vnum aliquod per se) necessarium est vt proximè per essentiam suam coniũgatur ipsi carni vel corpori. Nam si per aliquod medium hæ partes inter se connecterentur, non exurgeret vnum per se, sed vnum tantùm per accidens. Cùm ergo originis peccatum inde contingat, quòd hæc anima vniatur huic corpori, vt vera, essentialis, & proxima illius forma: nõ potest profectò peccatum hoc primò, & proximè illius essentiam non attingere, & per consequens non potest naturæ ordine non priùs in ea tanquam in vero ac proprio subiecto existere, quàm in potentijs, quę naturali quodam fluxu ab illa, vel ex illa dimanant. Siquidem substantia accidentibus naturâ quidem & ratione semper, sępe quoq; tempore prior existit. Nec enim, vt corpus ad animam, ita etiam anima ad suas affecta est potentias. Quandoquidem corpus ad animam comparatur, vt materia ad suam formam: materia autem etsi non ordine naturæ, aut perfectione, via tamen generationis formam antecedit: At verò substantia animæ comparatur ad suas facultates, vt causa ad sua effecta: fluunt enim hę ab illa.

Anima vnitur corpori, vt forma, non vt motor tantũ.

Anima citra medium vnitur corpori vt forma.

Substãtia accidentibus naturâ prior.

Anima ad suas potentias se habet, vt causa ad effectum.

Vt ergo anima coniungitur carni, (vnde peccatum, de quo hîc disputatur, contrahitur) non per suas vires, sed per semetipsam, siue per essentiam suam proximè; potentiæ autem

eidem illi carni vniuntur, non per se proximè, sed anima, quæ corporis est forma, mediante: ita originis peccatum proximè quidem sese infundit in animam, per hanc autem in voluntatem, (in qua etiam præcipuam suam vim exercet) mox certo quodam ordine ad reliquas animæ facultates virus suum diffundit. Et quia peccatũ hoc, priùs, & pressiùs inhęret animæ, quàm vlli omnino eiusdem animæ virtuti, aut potentiæ, fit vt naturę vitiũ appelletur familiariùs, quàm personæ: Non enim personam respicit nisi per naturam, cuius vtique essentialis pars, non est aliqua vis animæ, aut aliqua eiusdem animæ potentia, sed ipsamet anima absolutè accepta. Potentiæ autem, quòd sint quędam tantùm naturę proprietates, ac operationum principia, ad personam pertinent veriùs, quàm ad naturam. Nam ad naturam ea solùm spectare traduntur, quę speciem constituunt: Ad personam autem, & hęc ipsa, & illa præterea, quibus persona à persona secernitur, & ad exercendum opus aliquod idonea redditur; qualia inter cętera sunt potentiæ, earumque organa, & instrumenta: sunt enim actus suppositorum: actus autem potentias ponunt tanquam principia. Extant & alię quoque causæ, cur naturę vitium appelletur frequentiùs, quàm personæ: sed quia illas suprà exposuimus, nullum est operęprecium eas nunc hoc loco denuo repetere. Proxima ergo peccati huius sedes sit animę οὐσία.

Orig. peccatũ ex animæ essentia se diffundit ad voluntatem, & alias animæ vires.

Orig. peccatum, est peccatum naturæ, & cur.

Potentię personam spectant veriùs quàm naturã.

At obijcies hîc fortè: Anima secundùm se virtutis subiectum esse nequit, ergo nec vitij quoque. Falsò id sumitur. nam cùm secundùm se verum & proprium omnium moralium actuum subiectum existat, vereque & propriè peccatrix, vel virtutum cultrix denominari queat, & denominari quoque soleat, fit profectò vt omnium omnino virtutum & vitiorum, vel primum, vel certè proximum subiectum necessariò censeri debeat. Est autem originalis peccati subiectum proximum, cęterorum autem primum: personalia enim peccata non recipit in se proximè, sed hac vel illa potentia intercedente. Quòd si virium omniũ expers ipsa per se immediatum

Anima est primũ vel proximum virtutũ & vitiorum omnium subiectum.

Anima orig. peccati subiectũ proximũ, reliquorum primũ.

suarum

ſuarum operationum principium exiſteret, non ſolùm proximum originalis peccati ſubiectum foret, ſed reliquorum quoque omnium, abſque vlla omnino exceptione.

Cauſa itaque, vel ratio, propter quam anima ſecundùm ſe, vel eſſentia animę proximum perſonalis culpę ſubiectum eſſe non poſſit, non eſt illius ineptitudo, vel inhabilitas; ſed intrinſeca actualium, vel perſonalium ſcelerum conditio: Quoduis enim perſonale peccatum ſemper prauo actu aliquo conſtat, vel ſanè praua boni alicuius actus omiſſione. Quandoquidem quodlibet eius generis peccatum eſt aliquod, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Cùm ergo actus omnes proximè ab aliqua potētia dimanent, fit vt anima abſq; voluntatis, aut alterius alicuius potētię interceſſione, eiuſmodi peccata in ſe recipere non valeat. Si qua igitur extaret culpa, ad quam nullius omnino potentiæ actus depoſceretur, illius vtique anima immediatum, vel proximum ſubiectum eſſe poſſet. Talis autem culpa eſt originalis labes: non enim conflatur hęc per actum propriū, aut perſonalem, ſed, vt ſæpe iam repetitum eſt, ex origine contrahitur. Ratio cur anima perſonalis noxæ proximum ſubiectum eſſe non queat.

Nec aduerſantur his, qui originis peccatum in originalis iuſtitię priuatione, aut voluntatis auerſione poſitum aſſerunt. Quandoquidem non vſurpant illi priuationem illam pro ſola voluntatis obliquitate vel deſtitutione, ſed pro totali totius iuſtitię & ſanctitatis à toto animę regno proſcriptione, hoc eſt, non ſolùm à voluntate, alijsque viribus ab illa dependentibus, ſed ab ipſa quoq; voluntatis radice: quę ſanè non eſt alia, quàm ipſamet intelligentis animę ſubſtantia. Sunt ſanè duæ hę deſtitutiones, vel priuationes ſuo modo inter ſe diſtinctæ: tamen quia altera ex altera conſequitur, & ſe habent per modum arboris & fructus, vel cauſę & principalis eiuſdem effectus, pro eodem accipi poſſunt, & paſſim quoque pro eodem accepta comperiuntur. Quemadmodum etiam, licèt gratia & charitas, vt cauſa & effectus inter ſe ſint diſtincta, in ratione tamen meriti non infrequenter pro eodem vſurpantur. Vt gratia & charitas in ratiōe meriti, ita animæ & voluntatis deſtitutio pro iiſdem nō infrequenter habentur.

Verum-

Verumenimuerò licèt originis peccatum, si secundùm se absolutè, vel vt inhærere natum est, spectetur, priùs insideat animæ, quàm occupet voluntatem, vel alias eiusdem animæ partes: attamen si illud consideres, vt per se, vel per satellitium suum multa obscœna, & illiberalia desideria, multasque turbas, ac seditiones in animæ ditione excitat, haud dubiè priùs ipsam voluntatem sibi vendicat, quàm, vel animæ substãtiam, vel vllam aliam eiusdem animæ potentiam. Siquidem anima per se proximè non operatur, sed per facultates suas: inter has autem voluntas primatũ facilè obtinet. Constat enim vnam hanc ceteras omnes mouere, & ad opus instigare: nec quicquam omnino extare pœna, vel præmio dignum, quod per se, aut per accidens hinc non fluat.

Orig peccatum, vt inhæret, proximè animæ essentiam; vt autẽ operationis principiũ est, proximè voluntatẽ spectat.

Quòd si verò peccatum hoc non ex propria naturæ suæ conditione, neque ex motuum, quos in nobis ciet, improbitate; sed ex radice, vel ortus sui ratione æstimare lubeat: altùs in sensum tactus, generandique, & concupiscendi vim insedisse deprehendemus, quàm in vllam aliã totius hominis partem. Hîc nanque, si alibi vsquam, virus & energiã illius experimur maximè euidentem, maximeque molestam, & improbam: nec enim hanc tantùm, vel illam hominis partem infestat, & occupat, sed totum penè hominem. Libido, inquit Augustinus, qua obscœnæ corporis partes excitantur, non solùm totum corpus sibi vendicat, nec solùm extrinsecus, verùm etiam intrinsecus totum commouet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu coniunctoatque permixto. Hęc ille, & alia in hunc sensum plura ibidem.

Peccati orig. vis & improbitas maximè euidẽs in inferioribus viribus.

Carnis libido occupat totũ hominem.

Cur, inquis, peccatum hoc generãdi facultati tribuitur frequentiùs, quàm nutriendi, vel accrescendi virtuti, cùm nulla ex his omnibus rationi parere nata sit? Ad hoc dici potest, originis peccatum, ob id virtuti generatiuæ, tactusque sensui, & vi concupiscendi familiariùs adscribi, quàm nutritiuæ facultati, vel augmẽtatiuæ, tametsi nulla ex his omnibus rationis imperio obsequi soleat, quòd tria hęc maiorem cum actu, quo

Orig. peccati ortus & vis familiarius adscribitur generandi virtuti, tactusq; sensui, & vi concupiscendi, q̃ nutritiuæ vel augmẽtatiuæ facultati.

quo natura propagatur, cognationem habeant, quàm reliqua duo. Complectitur enim hic actus duo inter cętera maximè sibi intrinseca: nempe suam ipsius substantiam, & oblectationem à naturę opifice ipsi adiunctam. Oblectatio ad sensum tactus pertinet: actus autem substantia gignendi quidem vi tribuitur vt exequenti: vi autem concupiscendi vt imperanti: Eius enim est tendere in id, quod est conueniens, vel oblectabile secundùm sensum. At verò vis nutritiua huic propagationis actui, aut non seruit, sicut nec augmentatiua quoque: aut hactenus tantùm seruit, quatenus semen pręparat. dici enim solet, Superfluum alimenti semen esse. Non est ergo mirum, si peccati huius infectio gignendi facultati familiariùs tribuatur, quàm nutriendi, vel augmentandi virtuti. Quòd autem nulla ex omnibus istis rationi obsecundet, id solũ probat peccatum personale non magis vni posse tribui, quàm alteri: at non probat originis vitium, quod non à voluntate eius, qui illud contrahit, deriuatur, sed ex origine hauritur, non posse virtuti generatiuæ iustiùs adscribi, quàm nutritiuæ, vel augmentatiuæ.

Nutritio generatiõi seruit, sed remotè.

Superfluum alimenti semen

Porrò autem ex hac tanta partium dissimilitudine, ac multitudine, quas peccatum hoc inficit, vel afficit, quidam natum volunt, vt multitudinis numero interdum exprimatur. scriptum est enim: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Alij ob deformitatum, ex quibus primò ortum est, vel certè ob effectuum, quos ex se progignit, varietatem, multitudinis numero designatum existimant veriùs, quàm vllam aliam ob causam. Verùm licèt hęc omnia verissima sint: nam & multos acerbos fructus ex sese fundit, & multas animę partes turpiter inficit, & scelus, ex quo primùm natum est, multas deformitates per se tulit: attamen non est necessarium, vt ad eam multitudinem Propheta respiciens multitudinis numero illud extulerit. Quandoquidem anallagæ illæ personarum, & numerorum in Scripturis sunt vsitatissimæ, & in illo ipso quinquagesimo psalmo, vnde

Varię opiniones, cur orig. peccatũ multitudinis numero interdũ designetur.

Psal. 50.

de hic locus petitus est, singulare pluralis loco aliquoties vsurpatum legitur, & idem alibi accidit sæpissimè. Taceo, locum hîc allegatum, cùm Hebræum contextum, tum Chaldaicam quoque periphrasim vnitatis numero efferre.

Impropriè loquuntur, qui orig. peccatũ propter actus vnitatem in omnibus vnũ esse dicunt.

Sed quid? est'ne ergo vnum tantùm, an plura? Qui rem hanc ex actu, ex quo primò natum est, metiuntur, illi vnum omnium esse dicunt. Sed hi admodum impropriè loquuntur. Siquidem actus ille non erat originis peccatum, sed personale peccatum Adæ. Erat tamen originalis peccati causa, vel principium. Qui verò non ipsum præuaricationis actum, sed mentis auersionem, vel reatum, vel maculam inde in vniuersam mortalium naturam deriuatam spectant, illi tot huius generis peccata constituunt, quot hominum sunt capita, & hoc rectè. Nam vt singuli singulas ex Adamo naturas, tanquam communis naturæ membra, vel partes trahunt: ita singulas quoque eiusdem naturæ infectiones, vel maculas ex eodem illo mutuantur. Quanuis ergo aliquo vero sensu dici posset, esse vnum tantùm, quia est vnum causaliter: simpliciter tamen id dici non debet, neque verè quoque dici potest, quia singuli singula sortiuntur. Est tamen vnum omnium secundùm speciem: sicut etiam vna omnium specifica est natura.

Tot ex Adamo trahuntur orig. peccata, quot indiuiduæ naturæ.

Sed nunquid, qui vnum in omnibus genere, vnum autem in singulis specie constituerent, procùl à vero aberrarent? non opinor, ais. Nec enim potest vnum ad numerum accidens, in diuersis, ac numero distinctis subiectis existere: nec vnus ad numerum habitus ad plura, eaque inter se opposita vitia animum inclinare: nec vna ad numerum noxa pluribus pœnis obnoxia esse. Atqui originis vitium non hanc aut illam hominis partem tantùm occupare videtur, sed omnes promiscuè: nec animum ad hoc vel illud vitium solùm inclinare, sed ad omnia absque vllo ferme discrimine; nec vno tandem supplicij genere multari,

Assignantur rationes, cur vnum specie originis peccatum in singulis constituere liceat.

tari, ſed nullo non ferè.

Sanè æquè à veritatis ſcopo aberrant, & qui vnum ad numerum in pluribus, vel in omnibus, & qui multa rurſum numero in vno collocant. Nam cùm primaria illius cauſa ſit tantùm vna; & principale & proximum illius ſubiectum, ſit ſolùm vnum; & potiſſima eiuſdem tandem pœna ſit tantùm vna: in vno homine plura originis peccata numero tantùm inter ſe differentia iuſto titulo conſtitui non poſſunt. Quare quicquid in tripartita illa ratione ſumebatur, totum illud falsò ſumebatur. Nec enim inhæret peccatum hoc pluribus ſubiectis primò & proximè, ſed vni duntaxat, puta eſſentiæ ipſius animæ. Si quas autem illius partes inficit, vt reuera inficit, eas inficit vt certum ad hanc vnam radicem ordinem ſortiuntur, ſiue vt potentiales illius vnius partes exiſtunt. Quemadmodum etiam originalis iuſtitia licèt in vna animæ ſubſtantia, tanquam in proprio domicilio propriè reſideret, hinc tamen ſeſe effundens, & diffundens, omnes ipſius animæ vires, & facultates in officio continebat, & ipſum præterea corpus ab interitu & patibilitate conſeruabat.

Vnũ tantùm ad numerũ in vno eſt orig. peccatum.

Rationes, quibus probabatur in vno homine plura eſſe orig. peccata, nõ ſunt firmæ.

Sed neque ad diuerſa quoque vitia per ſe inclinat, ſed tantùm per accidens, remouendo nimirum prohibens. Nam vt mixti compage per continentis virtutis abſentiam ſubmota, omnia mox elementa, vnde illud conſtabat, tendunt in oppoſita: rurſum vt excuſſa columna, quæ ſolidum aliquod corpus ſuſtentabat, grauia, quæ continebantur, illicò deſcendunt; leuia verò, quæ ſuſtentati corporis obiectu arcebantur, aſcendunt: Ita iuſtitiæ originalis harmonia per originis peccatum ſublata, diuerſæ animæ partes ad diuerſa feruntur, ſingula nimirum ad ſua propria obiecta. Neque diuerſis tandem pœnis plectitur primò, ſed vna tantùm: ex ea vna tamen certo quodam ordine fluunt aliæ non paucæ: ſed nec nouum quoque eſt, aut iniuſtum, vnam noxam pluribus multare pœnis, dummodo tamen omnes ſimul vni-

Orig. peccatum ad diuerſa vitia per accidens inclinat.

us culpæ quantitatem non excedant. verùm hac de re postea fusiùs.

Omnes originalis peccati effectus, & pœnas vna mortis appellatione contineri, & vna hac sæpe quoque designari.

TRACTATVS VNDECIMVS.



His de originalis peccati subiecto, materia-líve causa breuiter constitutis, consentaneum est, vt nõnulla hinc de eiusdem peccati effectis, & pœnis quoque, in medium adferamus: vt quę à veris ac proprijs peccati huius causis, de quibus vtcunque accuratè hactenus disputatum est, nequaquam aliena censenda sunt. Constat enim, cùm in naturalibus & physicis, tum in moralibus quoque & ethicis, effecta & fines non infrequenter in vnum incidere. Nam vt generationis finis & effectus est forma geniti; statuarij finis & effectus, Cæsaris effigies vel statua: ita belli finis & effectus simul est pax, vel victoria; diuinę gratię finis simul & effectus, iustitia, vel vita æterna; peccati tandem finis & effectus simul mors, & sempiterni ignis flamma. Accedit huc, cùm verè spiritalia omnia, tum cætera quoque, quę sub sensum non cadunt, ex effectis faciliùs dinosci solere, quàm ex seipsis: atqui originale peccatum sub sensum non cadit, vt quod secundùm se, ac formaliter sumptum quidam defectus ac priuatio sit veriùs, quàm aliquid reale ac positiuum.

Effectus & finis cùm in naturalibus, tum etiam in moralibus sæpe in vnum incidunt.

Spiritalia in hac vita ex effectis cognoscuntur meliùs, quàm ex se ipsis.

Inter proximos autem ac proprios peccati huius effectus, nullum omnino ex ijs omnibus reponendum existimamus, quos Sectis addicti, vel primo loco huic assignare solent. Nam vacare metu ac fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, & alia his cogna-

Proximus orig. peccati effectus non sunt illi, quos assignant Sectarij.

cognata, neque huius, neque alterius cuiuscunque sceleris effectus, sed nefaria, carcereque ac flammis digna scelera sunt. Scripturæ igitur non hos, sed alios ab his non parum diuersos, primæ præuaricationis, quæ & nostra quoque censetur, effectus exponunt. Quia, inquit Dominus, audiuisti vocem " Genes. 3.
vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne "
comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes "
des ex ea, cunctis diebus vitę tuæ: spinas & tribulos germina- "
bit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris "
pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia "
puluis es, & in puluerem reuerteris. & ad mulierem: Multipli- "
cabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, "
& sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. "

Omnes hi originalis peccati effectus vel pœnę (pro eodem enim cum diuo Augustino & alijs egregijs Theologis vtrunq; vsurpamus: tametsi alterum altero latiùs patere non nesciamus, est enim omnis omnino pœna peccati alicuius effectus, non omnis tamen eiusdem effectus, est etiam propriæ rationis pœna) eodem illo capite, & alibi percrebrò vno mortis vocabulo designantur. Tulit ergo Dominus Deus hominem, " ait Scriptura, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: pręcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Eandem mortis pœnam & Eua quoque cum antiquo serpente disceptās, repetit: sed non candidè, addidit enim. Etenim interroganti angui, Cur præcepit vobis Deus, vt non come- " Genes. 2
deretis ex omni ligno paradisi? respondit illa: De fructu ligno- "
rum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod "
est in medio paradisi, pręcepit nobis Deus, ne comederemus, "
& ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Hæc Eua, sed mala "
fide: iam enim tum animus illius ingenti cupiditate accensus, cœperat labare, cęcutire, & ad violandam fidem Deo pactam inclinare.

Omnis pœna peccati effectus: non omnis peccati effectus, est etiam pœna.

Genes. 2.

Omnes orig. peccati effectus vno mortis vocabulo designantur.

Eua cupidine accensa nutat.

Quin & ipse quoque Apostolus vix vllo alio ferè vnquam, quàm mortis nomine, quę ex Adami scelere incommoda acceperimus, exprimere assolet. Sicut, inquit ille, per vnum hominem peccatum in hũc mundũ intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. & infrà: Sed regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem prę-uaricationis Adę. & paucis interiectis rursum: Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitię accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Hęc Apostolus. Interroganti proinde ecquęnam germana, ac propria originalis peccati pœna censenda sit? huic breuiter, & absolutè respondere licebit: Proprium vitij huius stipendium, ac meritum, mortem esse, vel vitę priuationem. Nec enim aliud est mors, quàm vitæ absentia, aut vitæ priuatio.

Rom. 5.

Apostolus orig. peccatum cũ suis appendicibus mortis nomine familiariter exprimit.

Mors, vitæ priuatio.

Vitę autem appellatione, cùm ipsum vitalis operationis principium, tum ipsa quoque viuentis operatio venire solet. Propria autem, & prima, & quasi formalis ipsius viuentis operatio nihil aliud est, quàm aliqua motus specie sese mouere. Vnde, quæ se mouere, aut in opus aliquod prodire non possunt, vt elementa, & pleraque ex his concreta, ea inanima, & vitæ expertia dicuntur: Contrà vero, quæ operari, ac se mouere possunt, esto nihil externi operis moliantur, vt cùm sopore, morbo, vel alio vinculo impedita tenentur, ea viua, vel viuentia vulgò appellantur.

Vitę nomine, & ipsa vitalis operatio, & ipsum rursum vitæ principium significatur.

Propria viuẽtis operatio, aliqua motus specie se mouere.

Hoc autem inter viuentia, & vita carentia discrimen nõ aliunde petitum videtur, quàm ex animantibus. Solet enim cuiusuis generis animantes tum demum vitam auspicatæ dici, cùm se aliqua motus specie agitare dinoscũtur: tantoq; temporis spatio viuẽtes iudicari, quãto aliqualiter mouere se possunt. Cùm aũt nullo motus genere se ampliùs mouent, nec mouere possunt, mortua appellantur. Mouentur & grauia, & leuia quoque, sed hoc non à se, sed ab altero: nec mouentur

Discrimẽ inter viuentia & non viuentia petitum ex animãtibus.

Animalia dũ se ampliùs mouere non possunt, mortua cẽsentur.

ad

ad omnem loci διαφορὰν, sed ad vnam tantùm: imò ne ad vnam quidem, nisi extra naturalem locum vel dispositionem vi aliqua externa pellantur. Illa itaque propriè viuunt, quæ aliqua motus specie mouere se possunt: siue motus accipiatur propriè, vt est actus imperfecti: siue communiter, vt est actus perfecti.

Porrò autem primum vitalis operationis principium, est ipsa viuentis forma: Hinc enim ipsum viuentis esse vel existere proficiscitur. Ab ipso autem esse proximè dimanat omnis operatio, omnisque operationis modus, & perfectio. Eô nanque vnumquodque nobiliores edit operationes, quô nobilius sortitur esse: eô contrà abiectiores, quô esse sortitum fuerit vilius. Vnde homo multò præstantiores actiones edit, quàm brutum; & Angelus, quàm homo; & Deus, quàm Angelus. Quid ita? quia multis partibus nobilius est esse Dei, quàm Angeli; & Angeli, quàm hominis; & hominis tandem, quàm bruti. Quin & habitus ad hoc vel illud vitę genus per modum naturæ inclinantes, viuendi've ritus, ac consuetudines, interdum quoque vitæ nomine appellantur. Dicitur hic enim vitam ducere monasticam vel solitariam; ille communem vel politicam; iste honestam, vel turpem, vel alio modo affectam; ille demum actioni vel contemplationi deditam: & sic dereliquis.

Primum vitalis operationis principium est ipsa viuentis forma.

A forma manat esse, hinc operatio, & operationis modus.

Viuēdi ritus, vita appellatur.

Iam vt duplex, vel etiam triplex in hominem cadit vitę principium, vnum internum vel innatum, alterum externum extrinsecè've ascitum: & hoc rursum (quod quidem ad nostrum institutum attinet) bipertitum: alterum, quod ita accidit, vt tamen abscedere possit: alterum, quod vbi semel accesserit, nunquam ampliùs abscedit, neque communi lege abscedere potest: Ita triplex quoque in eundem cadit vita, & triplex rursum esse: vnum nimirum naturæ, alterum gratiæ, tertium gloriæ: & triplex tandem vitæ operatio: vna animalis, altera spiritalis, tertia beatifica. Vita & operatio animalis procedunt ab ani-

Triplex vitæ principium in hominem cadit.

In hominem triplex cadit vita, & triplex esse, & triplex vitę operatio.

Triplex hominis vita, animæ, gratia, gloria

anima: hęc enim eſt internum, vel innatum vitalis operationis principium. Vita autem & operatio ſpiritalis prodeunt ex inhęrente charitate, vel gratia. Vita denique & operatio beatifica, oriuntur ex lumine gloriæ.

Triplex in vnum hominē mors cadit.

Cùm ergo vnum oppoſitorum tot membra complecti ſoleat, quot alterum, conſequens fit triplicem quoque interitum vel mortem in hominem conuenire: vnam corporalem, alteram ſpiritalem, tertiam ex vtraque conflatam. Mors corporalis eſt abſceſſio animæ à corpore. Mors ſpiritalis eſt abſceſſio Dei ab anima: nā vt vita corporis eſt anima, ſic animę vita eſt Deus. Quomodo, inquit Auguſtinus, ſi anima deſerat, moritur corpus: ſic anima moritur, ſi deſerat Deus. Ipſa eſt gratia eius, vt reſuſcitet, & ſit nobiſcum. & alio rurſum loco: Sicut anima eſt vita corporis, ſic vita animę eſt Deus. Deus amiſſus, mors animæ: anima amiſſa, mors corporis: mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria.

Corporis vita anima, animæ Deus.
Lib. de vera relig. cap. 10. & ad Pſal. 70.
Mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria.

Fit autem diuortium hoc inter Deum & animam per culpam, tanquam per cauſam meritoriam. Anima, inquit Ezechiel, quæ peccauerit, ipſa morietur. Mors ęterna eſt irreparabilis diuinę gratię, & per conſequens luminis glorię, iactura: per hoc enim tanquam per principium formale & proximum æterna conſtat vita. hinc illud Pſalmiſtæ: Non videbit lumen in æternum. Poſtrema hæc mors, quòd perpetuæ priuationi adiunctam habeat perpetuam ſenſus pœnam, ſi in adultos ceciderit, gehennę nomine exprimi interdum conſueuit. Si oculus tuus ſcandalizat te, inquit Chriſtus, erue eum, & proijce abs te: bonum eſt tibi vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Cap. 18.
Pſal. 48.
Matth. 18.

Mors corporis mala, adiunctū enim habet doloris ſenſum.

Inter has mortes prima eſt mala, ſecunda peior, tertia peſſima. Eſt, inquam, mors prima mala: habet enim aſperum ſenſum, & contra naturam eſt vis ipſa, qua vtrunque diuellitur, quod fuerat in viuente coniunctum atque conſertum, & tam diu moratur & viget, donec omnis tandem adimatur

ſenſus,

ſenſus,qui ex ipſo inerat animę carniſque complexu. Quam tamen totam moleſtiam vnus nonnunquam ictus corporis, vel animæ raptus intercipit, nec eam ſentiri præueniente celeritate permittit. Quicquid tamen illud eſt in morientibus, inquit Auguſtinus, quod cum graui ſenſu adimit ſenſum, piè fideliterque toleratum auget meritum patientię, non aufert vocabulum pœnæ. Eſt ergo mors ob adiunctum doloris ſenſum, eiuſque rei, quam omnia expetunt maximè, priuationem mala. Lib.13.c.6 de ciuit.

At non eſt tamen hęc mors peſſima, imò ne mala quidem impenſè: quia non perpetuò,ſed tantùm ad tempus vitali ſpiritu orbat. Nam quotquot modò vita hac defungūtur,omnes illi olim denuo ad alteram vitam exuſcitabuntur. Vnde in ſacris literis mors iſthęc non tam mortis, quàm dormitionis nomine deſignari ſolet. hinc illa: Dormiuit Dauid cum patribus ſuis. item: Diues cùm dormierit, non ſumet omnia ſecum. rurſum: Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt à ſomno excitem illum. demum: Non eſt mortua puella, ſed dormit. Ex eadem reſurrectionis ſpe, & mortis morte natum eſt, vt loca, quę fidelium cadauera excipiunt, κοιμητήρια appellentur familiariùs, quàm ſepulchreta, vel buſta. Mors corporis nō eſt admodum mala, nedū peſſima, quia nō eſt diutina. " 3.Reg.2. " Iob 21. " Ioan.11. " Matth.9. Mors piorū, dormitio.

Habet præterea & hoc quoque mors hęc inter cætera commodum, quòd ab omnibus vitę huius miſerijs & crucibus abſoluat: quam liberationem quidam tanti fecēre, vt vltro vitam ſibi abrumpere non dubitarent. Quòd ſi, vt nō nunquam fit, pro pietate iuſtitia've depēdatur; vel eo etiam quo par eſt animo, vndecunq; tandē acceſſerit, excipiatur: non ſolùm à vitę huius ęrumnis ac calamitatibus liberat, ſed ſępe quoque vitę huius munere perfunctos, in tuto æternę felicitatis portu collocat. Verùm quòd hæc commoda ſua vi non adferat, fit vt ſecundùm ſe conſiderata, quatenus videlicet proprium munus in morientibus exercet, nunquam cenſenda ſit bona, ſed mala, quia pœnæ & cruciatui ſemper eſt obnoxia. Mors corporis à vitę huius miſerijs liberat.

At vero multò hac corporis morte, & peior, & exitialior eſt Mors animæ corporis mor

te peior, priuat hæc enim ſummo bono.

mors animæ. Hæc enim non vulgari aliquo, aut paſſim obuio commodo priuat hominem: ſed omniũ maximo, & præſtantiſſimo: nẽpe Deo, & omnibus præterea verè ſpiritalibus & ſanctificantibus eiuſdem Dei muneribus, verarumq́ue virtutum ornamentis. Veruntamen tanta hac bonorum iactura non obſtante, non poteſt adhuc mors iſthęc omnium peſſima abſolutè dici. Nam etſi vitã tollat, & vitã quidem nobiliſſimã, puta diuinã: non omnẽ tamen adimit reuiuiſcendi ſpem, aut facultatem: Siquidẽ multi per Chriſti gratiã ex ea morte exuſcitãtur ad vitã, & omnes ex ea reſurgere poſſunt. Deus nanq; præſtò eſt omnibus: » Stat enim ad oſtium, & pulſat. Attamen quòd plurimi ſua culpa ex hac morte nunquã exurgant, non immeritò mors hęc inter ſpiritales prima appellatur.

Mors animæ in hac præſertim vita abſolutè non eſt peſſima, quia non adimit omnem ſpem vitæ.

Apocal. 3.

Omnium itaque peſſima & funeſtiſſima eſt mors gehennę. Hæc vna enim inter omnes citra omnẽ omnino recuperandæ vitæ ſpem, perimit & perdit. Nam quę amittitur vita per primam, hoc eſt, per carnis mortem, ea certò inſtauratur: quæ aũt deperditur per ſecundã, hoc eſt, per gratię abſceſſionem, ea inſtaurari poteſt, & ſæpe inſtauratur: quę verò per tertiam, ea inſtauratur nunquam, nec cõmuni lege inſtaurari poteſt. Etſi in eos mors hęc fortè ceciderit, qui euadere poterant, non ſolùm bonis omnibus illos exuit, ſed innumeris quoq; pœnis & cruciatibus afficit. Quin & alia quoque ratione mors hæc cęteris omnibus exitialior, funeſtiorq́ue exiſtit. Quandoquidem cęteræ vnam duntaxat mortẽ complectuntur: nec enim neceſſum eſt, ſi anima ſeparatur à corpore, vt Deus quoque ſeparetur ab anima; vel contrà ſi Deus ſeiungatur ab anima, vt anima quoque diuellatur à corpore. Hęc autem duas ſemper, imò certa quadã ratione omnes ſimul in ſe includit: Nam quotquot humani ſpiritus apud inferos ardent, ſeparati ſunt omnes, & à corpore, & à Deo, & à gloria, & in omne ęuum ab hac, & illo ſeparati manebunt.

Mors gehennæ omnium peſſima & funeſtiſſima.

Mors gehennę duplicẽ, & ſuo etiã modo triplicẽ mortem complectitur.

Non contingit ſanè peſſima mors hæc plenè antequam anima corpori, quod informauerat, ita denuo conſocietur, vt

nulla

nulla ampliùs direptione ab ea diuelli queat: Verũtamẽ quòd post communem omniũ resurrectionem impiorum animæ non tam informaturæ sunt sua corpora, vt viuant, quàm vt pœnas & cruciatus hauriant, non prorsus ineptè dici queat, nouissimam mortem vtriusque partis mortem in se complecti. Quamuis in nouissima damnatione homo sentire non desinat, inquit Augustinus, attamen quia sensus ipse nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potiùs appellata quàm vita.

Mors gehennæ post communem carnis resurrectionem cõsummata.

Lib. 13. c. 11. de ciuit.

Harum autem omnium mortium reatum, vnum illud naturæ peccatum, in quo nascimur omnes, secum trahit. Nam cùm Deus Opt. Max. primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de vetita esca dixit: Quacunque die ex illo comederis, morte morieris: non tantùm primæ mortis partem priorem, vbi anima priuatur Deo: nec tantùm posteriorem, vbi corpus priuatur anima: nec solùm totã ipsam primam, vbi anima, & à Deo, & à corpore separata punitur: sed quicquid mortis est vsque ad nouissimam, quę secunda dicitur, & qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est. De his igitur tribus mortibus, earumq́ue partibus, & appendicibus, maximè verò de prima & secunda, (Nam de tertia, quatenus sensus pœnam adiunctam habet, alibi à nobis scriptum, & disputatum est fusè) iam nunc ordine disseremus, breuiter id tamen & succinctè.

Nullius non mortis reatũ adducit orig. peccatum.

Genes. 2.

Aug. lib. 13. c. 12. de ciuit.

In dispu. de Inferno.

Prima igitur, non tempore, nec malignitate, sed explicationis serie, mors carnis esto. Mortis autem nomine complectimur hoc loco omnes mortis comites, & antambulones, vt sunt fames, sitis, mœror, luctus, ægritudo, seniũm, & sexcenta id genus alia, quę à primo vitæ ortu, vsque ad vltimum eiusdem vitæ halitum, consumunt & perimunt. Nec enim putandum est tunc demum mortem vim suam adhibere, cùm interimendi finem facit: Nam vbi primùm in vitam hanc ingredimur, statim nos mors ponè à tergo insequitur, ipsamq́ue vitã continuò conficit atque consumit: nec cõficere vnquam

Mors corporis complectitur non solùm vitæ finem, sed cætera quoque omnia, quæ viam ad illã muniunt.

Simul viuere & mori incipimus.

desinit, donec tandẽ vniuersam exhauserit. Sed diuum Augustinum ea de re paucis, & clarè disserentem audiamus.

Lib. 13. c. 10. de ciuit.

Ex quo, inquit ille, quisq; in isto corpore morituro esse cœperit, nunquã in eo non agitur, vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tẽpore vitæ huius, si tamen vita dicenda est, vt veniatur in mortẽ. Nemo quippe est, qui non ei post annum sit, quàm ante annum fuit, & cras quàm hodie, & hodie quàm heri, & paulò pòst quàm nũc, & nunc quàm paulò antè propinquior: quoniam quicquid temporis viuitur, de spatio viuẽdi demitur: & quotidie fit minus minusque, quod restat: vt omnino nihil sit aliud tempus vitæ huius, q̃ cursus ad mortem. In quo nemo vel paululum stare, vel aliquando tardiùs ire permittitur: sed omnes vrgentur pari motu, nec diuerso impelluntur accessu. Neq; enim cui vita breuior fuit, celeriùs diem duxit, quàm ille cui longior: sed cùm æqualiter ęqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propiùs, alter remotiùs, quò non impari velocitate ambo currebant. Aliud est aũt amplius viæ peregisse, aliud tardiùs ambulâsse. Qui ergo vsque ad mortem productiora spatia temporis agit, non lentiùs pergit, sed plus itineris cõficit. Porrò si ex illo quisq; incipit mori, hoc est, esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est, vitæ detractio: quia cùm detrahendo finita fuerit, post mortem iam erit, non in morte: profectò ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est. Hęc Augustinus, & alia multa in eandem sententiam.

Hodie morti viciniores q̃ heri.

Tempus vitæ, cursus ad mortem.

Aequo passu omnes tendunt ad mortem.

Qui diutiùs viuũt, non citius currunt, sed plus spatij conficiũt.

Nec secùs de vitæ huius miseria, & breuitate, continuóque ad mortem cursu scribunt, ac conqueruntur alij Theologi & Philosophi. Nec hoc sanè non verissimè, & iustissimè. Quis enim continuum quoddam intermori meritò non censeat, etiamsi tempus pedem figeret, in curis tristissimis, in laboribus immẽsis, in luctu & lachrymis assiduis, in terra hac inculta, vepribus & sentibus obsita, inter tot noxia & infesta animantia, inter tot pericula & vitæ discrimina miserã hanc & ærumnosam vitã ducere? Nec obstrepat nobis hîc quispiam, ac

Vita præsens propter ingẽtes miserias, quas adiunctas habet, mors est veriùs, quàm vita.

ac miserorum hęc esse dictitet: sunt enim omniũ promiscuè, etiamsi qui felicissimam vitam agere videantur.

Magnificaui opera mea,(inquiebat Salomon,sapientia cęterisq; omnibus,quæ,vel expeti, vel obtingere in mortali hac vita possunt,Regum omnium florentissimus) & ędificaui mihi domos,& plantaui vineas,feci hortos & pomaria,& conseui ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium. Possedi seruos & ancillas,multamque familiam habui: armenta quoque & magnos ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem. Congregaui mihi argentum & aurum, & substantias regum & prouinciarũ. Feci mihi cantores & cantatrices,& delicias filiorum hominum,scyphos,& vrceolos in ministerio ad vina fundenda. Et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem. Sapientia quoque perseuerauit mecum. Et omnia quę desiderauerũt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quę præparaueram: & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo. Cumque me conuertissem ad vniuersa opera mea quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram,vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi. Hæc ille de præsentis vitæ ærumnis, etiamsi vulgò beatissima habeatur. Et de prima, vel corporis morte tantum: nunc de animæ seruitute, & morte nonnulla quoque depromamus.

Eccles 2.

Salomon Regum florentissimus.

Si vita huius deliciæ & diuitiæ sunt meræ afflictiões & vanitates, quantæ sunt ipsæ afflictiones, & vanitates?

Amissa, per inobedientiam, iustitia & sanctitate, hominem mox in ruborem & infirmitatem, iniustitiæque & Sathanæ seruitutem incidisse.

TRACTATVS DVODECIMVS.



Egimus, naturæ authorem hominem mente quidē condidisse sagacem ac prouidum, voluntate autem rectum, corpore verò firmum & validum: Sathanam porrò, quòd tantæ illius felicitati inuideret, per mulierem ab hac illum felicitate, & voluntatis rectitudine deijcere molitum esse, & reipsa quoque deiecisse: non quòd dolo illum per mulierem ceperit, vt mulierem ille ceperat per colubrum; (nec in Adam fuit seductus, sed in Eua) sed quòd animi illius constantiam per blandam mulieris orationem fregerit. Etenim vt Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomon, sacrilego idolorum cultu se polluit, quòd idolis seruiēdum esse crederet, sed quòd fœminarū importunitati, ne quid ægrè amori suo accideret, morem gerere vellet: ita existimandum est Adamum quoque Euę ad diuinę legis transgressionem malè prouocanti, non tanquam verum loquēti credidisse seductum, sed sociali quadam necessitudine ac beneuolentia paruisse deuictum.

1.Tim. 2. Exod. 32. Aug. lib. 14. c. 11. de ciuit. Adam vt Aaron & Salomon lapsus.

Verumenimuerò licèt non ambo sint decepti credendo, ambo tamen sunt capti, & diaboli laqueis irretiti peccando. Et quidem eô capti iustiùs, & implicati inextricabiliùs, quô post pręceptum violatum superbia elati, vel errore excæcati se excusârunt imprudentiùs. Nusquam enim hîc vlla omnino personabat, aut propriæ culpę incusatio, aut supplex veniæ petitio, aut constans medicinæ imploratio. Quid enim ille? « Mulier, inquit, quam dedisti mihi, hęc mihi dedit de ligno, & » comedi. quasi dicat: Si lapsus sum, nō mea, sed mulieris, quam dedisti mihi, culpa lapsus sum: huic, si quid criminis admissum est,

Adam peccauit & excusauit, & hoc grauius errauit.

eſt, imputetur, non mihi. Sed nunquid mulier crimen in ſe reiectum agnoſcit? minimè verò. Interrogata nanque, Cur hoc feciſti? nihil cunctata, ſuam in ſerpentis fraudem noxam mox transfert. ait enim: Serpens decepit me, & comedi.

Quia ergo contemptus eſt Deus iubens, qui hominē creauerat, qui ad ſuam imaginē eum fecerat, qui cęteris animantibus prępoſuerat, qui in paradiſo conſtituerat, qui rerum omnium copiam ſalutiſque pręſtiterat, qui pręceptis, nec pluribus, nec grauibus, nec difficilibus onerauerat, ſed vno tantùm, eodemque breuiſſimo atque leuiſſimo, ad obedientię ſalubritatem adminiculatus fuerat, quô ſuper eam creaturam, cui libera ſeruitus expediret, ſe eſſe Dominum commonebat: eiuſmodi damnatio in hominē irruit, vt qui mandatum cuſtodiendo futurus erat in carne ſpiritalis, mente, non corpore tantùm fieret omnino carnalis; & ita quidem carnalis, hebes, cæcus, & miſerabilis, vt eum ipſum etiam, quem vt vnicum ſalutis medicum, certumque in tantis illis malis, in quæ ſe deiecerat, ſolatium omni ſtudio inquirere, ſummoque honore & reuerentia proſequi iure meritoque debebat, haud aliter ferè ac hoſtem capitalem fugeret, ac formidaret. Conſtat enim, vt primùm funeſtis epulis ſacratiſſimum illud fœdus perfidè violâſſet, ſtatim ex ſcelerum conſcientia, veluti veſania quadam actum, latebras omnes, quibus ſe à conſpectu Dei omnia prouidentis, intimoſque animorum receſſus penitiſſimè introſpicientis, occultaret, anxiè perquiſiuiſſe, atq; adeò inter opacas pardiſi arbores inſtar fugitiui cuiuſpiam mancipij ſeſe abdidiſſe. Cùm, inquit Scriptura, audiuiſſent vocē Dei « deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcon- « dit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni « paradiſi.

Aug. lib. 14. c. 15. de ciuit.

Ad ę vnū duntaxat, illudq; leuiſſimū, pceptū datum.

Qui in carne futurus erat ſpiritalis, mēte, ppter peccatum factus eſt carnalis.

Adamus fugit vt hoſtem, quem complecti debuit vt patrem

Geneſ. 3.

Et vnde, quæſo, hic tantus metus, tam repentè obortus? hæc tanta mentis titubatio, & inconſtantia? hæc tanta, ac tam anxia de contegendis obſcœnioribus corporum partibus ſolicitudo? (Nam & campeſtria quoque ficuum frondibus obiter

ter inter se consertis sibi confecisse leguntur) Inde nimirum, quia simulatque mortiferum illud serpentis venenum incautè hausissent, euestigio se nudos & exarmatos, omnique cultu, quo antè intus forisque nitebant, turpiter exutos animaduerterunt. Senserunt enim nouum quendā inobedientis carnis suæ motum, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Iam quippe anima libertate in peruersum propria delectata, & Deo dedignata seruire, pristino corporis seruitio destituebatur. Et quia superiorē Dominū suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat: nec omnino subditam habebat carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subdita ipsa mansisset.

Adam post peccatū sensit se nudum & exarmatū.

Aug. lib. 13 c. 13. de ciuit.

Adamus deserēs Dominum, ad serui sui seruitium redactus est.

Sanè antequam capitale illud facinus consciuissent, veste, qua nudas corporis partes tegerent, nulla indigebant. Nec enim quicquam tunc extabat, quod vllam illis quantumlibet nudis, aut verecundiam cōciliaret, aut molestiam pareret, aut » periculum adferret. Et erat vterque nudus, inquit Scriptura, » Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant. Hîc Augustinus: Nudi erant ambo, nō quòd eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat: quia nondum libido membra illa prętér arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Neque enim cæci creati erant, vt imperitum vulgus opinatur: quandoquidem & ille vidit animalia, quibus nomina imposuit, & de illa legitur: Vi» dit mulier quia bonum est lignū in escam, & quia placet ocu» lis ad videndum. Patebāt ergo oculi eorū, sed adhuc nō erant aperti, hoc est, non attenti, vt cognoscerent quid eis indumento gratię prętaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde esset indecens nuditas: & fecit attentos, reddiditque cōfusos. Ante peccatum ergo, & nudi erant, & cognoscentes erant, & tamen non erubescebant.

Primi parētes iustitia vestiti, externa veste nulla indigebant.

Lib. 13. c. 13. de ciuit.

Adam & Eua non erant cęci, neque nuditatis suæ ignari.

Genes. 3.

At verò poſt facinus indignum patratum, poſt amiſſum cœleſtis numinis fauorem, cùm iam animorum nuditatem vidiſſent,& quam in ſceleris ſuſceptione,cupiditate occæcati, cernere non poterant turpitudinem, quæ ex animorum confuſione in ipſa quoque corpora redundabat, conſpicati eſſent, iam tum demum, quòd animos nõ poſſent, corpora turpitudine affecta obtegere conati ſunt: ſiquidem vitæ innocentia, iuſtitiaque, & ſanctitate deperditis, animoque omnibus ijs opibus, quibus antè ſplendebat, viresq; omnes in officio continebat,& ipſum nihilo minùs corpus ab omni iniuria tuebatur, denudato,inſigne mox dedecus,ac turpitudo in vtriuſque corpore erupit: Cui cùm alia re non poſſent,arborum frondibus, & larebris, & fuga conſulere nequicquam conati ſunt.

Cùm animos non poſſent, corpora tegere conati ſunt.

O miram inopiam,ex ſumma opulentia & rerum omnium affluentia tam ſubitò natam, ac tam latè propagatam? Nec enim vllus omnino extat iudicio & ratione valens, cui obſcœnæ illę corporis partes, ſi fortè nudæ depręhenſę fuerunt, ruborem non adferant. Vnde omnes omnino gentes, populi, & nationes, vſque adeò inſitum tenent ſecretas corporis partes velare,vt quidã alioqui barbari illos corporis artus ne in balneis quidem nudos habere ſuſtineant. De opere porrò ipſo, quod partiũ eiuſmodi miniſterio peragitur, non eſt quòd prolixè hîc diſſeramus.Conſtat enim propter inſignem rei obſcœnitatẽ,non ſolùm adulteros,& ſcortatores,ſed legitimos quoque coniuges latibula,& ab arbitris ſeceſſus perquirere.Vnde hoc,inquit Auguſtinus, niſi quia ſic geritur, quod deceat ex natura,vt etiã quod pudeat,comitetur ex pœna?& quibuſdam interiectis ſubditidem: Hoc illi canimi philoſophi,hoc eſt,Cynici non viderunt, proferentes contra humanã verecundiam, quid aliud quàm caninam,hoc eſt, immũdam impudentemq; ſententiam: vt ſcilicet quoniam iuſtum eſt, quod fit in vxore, palàm non pudeat id agere. Vicit tamen pudor naturalis opinionem huius erroris. Hęc ille,& multa præterea alia de rubore illo, & erubeſcentia, ex primi hominis tranſgreſſione nata,

Ex ſumma copia mira inopia cõſecuta.

Poſt peccatũ corporis nuditas omibus ratione vtentibus ruborẽ adfert.

Lib.14.c.17. de ciuit.

Cap.20. Cynicorum impudentia inſignis.

Y &in

& in vniuersum hominum genus latè diffusa.

Omnium virtiũ quassatio ex peccato consecuta.

Verùm vt nullum ferè malum soleat esse solitarium, ex miserando illo bonorum omnium spiritalium naufragio, non ea solùm, de qua nũc obiter disseruimus, verecundia, & genitaliũ membrorum inobedientia cõsequuta est, sed ingens prȩterea totius hominis quassatio, viriumq́; omnium, & partiũ eiusdem perturbatio: Non quòd natura ipsa sit interuersa, aut in alterã demutata, aut quòd naturales illius facultates sint extinctæ, aut penitus euersȩ: sunt enim illæ, manentq́; secũdùm substantiam eȩdem in vtroq; statu: sed quòd virtutũ πανοπλία, qua antè munita erat, detracta, effecta sit ȩgra, & ad prȩstandũ constanter & cum dignitate officiũ inualida. Nam & intellectus in plerisq; vehementer caligat, & inferiorum virium libido plùs æquo feruet, & portio, quã irascibilem appellant, ad ardua ȩgrè admodum assurgit, & voluntas compescendis inordinatis concupiscentiȩ motibus parum gnauiter incumbit, denique nulla in homine reliqua est portio, quæ per peccatum vulnus aliquod non acceperit.

Peccatũ naturam non euertit.

Nulla in homine pars, quæ per peccatum vulnus aliquod non acceperit.

Vulnera naturæ, non sunt veræ aliquæ naturæ, sed communis naturȩ defectus.

At hȩc interim, siue inscitiæ, siue malitiæ, siue cõcupiscentiæ, siue etiam ignauiȩ vulnera, non sunt verȩ aliquȩ naturæ, aut veri habitus: sed quȩdam tãtùm ȩgritudines, vel orbitates, vel virium destructiones. Nam sublata per peccatũ originis iustitia, turbatus est eorũ ordo, dissolutus concentus, eneruatus vigor. Significantur aũt hȩc vulnera habitus nomine quandoque: Quia vt veri habitus diuturni sunt, & hominẽ ad operandum agilem, & expeditũ reddunt: ita hȩc quoq; & diu multumq́; durant, & hominem, cui insunt, ad patiendũ idoneũ efficiunt, vel certè ad resistendum infirmum, ac inidoneum. Nec mirum sanè videri debet naturȩ peccatũ aliquid eiusmodi infirmitatis peperisse, aut incõmodi attulisse, cùm persimiles lãguores, & animi ȩgritudines, cȩtera quoq; peccata ꝓgignere soleãt. Certum est enim quò quisq; peccatis magis laxauerit fræna, eò diuinis rebus capessendis hebetiorẽ, coercẽdisq́; cõcupiscẽtiȩ motibus infirmiorẽ sensum reddi. Imò verò multiplicatis

Cur naturæ vulnera habituũ nomine designentur?

Non solùm orig. peccatũ, sed cætera quoq; peccata naturam vulnerant.

plicatis ſubinde ſceleribus, vulnera iſthęc adeò nonnunquam increſcunt, vt hominem in apertam quodammodo deſperationem adigant. Quoties audire contigit, qui dicerent, ſe non poſſe, aut tentationibus reſiſtere, aut ab hoc vel illo flagitio deſiſtere, aut aliâs officium facere?

At quia vbi iuſtitia & ſanctitas exulant, ibi neceſſariò impuritas & iniuſtitia regnãt: (Sunt enim hęc pugnantiũ more inter ſe ſuccedanea) accidit vt homo per eandem illam Adami preuaricationem efficeretur ſeruus peccati & iniuſtitiæ, indomitęq; libidinis & cõcupiſcentię mancipiũ: iuxta illud: A quo quis ſuperatus eſt, huius ſeruus eſt. & illud rurſum: An neſcitis quoniã cui exhibetis vos ſeruos ad obediendũ, ſerui eſtis eius, cui obediſtis: ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? & illud demum: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Vbi exulat iuſtitia, ibi regnat iniuſtitia.

Homo p peccatum peccati & libidinis mancipiũ effectus.

» 2 Pet. 2. Rom. 6.

» Ioan 8.

Ex graui hac autem naturę infirmitate, ferreaq; peccati ſeruitute, ac ſęua concupiſcentię tyrannide, prouenit, vt plerique filiorũ Adę in multis cęcutiant multùm, ſępiùs labantur, officium negligant, & leui pulſati tẽtatione facilè ſuccũbant. Nec ſecùs ferè moleſta hac peccati ſeruitute, & libidinis tyrãnide regnum obtinente, fieri poteſt. Nam cùm humana mens diuinæ gratiæ lumine deſtituta, quaſi cæcis quibuſdam tenebris incluſa teneatur, fit vt aliud ferme nihil cernat, nihil amet, nihil admiretur, vel expetat, nihil ad ſe pertinere exiſtimet, niſi id vnum, quod ad corporis commodum ſpectat.

Cur filij hominum ſæpe impingant, & in multis multùm cæcutiant.

Quã ob rem corporis cupiditati & obſequio addicta, omnia vitę conſilia, & ſtudia ad illius vnius vſum, & miniſteriũ cõfert. Et cùm in longinquũ nõ proſpiciat, ſed inſtar bruti ad id tantùm oculos cõijciat, quod ante pedes iacet, & fallaci quadam ſpecie carnis ſenſum oblectet, & allectet: fit vt diuina raròcõſideret; rariùs cœleſtis numinis opem candidè & ex animo imploret, niſi tũ forſan, cùm grauibus iactatur incõmodis; rariſſimè ad ſeriam reſipiſcentiã, ac vitę emendationẽ ſeſe cõponat.

Ad corporis commoda omia cõſilia ſua transfert mortaliũ ſollicitudo.

Ad hanc peccati ſeruitutem, & cõcupiſcentię tyrannidem, quę etiam poſt reconciliationẽ non infrequenter inſurgit, vi-

Concupiſcẽtia poſt recõciliationem etiamnum ſpirat.

resque, nisi perpetuò prematur, subinde colligit, Apostolum spectâsse existimari potest, dum sumpta communi infirmorum persona, de continua illa inter carnem & spiritum

Rom. 7. » pugna, hunc in modum queritatur: Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quę est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hęc Paulus non minùs queribūdè, quàm palpabiliter verè. Tam latè nanq; in natura hoc malum dominatur, tantaq; cōtentione & vi aduersarium suum nunquam nō vrget, vt difficilimum sit iacentem surgere, aut stantem interdum non prolabi, ac ruere.

Concupis. vis tanta, vt iacentem surgere, stantem interdum nō prolabi, sit non parum arduum.

Ex hac dira porrò & improba peccati seruitute, sæuaque & inexpugnabili quodam modo domestici hostis tyrannide & dynastia (nam etsi vis hęc p gratiā ligetur ne sæuiat, nunquam tamen per illam ita premitur, vt interdum non insurgat) nata est altera diaboli æquè propemodum dira & improba: siue hoc ille dominium in vniuersum Adę semen obtinuerit iure, siue iniusta vsurpatione, siue iusta Dei permissione, siue alia quacunque ratione. Quia, inquit Augustinus, homo sua superbia sibi placuerat, Dei iustitia sibi donatū est, ne, sicut affectabat, in sua esset omnimoda potestate, sed à seipso quoque dissentiens, sub illo cui peccando consensit, pro libertate quam concupiuerat, duram miseramq; ageret seruitutē, mortuus spiritu volens, & corpore moriturus inuitus: desertor ęternę vitæ, etiam ęterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus. Hæc Augustinus.

Ex peccati seruitute, altera Sathanæ nata.

Lib. 14. c. 15. de ciuit.

Ad hunc diaboli in filios hominum dominatum, haud ob-

Ioan. 12. » scurè alludunt illa Christi oracula: Nunc, ait, princeps huius

Ioan. 14. » mundi eijcietur foras. rursum: Venit princeps mūdi huius, &

Luc. 11. » in me non habet quicquam. tandem: Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quę possidet: Si autē fortior eo superueniens vicerit eum: vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Sanè si diabolus est

mundi

mundi huius princeps: si idem mundus eiusdem diaboli atrium existit: si homines originali, vel alio quocunque lethali peccato obstricti, sunt illius τεύχη, hoc est, vasa, vel instrumenta: consequens fit profectò, vt aliquam ille in omnes omnino homines communi generationis lege ex Adamo propagatos potestatem quandoque obtinuerit, quęcunque tandem illa extiterit. Diabolus mũdi huius princeps.

Idem Sathanæ in omnes peccatores, imò verò in omnes omnino homines iugum, (Omnes enim peccauerunt, & egent « gloria Dei) validè confirmant scripturæ illę, quę Christum « Dominum mundi Redemptorem, hominum liberatorem, dæmonum ac inferorum expugnatorem, alijsque id genus nominibus appellant, ac titulis ornant. Si filius vos liberauerit, inquiebat Christus, verè liberi eritis. Et Apostolus: Qui « eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum « filij dilectionis suę. Et alio rursum loco idem: Chirographum « decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens « illud cruci, & expoliãs principatus & potestates, traduxit con- « fidenter palàm. Et Dauid: Dicant nunc, qui redempti sunt à « Domino, quos redemit de manibus inimici. Alia eiusmodi cùm apud Dauidem, & alios Prophetas, tum apud veteres quoque Ecclesiæ Patres, permulta occurrunt passim. Rom.3. Sathanæ imperium in homines, ostendit Christi pugna & victoria. Ioan.8. Colos.1. Colos.2. Psal 106.

Ceterùm sæua illa & diuturna antiqui hostis in genus nostrum tyrannis, per filij Dei in carnem aduentum, & mortem, ita est quassata & infirmata, vt tamen non penitus adhuc sit extincta: obtinet enim etiamnum in partem. Nam vt ante Christi mortem, in scelere defunctos, abripiebat ad inferos: ita etiã nunc istiusce modi sceleratos ac perditos homines illò abripit. Quę, inquit Gregorius, est manus Philistijm, nisi potestas illa tenebrarum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab ista Philistijm manu solus liber fuerat, qui dicebat: Venit princeps huius mundi, & in me « non habet quicquam. Rursum vt idem ille communis salu- « tis nostrę hostis ante Christi Redemptoris nostri ortum obsti- Sathanæ regnum non penitus adhuc euersum. Diabolus idẽ ius habet in dãnatos ante & post Christi aduẽtum. Ioan.14.

 natè

Diabolus sceleratos homines facili negotio, quò vult, impellit

natè improbos, tanquam abiecta quædam mancipia de peccato præcipites agebat in peccatum, de facinore in facinus, de errore in errorem: ita & nunc quoque eiusmodi nequam & impuros homines plerunque, quò vult, & ad quod vult, nullo ferè negotio impellit. Demum vt iustorum saluti, spiritalique eorundem vitæ varijs quondam modis & artibus insidias moliebatur, nec id sępe incassum: ita & hoc quoque tempore eisdem non parcit. Semper enim, vt est apud Apostolorum principem, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.

Diabolus iustorum saluti æquè nunc insidiatur, ac antè.

1. Pet. 5.

Amplius diaboli regnum ante Christi exortum.

At fatendum est tamen, potestatem illam, sæuamque tyrannidem ante orbem redemptum multò extitisse ampliorem, multoque molestiorem ac periculosiorem, quàm post eundem ab interitu assertum. Quanuis quoque ante id tempus non æquè semper molesta, nec ęquè rursum ampla extiterit semper. Excrescebat enim illius ditio, crescentibus paulatim animorum morbis, & hominum vitijs. Nam vt in reliquis rebus nihil repentè solet esse perfectum, sed ab aliquo rudimento initium fiat oportet: ita scelus quoque & improbitas non statim ad summum fastigium euasit, sed à paruis exorsa vires paulatim & incrementa suscepit.

Diaboli regnum sensim creuit, crescẽtibus animi morbis.

Diabolus rudi adhuc mũdo homines ad gastrimargiæ vitium induxit.

Primò nanque callidus ille & versipellis scelerum inuentor sat habebat, si illos, quos in vtranque seruitutem scelere suo coniecerat Adamus, ad gulę ventrisque studium vtcunque excitaret. Vnde qui diluuium antecesserunt, non ligna aut lapides coluisse, aut productitium quippiam numinum loco habuisse cognoscuntur, sed edisse, & bibisse, nupsisseque, ac nuptui tradidisse. Ad quas res μυριότεχνος ille eô faciliùs hominẽ inducere potuit, quô ex carne & sanguine cõcretus, peccatoq; deprauatus, ac intestino cõcupiscẽtię incendio inflãmatus ꝓnior ad ea fertur, quæ sensum aliqua suauitate & oblectatione perfundũt, q̃ ad illa, quę eundẽ carnis sensum spiritus imperio subijciunt. Verùm hoc gastrimargię fundamento vtcunque iacto, ad varias mox planeque nefarias carnis

Post inductã gastrimargiã, diabolus ad-

nis libidines progressus factus est: Inde tandem ad absurdissimas quasque idolomanias, vanissimasque de Deo, diuinisque rebus opiniones ascensum est. Quanuis & hîc quoque non statim ad ipsam arcem peruentum sit, sed quidam quoque gradus & incunabula intercesserint.

duxit nefarias carnis libidines.

Reliquorum flagitiorum fundamento iacto, Sathan tandem Colophonis loco superinduxit variã idolomaniam.

Etenim cùm veterum plerique flagitijs illis, quorum modò meminimus, maiorem in partem contaminati, Deum inuestigarent, (ἄθεοι enim vitam sustentare se posse omnino diffidebant) neque mentem tamen à sensibus ac rebus corporatis auocatam ad spiritalia & incorporata transferrent: neque hinc illam transferre sedulò aliquando studerent, rudi Minerua, perfunctorieque illis Deum quęrentibus, vix vllæ aliæ, quàm corporeæ species occurrebant. Ex qua re consequebatur, vt Deo haud secùs atq; homini corpus, corporeorumque membrorum lineamenta affingerent, diuersasque res corporatas, crescentibus paulatim erroribus, & mentium tenebris subinde gliscentibus, Deorum loco haberent, ac colerent.

Veteres res corporeas deorũ loco habuerunt, & coluerunt.

Quam ob rem cùm Solem, & Lunam, ceteraque sidera admirabili splendore, egregiaque venustate toto sparsim cœlo micantia viderent; suaque vi & energia inferiora hæc vegetare, continere, ac tantùm non administrare animaduerterent: (experimur nanque admirabiles quosdam, ac planè diuinos cùm Solis & Lunæ, tum reliquorum quoque astrorum in orbe hoc sublunari effectus) gloriam, quæ soli Deo debetur, ęquè stolidè ac impiè ad opera illius transferentes, cœlorum exercitui diuinos honores decreuerunt.

Magnę astrorum vires in locis his sublunaribus.

Cœlorum exercitui diuini honores decreti.

Mox cùm terreni corporis pressi pondere, rutilũ astrorum splendorem diu contemplari non possent, aut etiã non vellent, deosq; iam non in cœlo, aut aliâs procùl positos, sed in terra sibi quærerent; vel metu impulsi, vel tyrannidi turpiter adulati, ipsos mundi dynastas in dijs habere cœperunt. Hinc tandem ad eam amentiam plurimi ex illis progressi sunt, vt totum illud, quod, vel amarent, vel mětuerent, religioni consecrarent;

Mundi dynastę numinum loco habiti.

Totum illud antiquitus colebatur, quod

amabatur, vel formidabatur

rent; imò verò vt immanes belluas, humique nascentes frutices publicè adorarent.

Læta exultat improbitas.

Latiss. diaboli regnum ante Christum natum.

Sic itaque vsu venit, prout in tanta morum deprauatione, tantaque hominum cæcitate, & impietate secùs euenire non poterat, vt lętę vbique exultarent impietas & improbitas, humanique generis hostis erectus, ac alacer toto passim orbe circunuolitans, vniuersum humanum genus non solùm indomitę cupiditatis vinculis alligatum teneret, verùm etiam impurissima superstitione constrictum, grauissima seruitute miserrimè premeret. Tantus enim furor, tantaque amentia, & cæcitas multorum mortalium mentes obsederat, vt numen non satis placare se posse crederent, nisi phana omnia dedecore ac turpitudine fœdè contaminarent. Nam & virgines in deorum honorem publicè prostituebant, & delubra humano cruore nefariè polluebant, & proprios liberos ad deorum aras crudelissimè mactabant, & immolabant. Deniq; nullum tam execrabile vitium, aut flagitium extat, quod Sacrorum suorum procurationi miserrimi illi homines non admiscerent.

Fœdissima & immanissima veterum sacra & sacrificia.

Adæ præuaricatione in dirā iniustitiæ & Sathanæ seruitutē coniecti oēs.

Patet ergo in quàm duram & improbam iniustitiæ & Sathanę seruitutem Adę præuaricatio deiecerit omnes, quantumque spiritalis illa animæ mors regnum in vniuersum mortalium genus aliquando obtinuerit, & etiam nunc obtineat in multis passim. Restat vt de originalis peccati pœnis, post decursum pręsentis vitę spatium, nonnulla quoque in medium adferamus. Nam & hæc quoq; disputatio controuersię huius explicationi non parum lucis adferet.

Originis

Originis peccatum nulla sensili pœna, post vitæ huius curriculum plecti; sed tantùm exilio, & pœna damni.

TRACTATVS TERTIVSDECIMVS.



Vidimus in partem, quid peccatum, quid item diabolus per peccatum in eos possit, qui in vitæ huius stadio etiamnum decurrunt: nunc paucis explicandum est, quid iuris in illos habeat, qui luce hac vitali defuncti, ad alterum vitæ vel mortis genus hinc translati sunt. Et quidem vnum hîc certum est: nempe neutrum horum quicquam omnino in eos posse, aut iuris habere, qui beata immortalitate cum Christo Redemptore iam potiuntur. Sunt enim illi, de quibus scriptum extat: Qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient neque sitient ampliùs, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitę fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Peccatum & mors & Sathan nihil possunt in beatos.

Apoc. 7.

Aequè certum & indubitatum est, quicquid peccatum, vel diabolus in homines iusto Dei iudicio sempiternis ignibus addictos poterat ante Verbum incarnatum, hocipsum & hac quoque tempestate posse, & semper potuisse. Siquidem incarnatio isthæc nihil omnino præsidij, aut solatij abiectis illis inferorum mancipijs attulit. Quare si quod ius Sathan ante filij Dei in carnem aduentum in istiusmodi sceleratos homines habuit, hocipsum & nunc quoque integrum obtinebit. Contrà verò si nihil tunc ipsi in illos licuit, neq; nunc quoque aliquid in eosdem ipsi licebit. At licuit ipsi in illos citra omnem controuersiam non parum.

Aequa semper Sathanę potestas in damnatos.

Christi aduentus nihil præsidij attulit damnatis.

Quid porrò, quantumq; cruentę illi bestię in patres, qui ante orbē redemptū in inferorū limbo detinebātur, permissum fuerit, id nonnullā fortè quæstionē recipit. Nā & Christus captiuitatem captiuam duxisse, & portas ęreas & vectes ferreos

Ephes. 4. Psal. 106. Heb. 2.

Z con-

1.Cor.15. Osee 13. » confregisse,& diabolus vsq; ad eiusdem Christi mortẽ,mortis » imperium tenuisse legitur: Quæ omnia in omnes & singulos ad cœleste regnum nondum admissos, nonnihil iurisdictionis ac potestatis tartareo illi draconi tribuere videntur.

Diabolo nihil in eos licuit, q in inferorũ limbo detinebãtur.

Veruntamen, hoc authoritatum pondere non obstante, oppositũ multò ꝓbabiliùs asseritur. Erant enim ad vnũ omnes selecti Dei amici, in charitate & gratia confirmati, carnisque, & mũdi,& dęmonis victores declarati. Quare & Lazari quoq; anima non per dęmones, sed ꝑ Angelos ad Abrahę sinũ deportata scribitur. Erant nihilominus ante persolutũ redemptionis precium diui illi verè captiui, sed id Dei, non etiã diaboli. Voluit enim Deus, vt istic ab omni interim dolore & luctu, nisi quem fortè mora, vel melioris vitę desideriũ peperisset, immunes tantisper opperirentur, dum per Christi sanguinem in primam libertatem assererentur.

Patres in limbo erant captiui, sed Dei, non diaboli.

Probabile sit, diabolũ nullã in eos vim exercere, qui detinentur in Purgatorio.

Et quod de sanctorum patrum spiritibus non absq; magna ꝓbabilitate hoc loco astruitur, hoc ipsum & de ijs quoq; astrui fortassis queat, qui, vel tunc in purgatorijs pœnis distinebantur, vel etiam nunc in ijsdem detinentur (par nanq; vtrorunq; videtur ratio) Nã & hi quoq; Deo sunt oppidò chari,& in gratia stabiliti, illustremq; de carne, diabolo, & mundo victoriam consecuti. Sunt tamen, qui istiuscemodi demortuorum spiritus non ab omni prorsus dæmonum vexatione insultuq; liberos degere existimant. Quorũ sanè opinatio etsi minùs quàm altera huic aduersa recepta sit, non est tamen omnino vana. Quanuis enim nullum in illis extet peccatum saltem grauius, extant tamen quædam adhuc peccatorum reliquiæ, quas Deus Opt. Max. dæmonum ministerio perinde istic punire & expiare potest, atque eas eorundem opera non infrequenter in hoc seculo punire & expiare consueuit.

Sed & oppositum quoque nõ est prorsus improbabile.

Deus iustorũ peccata in hac vita dæmonũ opera interdũ plectit.

Tota itaque difficultas est de infantibus ante rationis vsuram, nullo fidei Sacramento suscepto, extinctis. Sunt enim, qui vtranque pœnam illis decernant. Nam cùm ad illorum ordinem non pertineant, (aiunt illi) qui lætum illud, Venite bene-

Sunt, qui infantibus non renatis vtrãq; pœnam decernant.

benedicti, olim audituri sunt: restat vt illorum gregi accen-scantur, in quos horribile illud fulmen, Discedite à me maledicti in ignem æternum, sub seculi finem casurum dinoscitur. Aeterni autem ignis nomine vtraque pœna designari assolet. Hanc Scripturę authoritatem huiusmodi ratione fulciunt: Si (inquiunt) istiusmodi pueri nulla post hanc vitam sensili pœna afficerentur, sed nudo tantùm exilio à regno multarentur, disparibus meritis par pœna irrogaretur. Constat enim hanc exilij pœnam in eos quoque conuenire, qui in puris naturalibus vita defuncti forent: siquidem citra gratiæ præsidium nullus omnino ad cœleste regnum admititur. Matth. 25. Citra gratiam non patet aditus ad cœleste regnum.

Sanè quicquid sit de alijs, certum est omnes illos in immitem hanc sententiam impingere, & necessariò impingere, quicunque, & quotcunque recèns natis propriam malitiam tribuunt, propriam, inquam, actualem. Quales vtique sunt omnes illi pseudotheologi, qui originis peccatum eiusmodi vitium esse definiunt, quo totus homo secundùm omnem sui partem aduersatur Deo: quòque ea omnia, & animo probat, & voluntate expetit, & reliquis omnibus viribus sectatur, quæ eidem displicent. Nam, vt isti pleno ore clamitant, peccatum hoc non solùm complectitur habitualem mentis cęcitatem, eiusdemque tarditatem & ignorantiam, voluntatis rursum peruersitatem, & concupiscendi pronitatem; sed actualem quoque Dei contemptum, eiusdemque odium & fugam, incredulitatem item & desperationem, & alia id genus complura, quorum suprà meminimus. Lutherani & Buceriani nõ regeneratis vtranque pœnam necessariò decernũt.

At quia communis tantùm sensus iudicio vsi animaduertunt, hęc tanta scelerum portenta in teneram illam ętatulam cadere non posse, quidam ex illo grege aiunt, nihil vetare, quô minùs statuatur diabolum ea omnia in infantium animis operari, quę in adultorum mentibus efficit, maximè verò diffidentiam & incredulitatem, qua, & fidei sint inimici, & in legem sibi inditã committant. Nam aliâs, inquiunt Bucerus.

ijdem, nondum renati iustè damnari non possent, propterea quòd Deus neminē damnare solcat, neq; iustè quoq; damnare queat, cui propria iniquitas aut peccatum nullum insit. Hęc illi perabsurdè quidem, suis tamen principijs neutiquam dissentaneè. Nam si nulli omnino, ne vnius quidem diei infanti, citra proprium fidei actum obtingit vita, vt isti palàm docent: consequens fit vt damnatio vel mors in nullum quoq; desæuiat, qui propria culpa vacat. Deus nanque æquè propensus, vel etiam propensior est ad ignoscendum & miserandum, quàm ad damnandum & puniendum.

Sunt, qui infantes nō renatos ab vita que pœna eximant.

Sunt alij, qui in alterum extremum dilapsi, eiusmodi infantes, vbi primùm hac luce perfunguntur, ad beatam illam immortalitatem statim transferri opinantur. Hoc errore, prętcr Pelagianos, Vincentium Victorinum quoq; laborâsse constat. Verba illius, allegante Augustino, sic habent: Ausim dicere, istos (infantes citra Baptismi Sacramentum extinctos) peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, non tamen vt cœleste inducantur in regnum: sicut latroni confesso quidem, sed non baptizato, Dominus non cœlorum regnum tribuit, sed paradisum, cùm vtique iam manaret, » Nisi quis renatus fuerit ex aqua & » Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: pręcipuè quia multas esse mansiones apud patrem suum Dominus profitetur. Hactenus Vincentius: sed longè aliter Augustinus.

Lib. 2. de ani. orig. c. 10. Vincentius Victorinus. Luc. 23. Ioan. 3.

Aug. lib. 2. c. 10. de orig. anim. Augustinus impugnat Vincentium Vict.

Cernis, ait ille, hominem paradisum & mansiones, quę sunt apud patrem, separare à regno cœlorum, vt etiam non baptizatis abundent loca sempiternę felicitatis. Nec videt cùm ista dicit, ita se nolle baptizati cuiuspiā paruuli mansionē à regno cœlorū separare; vt ipsam Dei patris domum, vel aliquas partes eius inde separare non timeat. Neque enim Dominus, in vniuersitate creaturæ, vel in qualibet vniuersitatis parte, sed in domo patris mei, dixit, mansiones multę sunt. Quo modo ergo erit in domo Dei patris non baptizatus, cùm Deum patrem habere non possit nisi renatus? Verùm idem

Qui Deū non habet patrē, non potest habitare in Dei patris domo.

idem ille Vincentius, vel sui oblitus, vel aliter persuasus, alibi ipsummet cœleste regnum eiusmodi paruulis polliceri non dubitat.

Cùm de illis paruulis, inquit idem Augustinus, qui morte præueniuntur priusquam baptizentur in Christo, respondere voluisset, ausus est eis promittere nō solùm paradisum, verùm etiam regnum cœlorum: non inueniens, quà exiret, ne Deum animas innocentes dicere cogeretur æterna morte damnare, quas, nullo merito præcedente peccati, carni inserit peccatrici. & paucis interiectis subdit denuo: Videns ergò, in quam se profunditatem naufragosi gurgitis iecerit: Sanè, inquit, pro illis oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum censeo sacerdotum sacrificia. Contrà Augustinus: Ecce aliud, vnde nunquam exiturus est, nisi eum dixisse pœniteat. Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui mēbra sunt Christi? Ex quo autem ab illo dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. & alio loco, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: nemo fit membrū Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo. & caput absoluens, ait:

Lib. 1. c. 9. Vincentius, sui oblitus, non renatis, modò intra, modò extra cœlum beatitudinis locum assignat.

Corpus Christi, tantùm pro mēbris Christi offerri debet.

Ioan. 3. Matt. 10. Marc. 8. Luc. 9.

Nemo ergo non baptizatis paruulis inter damnationem & regnum cœlorum promittat quietis vel felicitatis cuiuslibet atque vbilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit, quia nec damnationem metuit paruulis, quos nullum putat habere originale peccatum: nec sperat eis regnū cœlorum, si non perueniunt ad Baptismatis Sacramentum. Ille autem cùm confiteatur paruulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam regnum cœlorum nō baptizatis ausus est polliceri. Quod nec illi ausi sunt, qui eos asserunt sine vllo prorsus esse peccato. Huc vsq; Augustinus contra Vincentium Victorinum.

Pelagiani paruulis non renatis promittunt beatitudinis sedem extra cœlum.

In hunc Vincentinum errorē apertè cōcedunt Caluiniani, & Zuuingliani omnes. Nam etsi illi nō omnibus promiscuè vitam æternam polliceantur; sed ijs tantùm qui ex Christianis paren-

Caluiniani, & Zuuingliani pollicētur regnū cœlorum non baptizatis.

Genes.17. „ parentibus ortum ducunt, propterea quòd scriptum extat, Ero
1.Cor.7. „ Deus tuus, & seminis tui fœdere perpetuo. rursum: Sanctifi-
„ catus est vir infidelis propter mulierem fidelem, & sanctifica-
„ ta est mulier infidelis propter virũ fidelem: alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: ex cõsequenti tamen omnibus citra vllam omnino exceptionem eandem vitam, & immortalitatem pollicẽtur: quippe cùm vna prorsus eadẽmque omnium sit ratio. Nec enim vllum aliud inter hos & illos discrimen intercedit, quàm quòd hi vel inuitis parentibus Baptismi Sacramento initiari queant, & initiari quoque debeant, non etiam illi. Quanuis & illi quoque, si initiarentur, non incassum initiarentur. Caluinus de eiusmodi paruulis hunc in modum scribit:

In anti. cont. Con. Triden.

Infantes Patribus Concilij à regno Dei arcere libuit, qui antè erepti sunt ex hac vita, quàm ad Baptismum offerri potuerunt. Quasi de nihilo dictũ sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. & paucis interiectis addit: Quòd si Deus eos in regnum suum adoptauit, quanta iniuria fit promissioni? quasi per se ad illorum salutem non sufficiat? Inclusa est infantium salus in promissione, qua fidelibus testatur, se fore illis in Deum, & semini eorum. Hęc ille, & alia multa in hanc rem æquè insulsa, & impia: nec secùs ferè Bullingerus.

1.Cor.7.

Caluini de pueris nõ baptizatis sententia

Genes.17.

Hîc, ait ille, obseruandum est, quòd Paulus Apostolus maritum nominat sanctificatum, sed liberos ipsos ex sancta matre natos sanctos. Hi enim virtute Testamenti gratiæ, & promissionis Dei, sancti sunt, non vtiq; virtute natiuitatis secundùm carnem: sunt enim filij promissionis, nam verbum promissionis est: Ero Deus tuus, & seminis tui in sempiternum.

Ad c.7.1.Cor. Bullingeri de infantibus nõ renatis doctrina.

Genes.17.

Bucerus porrò ad tertium caput Matthæi commentans, (nam alibi eiusmodi pueros grauissimæ damnationi subijcit) idẽ ferè quod Caluinus & Bullingerus de istiusmodi infantibus scribit & sentit. At nõ nititur ille illo promissionis, aut sanctificationis fundamẽto, quo illi, sed occulto prædestinationis secreto. ait enim: Sacramenta signa sunt tantùm apud homines:

Buceri de infantibus ante rationis vsuram extinctis iudicium.

Nec

Nec ideo paruulus saluatur, quia baptizatus est: multi enim baptizati statim morientes damnantur, & alij non baptizati saluantur &c.

Verùm cùm hęc omnia cum ratione, communique totius Ecclesię sensu atque consensu, nec non cum sacris & diuinis literis apertè pugnent, nulla opus hîc erit prolixa refutatione. Enimuerò si ad vnum omnes, quotquot ex Adamo nascuntur, qualescunque tandem proximi eorum progenitores extiterint, peccato, iræque, & condemnationi obnoxij nascuntur, vt citra controuersiam nascuntur omnes: impossibile est vt nascātur sancti, hoc est, à peccato liberi. pugnant hęc enim inter se, sanctum nasci, & peccatorem nasci: regni rursum vel promissionis hæredem nasci, & filium iræ nasci.

Caluiniani & Lutherani pugnāt cum ratione & Scriptura, Ecclesiæ cōsensu & sensu.

Non potest idem simul peccator & sanctus, iræ & regni filius nasci.

Nec infirmat hanc communem peccati legem promissio Abrahę facta, aut sanctitas quam Apostolus largitur ex altero parente fideli ortis. Sunt enim illi ante susceptū Baptismi Sacramentum perinde sancti, ac illorū parentes infidelitatis vel paganismi erroribus adhuc obstricti. Nam sanctum esse, & sanctificatum esse, (in hoc enim illi vim faciunt) in idem planè recidunt. Quandoquidem fieri omnino non potest, vt aliquid verè ac propriè sit sanctificatum, quin idem etiam sit sanctum: cùm sanctificationis effectus, vel terminus, sit sanctitudo; & sanctum omne, aliqua sanctitudine, vel sanctimonia sit sanctum. Atqui certum est, coniugem infidelem, vt infidelis est, per fidelem non sanctificari, hoc est, à peccato mundari, & Spiritus sancti gratia donari. Nam aliâs simul mundus esset & immundus, simul amicus & inimicus, simul ouis & lupus, simul fidelis & infidelis. Mitto hîc, sanctificare, hoc est, animam interiùs per gratiam emundare, non hominis cuiuscunque, sed solius Dei opus esse.

Non renati æquè sunt sancti, atque pagani.

Sāctum esse, & sanctificatum esse, re ipsa inter se non differūt.

Sanctificari, est à peccati sordibus repurgari, & Spiritus sancti gratia donari.

Interiùs sanctificare, solius Dei opus est.

At qua ergo parentum sanctitudine nascuntur sancti? Nulla sanè supernaturali: ea enim non confertur per carnis natiuitatem, sed per viuam ex aqua & Spiritu sancto regenerationem. Dicuntur autem eiusmodi mundi, vel sancti,

quadam

quadam politica munditia,& sanctimonia: Nam eiusmodi, vt est apud Ambrosium, non habentur spurij aut nothi, sed legitimi, &, quod ad naturalium rationem attinet, mundi: quales vulgò non haberentur, si diuulso matrimonij vinculo, parentes ad alias nuptias sese conferrent. Vel sancti sunt, & sancti appellantur, secundum Hieronymum, quia fidei candidati, & animi destinatione Christo iam deputati, & quodāmodo appropriati. Qua etiam ratione vasa & loca quędam appellantur sancta: nec enim omnia, quæ diuino cultui mancipata, vel ad vsum sacrum destinata sunt, semper quoque oratione aliqua, aut cæremonia consecrata, aut initiata sunt, & tamen omnia isthæc communi appellatione sancta vocantur. Quin & eo quoque modo sancti dici, & sancti haberi possunt, quo Catechumeni, Baptismi gratia necdum potiti, sancti nonnunquam dicuntur: Hi autem non propter Baptismi signaculū, aut Spiritus sancti incolatum sancti appellantur; sed propter communem Ecclesiæ orationem, propter manuum impositionem, propter signi Christi impressionem, & alia quædam eiusmodi.

Ad c.7.1.Cor. Ex fidelibus orti ante Baptismū appellantur sancti, quia sunt legitimi, Baptismiq; cādidati.

Aug. lib. 3. c. 26. de pec. merit.

Tandem vtcunque sanctitatis vocabulum exponas, vel accipias: (nam aliter exponitur ab alijs) absque vlla dubitatione tenendū est, inquit Augustinus, eiusmodi sanctificationem non valere ad faciendos Christianos, atq; ad dimittenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione & Sacramētis efficiantur fideles. Nam nec cōiuges infideles quamlibet sanctis & iustis coniugibus cohęreant, ab iniquitate mundantur, quę à regno Dei separatos in damnationem venire compellit: nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisque procreati originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati: pro quibus tanto impensiùs loqui debemus, quanto pro seipsis minùs possunt.

Lib. 3. c. 13. de pec. mer.

Nulla parentum sanctitudo tanta est, quæ infantes interiùs sine Baptismo emūdare queat.

Ad promissiones porrò Abrahę & semini illius factas quod attinet, illæ, vt Apostolus ad Romanos scribens planè demonstrat, & ipsa quoque ratio cōfirmat, longè aliam, quàm Sectarij in

Rom. 4. 8.

rij in medium adferunt, interpretationem depoſcunt. Certum eſt enim innumeros, qui ex Abrahami ſemine nō deſcendunt, æterna ſalute iam olim eſſe potitos, & multos ſubinde potiri: E diuerſo innumeros, qui hinc ortum duxerant, ex eadem illa ſalute & promiſſione excidiſſe, & multos ſubinde ex ea excidere. Quòd ſi illa promiſſio ad carnale illius ſemē tantùm ſpectaret, neque qui de altero ſemine prodijſſent, ſalui fieri; neque qui ex eo orti eſſent, ſalutis iacturam poſſent facere, etiamſi Chriſti Redemptoris fide deſtituti forent. Atqui vtrunque perabſurdum, Apoſtolicæque doctrinæ omnino diſſentaneum exiſtit. Aliter proinde pactum illud cum Abrahamo & ſemine eius initum exponi debet: ſicut & alio quoque ſenſu orthodoxi Patres illud exponunt, & inter alios Rupertus Tuitienſis, vir in quo pietas & eruditio ex æquo decertant.

Promiſſio Abrahæ facta quiduis potius vult, q̄ id quod interpretantur Sectarij.

Multi ex carnali Abrahæ ſemine orti pereunt, & multi rurſum hinc non orti ſaluantur

Hoc, inquit ille, pactum eſt in Chriſto Mediatore Dei & hominum, per quem ſolum Abraham factus eſt pater multarum gentium: Imò pater omniū filiorum Dei. Omnes enim quotquot filij Dei dicuntur, & ſunt, non niſi per Chriſtum talem gratiam acceperunt. Hic autem ſecundùm veritatem carnis aſſumptæ ſemen eſt Abrahæ. Igitur omnium, quorum Deus pater eſt, illorum quoque & Abraham pater eſt. Diſtinctio autem quam facit Deus dicendo, Inter me & te, & ſemen tuum " poſt te: item, Vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui fœdere perpe- " tuo: ſic rectè accipienda eſt, vt nomine Abraham omnes ele- " ctos, qui ex carne ſimul & fide illius ſunt; nomine autem ſeminis illius poſt ipſum, omnes electos ex gentibus intelligamus. Qui quidem non caro & ſanguis Abrahæ ſunt, ſed per fidem ſeminis eius, quod eſt Chriſtus, ſemen eius ſunt. Atqui infantes ante regenerationis Sacramentum ſuſceptum, neque per fidem cōiunguntur Abrahamo, neq; per carnis natiuitatem: Quare neque ſemen quoque illius vllo vero ſenſu appellari poſſunt. Conſtat ergo, vt pſeudotheologorum illorum ſententia eſt falſa, aperteque erronea: ita fundamenta quoque, quibus nituntur, eſſe planè infirma & putida.

Lib. 5. in Geneſin.

Per ſolum Chriſtū filij Dei efficiuntur, quicunq; iſtuc efficiūtur.

Infantes non renati, neque ſecūdùm carnem, neq; ſecundùm ſpiritū filij Abrahæ ſunt.

Sunt alij igitur, qui paruulos ante susceptam regenerationis gratiam extinctos, prçter exilium à regno, nihil quicquam supplicij in altera vita perpessuros tradunt. Quorum sententia, vt inter duas illas extremas, media est, ita omniū tutissima, diuinæq; miserationis & benignitatis abysso omnium dignissima est. Quis enim credat perinde in altero seculo cum illis agi, qui hoc vno miseriam illam, qua tenentur, incurrerunt, quòd communi generationis lege ortum ab Adamo traxerunt, ac cum nefarijs diuinç legis contemptoribus? Cùm, inquam, vitij huius gentilitij malitia, cum eorum scelerum prauitate collata, quæ studio committūtur, sit perquam exigua, quis sempiternam gehennæ flammam, (nisi quis forsan ipsam damni pœnam gehennæ vocabulo cum veteribus quibusdam exprimere volet) propriam illius peccati pœnam esse dicere audeat?

Tutissima illorum sententia, qui tantū damni pœnæ infantes non regeneratos subijciunt.

At quia non satis est, hoc vel illud æquum, vel iniquum esse, asserere; verùm simul quoque assertę veritatis aliquam idoneam rationē oportet reddere: agedum mediam hanc viam, çquitati, rationisq; legi quàm maximè consentaneam esse, paucis ostendamus. Primò igitur tritum in Scholis axioma est, Sensibilem pœnam propter sensibilem oblectationem, ex opere lege prohibito, vel aliâs illicito haustam vel malè quęsitam, ordinaria lege tantùm irrogari: (oblectatio enim vt fundamentum ponit operationem) Atqui nullum illicitum opus cōfingi potest, ex quo aliqua ad illos pueros sensus oblectatio redierit, qui in originali peccato oriuntur, vel moriūtur. Non proprium: tale enim nullum extat, quippe qui priùs labe hac inficiantur, quàm vllum omnino hominis opus edere valeant. Nec alienum rursum: nam ex actu, quo Adam pręuaricatus est legem, nulla in illos redundauit voluptas, cùm per id tempus in rerum naturá nondum existerent.

Sensilis pœna ꝑpter sensilem oblectationem irrogatur.

Nullum illicitū opus cōfingi potest, ex quo sensus oblectatio redierit ad pueros infantes.

Et quanuis suprà ostensum fuerit, & verum quoque sit, ex illo ipso Adamicæ pręuaricationis actu, quandam vniuersalem virium omnium obliquitatem, habitualemque à Deo auersionem

onem in naturam, quam ipsi participant, deriuatam esse, ob id tamen sensilis pœnę incommodo addici non debent. Nam vt præmiũ vel merces non debentur animo ad hoc vel illud opus propenso, nisi opus ipsum externum, vel internum consequatur: ita vice quoq; versa habilitas, vel propensio, vel inclinatio ad malum non meretur supplicium, nisi malum ipsum opere designetur, aut, vt designetur, sedulò incũbatur. Periniquum enim foret, ob id hominem punire, quòd ad furandũ, vel scortandum, vel aliud flagitium videretur propẽsior. Habilẽ enim esse ad opus, non est actu operari. Vbi autem omnis abest operatio, ibi nulla quoq; adest oblectatio, & per cõsequens omnis proprij meriti ratio. Mitto hîc, sensus pœnam conuersioni pręcipuè deberi, non etiam auersioni.

Vt præmium non debetur habitui bono nisi sequatur opus, ita nec pœna quoq; propensioni malæ.

Sensus pœna conuersioni debetur potiùs quàm auersioni.

Deinde verò licèt natura per primi hominis peccatum sit vulnerata, hoc est, multis & magnis pręrogatiuis, quę singulari Dei beneficio ipsi obtigerant, spoliata: non est tamen verè imminuta, aut mutilata, aut extra statũ, qui naturaliter ipsi debetur, eiecta. Peccatũ enim nihil ademit, quod naturalẽ illius integritatem violaret, aut essentialem eiusdem cõstitutionem interuerteret. Atqui sensus pœna non potest naturali illius integritati, bonęq; eiusdem dispositioni non maximè aduersari. Natura nanq; ab omni eo abhorret, & quidem naturaliter abhorret, quod pœnã adfert. Nec iniuria: pœna enim si vera est, cruciatum, verę q; rationis perpessionẽ includit: Vera autem perpessione id rei, quę patitur, adimitur, quod secũdùm naturam in ipsam cõuenit, & ex quo natura oblectationẽ aliquam carpit. Adimit sanè & damni quoque pœna homini, quod in ipsum conueniebat, sed id interim naturę illius secundùm se consideratę non erat debitum, sed gratuitò ac supernaturaliter ipsi adiunctum.

Humana natura per peccatum est vulnerata, non etiam mutilata.

Sensus pœna aduersatur bonæ naturæ cõstitutioni, naturalique eiusdẽ integritati.

Denique Augustinus, & qui illum sequũtur, fatentur pœnam vitio huic debitam omnium pœnarum esse mitissimam. At si infantes nullo suscepto Sacramento hinc erepti, præter exiliũ à regno, sensus quoq; pœnã experiuntur, profectò non

Pœna orig. peccato debita omnium mitissima.

omnium mitiſſimã, imò ne mitem quidem experiuntur. Conſtat enim minimam gehennæ pœnam omnes mũdi huius cruciatus multis partibus excedere. Quòd ſi non omniũ mitiſſimam ſimpliciter, ſed omnium mitiſſimam quę in damnatum cadere poteſt, ſuſtinere, reſpondeant, adhuc non omnem difficultatem declinant. Nam ſi damnatorum omnium leuiſſimè plectuntur, ergo leuiùs plecti nõ poſſunt: at multò citra omnẽ controuerſiam leuiùs plectũtur, qui ſola damni pœna plectuntur, quàm qui damni & ſenſus pœna ſimul.

Minima ſenſus pœna inferni, maxima eſt huius mundi.

Qui leuiſſimè plectitur, leuiùs plecti non poteſt.

Dicent fortè minimã ſenſus pœnam perpeti? Verùm dum id dicunt, in hoc rurſum incommodum incidunt, quòd diſparibus meritis pares cruciatus decernunt. In confeſſo eſt enim omnes ſenſilis pœnæ gradus comparari inter ſe poſſe, vt qui omnes eiuſdem rationis exiſtant. At originis peccatum cum nullo perſonali cõferri poteſt, vt quod, nec ſpecie, nec genere cum vllo omnino conueniat, ſed tantùm quadam communi & analogica ratione. Si ergo originale æquè ac quoduis perſonale multatur ſenſus pœna, profectò comparatione aliorum non multatur mitiſſima, ſed grauiſſima pœna. Siquidem ſola graduum diſſimilitudo vel inæqualitas non cõſtituit tantam pœnarum diſparitatem, quanta intercedit inter quoduis perſonale flagitium, & originis næuum. Vt ergo infantes nullo prorſus ſenſu in Deum commiſerunt, neque committere potuerunt: ita nullam quoque ſenſus pœnam exoluere exiſtimandi ſunt. Atque hoc Innocentiana illa diſtinctio, non tam inſinuat, quàm omnino clarè & euidenter demõſtrat. ait enim: Originalis peccati pœna, eſt carentia diuinę viſionis; actualis verò peccati, eſt gehennę perpetuę cruciatus.

Si infantes ſenſus pœnã pendunt, diſparibus meritis par pœna irrogatur.

Vt infantes nullo ſenſu in Deũ commiſerunt, ita nullã ſenſus pœnam pendunt.

c. Maiores. de Baptiſ.

At ſummum, inquis, animi ſupplicium, cœli aditu prohiberi? Eſt ſanè ſentientibus, non ſentientibus autem nullum omnino eſt. Illi autem ſoli eam iacturam dolenter ferent, qui cùm ad tantas opes peruenire potuiſſent, opem ſibi clemẽter à Deo oblatam repulêre, diuinæque iuſtitiæ munera animo ingrato & impio contempſerunt: non ij, qui de cœleſti beatitudine

tudine ne suspicari quidem aliquid potuerunt. Eiusmodi autem sunt pueri illi, de quorum pœna hîc disserimus. Neque enim quicquam illi de peccato, quo obstricti tenentur; neque de felicitate, quam peccati huius occasione amiserunt, exploratum habent. Vtrunque enim per solam acquisitam, aut infusam fidem habetur, qua ipsi modis omnibus destituuntur: Acquisita quidem, quia fidei mysteria publicè proponi, nec audiuerunt, nec, si casu audiuerint, intelligere potuerunt: Infusa verò, quia nulla apparet ratio cur nudam fidem Deus illis infundere debeat, qui ad regnum illius nulla ex parte spectant: maximè verò, cùm eiusmodi fidei infusio eorum miseriam & infelicitatem augeret potiùs, quàm eleuaret.

Damni pœna sensus pœnã parit, si damnum sentiatur, secùs nequaquam.

Infantes in limbo infusa, & acquisita fide destituuntur.

Cùm ergo quid amiserint nesciant, neque causam, propter quam eam iacturam fecerint, compertam habeant, fit vt de cœlestis beatitudinis priuatione nullam omnino tristitiam concipiant. Vt enim gaudium notitiam boni: ita tristitia cognitionem ponit mali. Siquidem tristitia de ijs esse dicitur, quę nobis inuitis, ac nolentibus accidunt. Et vt maximè subodorari quippiam ea de re possent, adhuc priuationem illam ęgrè non exciperent. Habent enim voluntatem pro naturæ suæ conditione & qualitate rectã, & rationis iudicium integrum: At non parum à rationis lege alienum foret, vel de iusta pœna, vel de illius rei absentia, quę nullo tibi iure debebatur, vehementiùs angi. Quis enim impatienter ferat, quòd auium more volare non valeat? aut si plebeius sit, quòd Regum vel principum more non imperet? Sed & Deus quoque, qui moderatur omnia suauiter, proque meritorum ratione punit delicta leuiter, omnem in illis ęgritudinis sensum, si quis hinc forsan exoriretur, pro sua clementia perfacilè sistere & impedire potest.

Tristitia de ijs est præcipuè, quæ nobis inuitis accidunt.

Pueri in limbo iudicio recto non carent.

Deus doloris sensum, si quis esset, in pueris sistet.

Hæc ad illud, quod de interno infantilium animorum mœrore paulò antè obijciebatur, ex gymnasticis respondẽt multi, neque istuc non rectè. Veruntamen exempla, quibus hanc rem illustrant, non ita multum virium habent. Nec enim ea

Non ea facultas adest homini ad volandum, quæ pueris illis ad cœleste regnum.

facultas ineſt homini ad volandum, quæ pueris illis ad cœleſte numen intimè cognoſcendum, cognitumque ſyncerè ac conſtanter amandum. Siquidem, poſſe volare, æquè alienum eſt ab humana natura, atque ab auium natura alienum, poſſe ratiocinari. Volabunt ſanè ſancti, & ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrent: ſed hoc non naturę pennis, ſed gratiæ, vel gloriæ alis. At verò cœleſti beatitudine poſſe potiri, id humanę naturæ adeò non repugnat, vt in eam quoque quàm maximè conueniat: quippe cùm beatitudo, vel clara Dei viſio, vltimus & proprius ipſius hominis finis exiſtat. Quanuis, inquam, gratiam vel gloriam reipſa obtinere, opus ſit diuinę miſericordię, & gratiæ: huius tamen, vel illius capacem eſſe, conditio eſt humanę naturæ.

Sap. 3. „

Poſſe beari, conditio est humanæ naturæ: re ipſa beatum eſſe, opus eſt diuinæ miſericordiæ.

Exemplum de plebeio allatum magis aliquanto ad rem hîc inſtitutam facit: attamen & hoc ipſum quoque nonnihil diſparitatis habet. Nam etſi plebeij naturę nō repugnat principū more regnare: repugnat id tamen illius conditioni, vel ſtatui, vt cui nullum omnino ius in regnum competat, neq; remotum, neque propinquum: At verò licèt originis labe obſtricti nullum vnquam propinquum ius ad regnum obtinuerunt, (nec enim gratiam vnquam ex Baptiſmo, vel proprio merito habuerunt) remotum tamen hoc ipſo in illud obtinuerunt, quòd iuſtitiam, & ſanctitatem in Adamo tanquam in radice acceperunt. Vnde vt legitimi filij ob amiſſam propter paternum crimen hęreditatem dolent, & iure optimo dolent: ita & illi ipſi quoque infantes, ſi miſeriam, quam patiuntur, vel iacturam, quam fecerunt, intelligerent, vicem ſuam vehementer deplorarent. Sed quia nihil horum, vt diximus, aſſequuntur, neque naturaliter aſſequi poſſunt, fit vt nullam quoque animi ægritudinem inde capiant.

Exemplum, quod ex plebeiorum cōditione petitur, non eſt per omnia commodum.

Infantes non renati habuerunt ius ad cœleſte regnum, ſed remotum.

Sed nunquid, quęrat hîc quiſpiam, ſi ſtatum, in quo hęrent, diuina reuelatione, aut alio quocunque interno externóve indicio agnoſcerent, aliquem hinc internū dolorem aut contritionis ſenſum conciperent? Cōciperent vtique, quanquam

ob

ob rationes paulò antè expositas quidā id negent: verùm dolor ille non esset propriæ rationis contritio. Contritio enim non est de ijs peccatis, quæ aliena voluntate contrahuntur, sed de personalibus, deq; ijs, quæ proprij arbitrij facultate vsi, euitare potueramus: atqui originis peccatum, neque propria voluntate conflatum, neq; post primi hominis lapsum vlla creata vi euitari potest. Mitto hîc, veri nominis contritionem veræ pœnitentię statū ponere. Nec enim aliud est conteri, quàm peccatum, vt Deo aduersatur, detestari, hoc autem est pœnitere. Pœnitentia porrò post excursum semel vitæ huius stadium ampliùs locum non habet.

Dolerent infantes illi, si, quod patiuntur damnum, intelligerent: sed is dolor non esset cōtritio.

Pœnitentia post excursum semel vitæ stadium ampliùs locū non habet.

At primæ opinionis ratio adhuc vrget, inquis: Nam si infantes per Christi gratiam non renati, omnis omnino pœnę externę, internęque expertes ætatem agunt, agentque semper: perparū ergo intererit inter eos, qui originis peccato contaminati occumbunt, & eos, qui, ortu aliunde quàm ex primo parente ducto, in puris naturalibus mortem oppetunt. Sanè si rem hanc ex pœna, quę extrinsecus adfertur, aut ex ægritudine, quę propter acceptum damnum animo concipitur, definiamus, non admodum multum: nisi forsan hos illis maiores mentis tenebras experiri, semperque experturos esse, cum quibusdam tueri lubeat. Hoc tamen inter hos & illos intercederet, si quos eiusmodi Deus cōfingeret, aut aliquando confinxisset, quòd alteris exiliū illud à regno vera esset pœna, quia vera ex culpa natum, alteris autem non esset. Sicut nudum, vel animo infirmo conditum esse, secundùm se, & per se non est pœna: nam aliâs quicunq; nudus, vel animo infirmus esset, pœnæ obstrictus esset, quod falsum est. Est tamē pœna, denudatū, vel veste spoliatum esse. vel magis ad rem: Homini plebeio priuatā ducere vitā, nō est pœna: est tamē pœna stirpi regiæ, parentis sui scelere vel ignauia regno orbatæ. Excluduntur hi ergo à regno non ob id solum, ꝙ nuptialis vestis ornatu careāt; sed ob id etiā, ꝙ veris maculis sordeāt, quodq; in iusta cœlestis spōsi indignatione hæreāt: illi

Quod ad sensus pœnam attinet, nō differunt, qui in puris naturalibus oriuntur, ab illis, qui in originis peccato.

Henri. quodlib. 6. q. 21.

Carere regno infantibus pœna est vera, veraque priuatio: cæteris qui orig. peccato carerent, nec pœna esset, nec priuatio, sed simplex tantùm negatio.

Pueri non renati excludūtur à regno, & quia nudi sunt, & quia sordidi sunt; cæteri in puris naturalibus constituti, ob id solum, quia nudi sunt.

illi autem ob id vnum hinc arceantur, quòd candida stola destituantur.

Quin & aliter quoque, & fortè planiùs, ad hoc argumentum responderi posset, nempe à diuina benignitate, & ordine suauissimo ab ipso instituto omnino alienum videri, vt hominem condat, qui nulla, vel sua, vel alterius culpa impeditus, vltimo suo fine frustretur. Nam quod de duplici hominis fine, altero naturali, altero transnaturali, à quibusdam traditur, id tanti non est, vt ob id cum Pelagianis, aut Vincentianis, duos nos cœlos confingere oporteat, alterum pro initiatis, alterum pro profanis culpę tamen exortibus. Longè hîc probabiliùs differere videntur, qui vt vnum duntaxat beatorum domicilium, ita vnum tantùm absolutè vltimum hominis finem constituunt. Hoc tamen non impedit, quò minùs geminam perfectionem homini tribuere liceat, alteram naturalem, alteram transnaturalem. Aliud est enim loqui de qualicunque hominis perfectione, aliud de vltimo eiusdem fine.

Alienum est à Dei misericordia, eum à regno excludere, qui culpa caret.

Vnus hominis finis absolutè vltimus.

Et quemadmodum pius animus non capit, vt Deus, cuius clementia omnem modum excedit, suo regno illum excludat, qui nulla prorsus culpa tenetur, tametsi absoluta potentia vsus, facere id possit: ita idem ille ægrè admodum admittit quoque, eundem illum benignissimum patrem veris in illos cruciatibus ac supplicijs deseuire, qui nihil quicquam vnquam sceleris per se admiserunt, neque quicquam eiusmodi per ætatem admittere potuerunt.

Vtrunque durum est, & dicere Deum cœlo illos prohibere, qui carent omni culpa; & dicere eŭdem illos apud inferos torquere, qui nulla personali tenentur noxa.

Et vt hoc, & illud quoque propter imperscrutabilem diuinorum iudiciorum abyssum, admitti queat: nulla tamen ratione admitti debet, neque salua quoque veritate & pietate admitti potest, qui nullo in hac mortali vita actuali fastu aut superbia intumuerāt, nulla vnquam in Deum ira aut furia exarserant, nullo denique scelere sese polluerant, illos in altera tandem vita, demutata iam mente & voluntate, superbiæ initium facere, immaniq́ue odio & ira in Deum tanquam in deterrimam pestem sese efferre: Atqui certum est, quotquot sen-

Qui hinc decesserunt sine actuali odio, inuidia, superbia, &c. illis nihil tale accedit in altera vita

sili

filii apud inferos pœna torquentur, eos omnes pertinaci in Deum ira, inuidia, ac furia ardere, ingentique superbia & contumacia in eundem insurgere. scriptum est enim: Superbia eorum qui te oderunt (quales vtique sunt omnes illi qui in tartareis locis pro admissorum scelerum ratione sensus pœnas pendunt) ascendit semper.

« Psal. 73.
In inferno obtinet actuale odium, & ira, & furia, &c.

Quamobrem dum Augustinus contra Pelagium, qui originis peccatum negabat, suisque sophismatis in magnas difficultates Antagonistas suos interdum conijciebat, acriùs disputans, sempiterno igni eiusmodi infantes puniendos asserit, vel rerum difficultate compulsus, vel disputationis feruore actus, (id quod Christi amore, & fidei zelo incensis, dum contra Ecclesię hostes Ecclesię causam agunt, vsu venire quandoque solet) modum nonnihil excessit: aut certè, quod nobis vero similius fit, sempiterni ignis nomine damni pœnam expressit: Nam omnem omnino cruciatum, & pœnam, ignis vocabulo generatim exprimi posse, cùm Scripturæ, tum ipse quoque de cuius sententia hoc loco disputamus, apertè testantur.

Vehemēs disputator Pelagius.
Aug. disputationis calore actus, modū nonnihil excessit.
Omnis pœna ignis vocabulo interdum designatur.

Meritò, inquit ille, quæritur, cùm Dominus propter illum, qui de anathemate furtum fecerat, præceperit eum, qui fuisset ostensus, igni cremari, cur eum ostensum Iesus lapidari potiùs à populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodū Iesus, qui propiùs Dominū sequebatur, verba iubentis intelligere potuit? Sic enim alius quisquā non facilè potuit. Vnde magis quęrendū est, cur lapidationē ignē appellauerit Dominus, quàm credendū Iesum aliud fecisse q̃ iusserat Dominus. Nam neq; ad intelligendū verba Domini quisquā potuit esse sapiētior, neq; ad faciendū quisquā obediētior. Proinde ignis nomine pœnā potuisse significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, vbi dicitur ad filios Israhel: Et eduxi vos de fornace ferrea ex Aegypto: vbi vtiq; durā tribulationē intelligi voluit. Hęc Augustinus de metaphorica ignis notione, & benè.

Aug. q. 9. in Iosue.
Iosue 8.
» Deut. 4.
»

Alibi idem Pater docet satius esse originis labe contamina-

Lib.5.cap.8. cont. Iulian. Infantibus non renatis melius est esse quàm non esse.

tum esse, quàm omnino non esse. Quis inquit, dubitauerit paruulos non baptizatos, qui solum habent originale, nec vllis proprijs aggrauantur, in damnatione omnium leuissima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit, quanuis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis, vt nulli essent, quàm vt ibi essent, potiùs expediret. At melius haud dubiè est, omnino non esse, quàm tartareis ignibus perpetuò mancipatum esse. Quin & aliud quoque ad rem faciens non parum ex hoc ipso loco colligere licet: puta Augustinum, cuius sententiam multò, quàm par est, obstinatiùs vrgent nonnulli, de pœnę, quæ in eiusmodi paruulos conuenit, qualitate & quantitate fuisse planè incertum. Clarè enim pronunciat, Quæ, qualis, & quanta ea futura sit, se definire non posse.

Melius est, nō esse, quàm tartareis flāmis perpetuò addictū esse,

Aug. Epist. ad D. Hieron.

Augustinus de paruulorū pœna passim ancipitem se declarat.

Eandem animi anxietatem, & de pœna hac incertitudinem ęquè disertè alibi prodit quoque. Nam cū diuo Hieronymo de hac cōtrouersia disceptās, hęc inter cętera depromit: Cùm ad pœnas ventum est, paruulorū magnis, mihi crede, coarctor angustijs, nec quid respondeam prorsus inuenio. Non solùm eas pœnas dico, quas habet post hanc vitā ista damnatio, sed eas ipsas, quæ in hac vita ante oculos versantur: quas enumerare si velim, priùs tempus quàm exempla deficient. Hęc Augustinus, & multa in eandem sententiam alia. Ex Augustino itaque euidenter euinci non potest, propriam peccati huius pœnam gehennæ flammam esse: licèt de fide ad Petrum scribens (si is tamen commentarij illius author existit) ignis vocabulo illam designauerit.

Ad cap. 5. ad Rom.

Non maioris fieri debet Augustini sententia, quàm ratio, vel authoritas, qua nititur.

Et vt is maximè in hanc, quàm in illam partem propensior extitisset, vt fortè extitit: adhuc in hac, præsertim tam cruda & peregrina sententia, non magis illius authoritas apud nos valere deberet, quàm Ambrosij, Innocentij Pontificis maximi, aliorumque doctissimorum, pijssimorumq; hominum iudicium, qui oppositum literis prodiderunt: vel certè quàm ratio, vel authoritas, qua ipse nititur, quæ profectò, vel nulla est, vel omnino infirma est. Neq; enim aliud quicquam ab stabiliendum

eundum illud tam durum, pijsque auribus tam ingratum placitum in medium adfert, quàm generalem illam mortalium omnium in hœdos & oues sequestrationem, disparemque vtriusque partis sententiam: Et tamen sempiternum gehennæ incendium in istiuscemodi infantulos perpetuò deseuiturum esse, hinc non euincitur: imò verò contrarium hinc potiùs euincitur.

Matth. 25.

Ex suprema iudicis sententia necessario nō colligitur, infantes non renatos vtrāq; pœnam depensuros esse.

Primò enim solo originali peccato obstrictos ad generale illud iudiciū præstò futuros, damnationisq; sententiā vnà cum cęteris audituros, id ex hoc Scripturę loco certò nō colligitur. Deinde verò, vt maximè compareant huc oēs, (hoc enim creditur tutiùs, & cōmuni Doctorū sentētia asseritur cōuenientiùs) adhuc horribile illud iudicis fulmen, Discedite à me maledicti in ignē ęternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, illos neutiquam perstringeret, vt qui opera misericordiæ, vel alia quæcunque bona, vel mala per ætatem exercere nequaquam potuerint. Nec enim æquissimus iudex ad illos aliquando dicturus est, Esuriui, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi bibere.

Creditur tutius, infantes non renatos ad commune omnium iudicium comparituros.

Matth. 25.

Infantes misericordiæ opera exercere non potuerunt.

Imò verò non desunt, qui formidabilem illam iudicis sententiam in eos tantùm detonituram existimant, qui spiritalis ædificij fundamento per fidem iacto, nulla virtutum officia superinduxerāt. Omnes, inquit Gregorius Magnus, resurgunt etiam infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium. & infrà: Professionem fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguūtur vt pereant. Qui verò nec fidei Sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia pręiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius, quem despexerant, inuectione redargui non merentur. Sed & diuus Augustinus quoque ad eundem ferme modum hunc Euangelistæ locum edisserit. ait enim: Erit ergo æterna combustio, sicut ignis, & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, sed opera bona defuisse declarabit.

Lib. 26. c. 24. Moral.

Infideles iudicis sententia in extremo iudicio non redarguuntur.

Si ergo iudicium illud non erit omnium adultorum, aut non eorum omnium propriè: multò sanè minùs eorum erit, qui per se nihil mali designârunt, neque per ætatem designare potuerunt. Tandem vt iudicis sententia ad omnes pertineat simpliciter, accipienda est tamen secundùm meritorum vniuscuiusque rationem. Nam etsi vna sit secundùm se, applicanda est tamen secundùm vniuscuiusque opus: alioqui enim parem pœnam subirent omnes, contra illud: Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. & illud rursum: Reddet vnicuique secundùm opera eius, prout in corpore gessit. & infrà: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. & illud demum: Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Patet ergo locum hunc parum firmum esse ad statuendum sensibilem infantium non renatorum pœnam.

Iudicis sententia accipienda est secùdùm vniuscuiusque meritum.

Apoc. 18.

Rom. 2.

2. Cor. 5.

Deut. 25.

Sed instas eiusmodi ratione: Si paruuli illi cum diabolo & angelis eius nō cēsentur, mediū ergo inter cœlū & infernum locū eisdem assignes oportet: hoc aūt citra Pelagianæ hæreseos suspicionē non licet. Ad hoc dici potest, oēs quotquot damnantur, hoc est, in omnē æternitatē à cœlesti regno ꝓscribuntur, generali quadam ratione eiusdem reipub. municipes censeri posse, etiamsi eundem locum præcisè non teneant omnes. Nam & qui in terris meritorū stipendia adhuc faciunt, & qui in purgatorijs locis detenti pœnas pendunt, eiusdem Ecclesiæ militantis censentur ciues: & tamen non solùm statu, sed & loci quoque intercapedine, & qualitate plurimùm inter sese dissident. Sic quoq; dæmonum alij torquentur in abysso, alij vexant, & vexantur vicissim in aëre hoc caliginoso: & tamen omnes vnius tyrāni satellites, omnes vnius eiusdemque prætorij carnifices habentur. Et vt maximè ad inferos amandarentur omnes, neutiquam tamen hinc sensilis pœna inferri posset. Nam & patres quoq; ante Christum passum ad

Damnati oēs vbicūque tādem locorum degant, vnius reipub. ciues censentur.

Inferorum locus sensus pœnam necessariò non infert.

ad tenebras & ſubterranea regna deſcendebant, neque ob id tamen pœnæ alicui ſenſili obnoxij erant.

Nec eſt quòd Pelagiani erroris notam incurſuros nos formidemus, etiamſi non omnes, qui à regni aditu prohibentur, ad vnum omnino ergaſtulũ ablegemus. Pelagiani enim duplices beatorum ſedes confingebant; alteras extra, alteras intra cœlum empyreum: Nos vnum tantùm cœlum, & vnũ duntaxat infernum recipimus: Tametſi vnum hunc in alterum, & alterum, hoc eſt, in eum, vbi pœna damni tantùm; & in eum rurſum, vbi damni & ſenſus pœna ſimul obtinent, cum diuo Auguſtino, & alijs præterea compluribus Theologis ſecernendum exiſtimemus. Etenim dum quidam ex illo percunctarentur: Quid opus erat vt naſceretur, qui antequam iniret vllum vitæ meritum, exceſſit è vita? Aut qualis in futuro iudicio deputabitur, cui neque inter iuſtos locus eſt, quoniã nihil rectè fecit; neque inter malos, quia nihil peccauit? eiuſmodi reſponſum tulêre:

Pelagiani duplices beatorum ſedes cõſtituunt.

Catholici vnum cœlũ & vnũ item infernum agnoſcunt, tametſi hunc in alterum, & alterum ſecernũt.

Ad vniuerſitatis complexum, & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora ordinatiſſimam connexionem, non poſſe ſuperfluò creari qualemcunque hominem, vbi folium arboris non ſuperfluò creatur. Sed ſanè ſuperfluò quæri de meritis eius qui nihil meruerit. Nec enim metuendum eſt ne vita eſſe potuerit media quędam inter rectè factum atque peccatum: & ſententia iudicis media eſſe non poſſit inter præmiũ atque ſupplicium. Hîc medium quoddam inter rectè factum & peccatum ſtatuitur: Atqui vbicunque ſtatus habetur medius, ibi locum quoque inter gehennam & cœleſtem Hieruſalem medium ſtatuere licet. Siquidem locus ſecundùm iuſtum Dei iudicium æmulatur ſtatum ac meritum.

Aug. lib. 3. c. 23. de lib. arb.

Vanè quæritur de meritis illius qui nihil meruit.

Aug. ſtatuit mediũ inter peccatum & rectè factum.

Fauet eidem de medio ſtatu & loco aſſertioni & diuus Ambroſius hoc ipſo quoque, quòd gehennę pœnam ex Adę delicto prouenire diſertè inficiatur. ait enim: Eſt alia mors, quę ſecunda dicitur, in gehenna, quam nõ peccato Adæ patimur, ſed eius occaſione proprijs peccatis acquiritur. Cùm hi ergo

Ad cap. 5. ad Rom.

Peccatũ Adæ non patimur gehennam.

pueri Adę tantùm delicto obstricti teneantur, fit vt ad gehennam cum impijs perpetuò arsuri neutiquam amandentur, quemcunque tandem ad locum ablegentur: nam de hoc aliquid certi pronunciare nequaquam possumus.

Quin & Daniel propheta quoque ab hac sentētia nō multùm abludit. ait enim: Et multi ex his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum, vt videant semper. Siquidem vocula hæc, multi, indicium non prorsus obscurum facit, ex vniuerso mortalium numero non defuturos quosdam, qui ad neutrum euigilent: Hos autem, aut nullos omnino, aut pueros, de quibus hic sermo est, fore haud improbabiliter asseritur: hi enim soli neque resurgunt ad vitā, quia gratia destituuntur; nec rursum ad sempiternum opprobrium, quia propriæ voluntatis noxa carent. Nihil est ergo cur paruulos illos, vt merito, ita loco quoque ab impiorū grege sequestrare vereamur. Quanuis & loci quoque ταυτότης, si fortè concedatur, pœnæ identitatem non inferat, aut certè necessariò illam non inferat.

Probabile, nō omnes ad vitam, vel ad opprobriū resurrecturos.

At nondum hîc conquiescunt Antagonistę nostri. aiunt enim: Vt auersio pœna exilij, ita conuersio puniri solet pœna sensili: Atqui Adamus, cuius noxam nos luimus, non solùm à summo illo & indemutabili bono sese auertit, verùm etiam ad funestum pomū sese conuertit, imò verò aliquo modo priùs huc se conuertit, quàm inde sese auertit. Negari sanè nō potest generis ac delicti nostri parētem ad mortis escam se conuertisse, vorauit enim: verùm vt ipsa prçuaricatio, vel ipse prçuaricationis actus secūdùm se absolutè sumptus, ad illius tantùm personam spectabat, nō ad communem hominum naturam: ita oblectatio, quam is ex lethali illa esca, & per consequens ex praua eiusmodi conuersione hauriebat, ad priuatam eiusdem personam pertinebat, nō ad naturam, quam ille sustinebat. Quare ab ipso solo conuersionis illius pœna exacta est, semperque exacta fuisset, nisi per pœnitentiam cum Deo in gratiam redijsset: non etiam ab illius propagine: huic enim plus

Conuersionis pœna à solo Adamo exacta.

plus ſatis eſt, quòd auerſionis illius partem perferre neceſſe habet.

Sunt tandem, qui illam à pœna ſenſili immunitatem eiuſmodi cauillo infringere ſe poſſe exiſtimant: Nulla, inquiunt, apparet ratio, cur in hac vita magis puniri conueniat originis labem, quàm in altera: cùm diuina iuſtitia nuſquam non ſibi ſimilis exiſtat: Atqui vitium hoc in vitæ huius ſtadio punitur ſcuerè, &, vt ad ſenſum patet, admodũ variè. Nulla item, cur peccatum veniale, quod leuius habetur, (non enim pugnat cum gratia, vt alterum illud) vtrobique vtraque pœna puniri ſoleat, non etiam originale, quod illo grauius eſſe conſtat.

Diuina iuſtitia nuſquam non ſibi ſimilis.

Orig. veniali peccato grauius exiſtit.

Sed hæc quoque argumentatio eiuſdem penè cum cæteris roboris eſt: nam etſi Deus Opt. Max. nullo non loco & tempore ſibi ſimilis eſt, non ideo tamen eodem modo peccatum vtrobique punire ſolitus eſt. Quandoquidem hîc ab illo puniti proficimus aut deficimus, emendamur vel obdureſcimus. Quare vitæ huius pœnæ (niſi forſan oblatã merendi occaſionem reſpuamus) certam virtutum ac meritorum materiem offerunt: in altero autem ſeculo nouo merito, aut nouo peccato nullus ampliùs locus ſit reliquus. Accedit huc etiam quòd pleræque vitæ huius miſeriæ quędam primariæ pœnæ comites, vel appendices exiſtant veriùs, quàm pœnæ per ſe huic peccato primò decretæ. oriuntur enim ex primaria & proxima, quamcunque tandem primariam & proximam peccati huius pœnam eſſe ſtatueris. At verò in altero ſeculo, vbi vita, quæ tecto & alimento indigeat, nulla obtinet, nulla graſſatur fames, nulla vexat ſitis, nullus excruciat morbus, peſtis nulla, nihil denique cęterorum omnium, quæ in hac vita moleſtiarum plurimum adferunt.

Hic puniti proficimus vel deficimus, in altero ſeculo non item. vnde vitæ huius pœnæ virtutũ materies exiſtunt.

Pœna huius vitæ, pœnę taxatæ appendices.

Intereſt autem inter pœnam primariam, hoc eſt, inter pœnam pro ratione ſceleris à iudice taxatã, vel ab eodem quoque inflictam, & pœnam, quæ ex taxata vel illata conſequitur, non parum. Siquidem iudex primariam per ſe decernit, & vult,

Multum intereſt inter pœnam taxatam, & pœnam, quæ ex taxata conſequitur.

vult, & reo per ſe infligit: eam autem, quæ ex decreta vel irrogata oritur, neque per ſe vult, neque per ſe decernit, neque reo per ſe infligit: ſed neq; per ſe quoque ad certum aliquem finem dirigit, nec ad certum quoque finem dirigere valet: vt qui, quæ, & quot, & qualia incommoda ex pœna inflicta conſequi poſſint, pręuidere non queat. Manifeſtum eſt enim, dum princeps, vel alius magiſtratus, in aliorũ terrorem, aut patrati ſceleris vindictam maleficum exoculat, per ſe non intendere exoculati mendicitatem, aut crebram eiuſdem impactionem, aut capitis vertiginem, aut animi moleſtiam, aut aliud quodcunque ex his, quę cæcis communiter accidere ſolent: ſed ipſam tantùm exoculationẽ. At verò Deus, qui omnia priuſquam fiant pręuidet, non ſolùm pœnam taxatam ad certum finem deſtinat, ſed omnes quoq; taxatæ pœnæ comites, & appendices: atque ita non eſt mirum, ſi illius voluntate hîc quædam moleſtiæ obtineant, quæ in altero ſeculo locum non habent.

Iudex terrenus pręuidere non poteſt incommoda om̃ia, quæ ex pœna taxata oriũtur, vnde illa quoque ordinate non poteſt: cœleſtis aũt vtrũque poteſt.

Quæ de veniali porrò noxia in eadem illa cauillatione addebantur, ea, quę de immunitate à ſenſili pœna ſuprà expoſita ſunt, non infirmant. Nec enim vlla eſt hæc conſecutio: Veniale peccatum ſenſus pœna plectitur vtrobique, ergo & originale quoque. Siquidem peccatum veniale, & perſonale eſt, & ſimpliciter voluntarium eſt: originale autem neutrum ſimpliciter eſt. Sed & formales quoque vtriuſque rationes inter ſe ſunt admodum diſſimiles. Originale enim in quadam habituali auerſione pręcipuè poſitum eſt, veniale autem in quadam inordinata conuerſione. Cùm ergo ſenſus pœna reſpondeat conuerſioni, damni verò auerſioni: non eſt mirum, alterum pœna ſenſili plecti, alterum eiuſmodi pœna non plecti.

Peccatũ veniale, & pſonale eſt, & voluntariũ eſt: orig. autem neutrum eſt, vnde hoc pœna ſenſus nõ plectitur, illud plectitur.

Orig. in auerſione, veniale in conuerſione præcipuè poſitum eſt.

Hactenus itaque nihil allatum eſt, quod ad gehennam ignis eiuſmodi paruulos ablegare nos compellat.

Concupiſcentia, quæ in renatis ſit reliqua, & vitium eſſe, & ex peccato eſſe, veri tamen peccati rationem non aſſequi, tametſi tropo quodam peccati nomine interdum deſignetur.

TRACTATVS QVARTVSDECIMVS.



AT ſunt interim, qui, & mortem, & ægritudinem, & famem, & ſitim, & inſcitiam, & carnis contra ſpiritum inſolentiam, & creaturarum rebellionem, & alia eiuſmodi, quorum ſuprà meminimus, per ſe, etiamſi nullum omnino peccatum adſit, in humanam mortalemque naturam cadere contendant. Nónne, inquiunt illi, qui abſque omni gratia & peccato natus foret, aliquādo ſitiret & eſuriret? Nónne mortem eiusque comites formidaret? Nónne cum morbis & doloribus interdum confligeret? An non præter rationis ordinem multa ſæpe appeteret? Nónne dura & aſpera moleſtè ferret? Nónne amore, odio, ſpe, metu, lætitia, alijsque eiuſmodi perturbationibus agitatus mentis ſtatum identidem mutaret? Nónne extra paradiſi delicias ætatem ageret? an alia complura id genus incommoda non ſentiret, aut commoda non deſideraret? Vtique. Signum eſt ergo certũ, quòd iſthæc ex peccato ortum non ducant. Naturæ vulnera, vitæque huius incommoda, naturalia eſſe contendunt nõnulli.

Iam antè vltro conceſſum, prolixeque expoſitum eſt, & hęc ipſa, & alia præterea permulta his non abſimilia, naturaliter in hominem cadere, ſi illum ſecundùm ſe abſolutè, vel ex viliori ſui parte, hoc eſt, ex materia, vel corpore, quo conſtat, ſpectes. Nam cùm corpus habeat craſſum & caliginoſum, vtpote ex caliginoſis craſſisque elementis conflatum, nõ poteſt profectò morbis, & ęgritudinibus, mortique, & diſſolutioni obnoxius nõ eſſe. Secùs ſi eundem relatè, & ex forma, hoc eſt, immortalis animæ natura conſideres. Nam ſecũdùm hanc partem, quæ, & potior, & nobilior, ipſique magis ꝓpria exiſtit, Incommoda naturæ, naturaliter in hominem, qua parte corporeæ, non verò anima conſtat, cadere.

(alteram nanque cum belluis communem habet) immortalitas veriùs in illum conuenit, quàm moriendi necessitas: tametsi vi sua ad immortalem vitam peruenire non queat. Verùm quod natura per se nō poterat, hoc originalis iustitia, quę singulari Dei beneficio naturæ aliunde accesserat, abundè explebat. Et quoniam homo præcellens hoc naturæ præsidium sua culpa amisit, fit vt mors, & cętera, quę viam ad mortem muniunt, vt iusta præuaricationis pœna meritò in illum sæuiant.

Ob amissam originalē iustitiam, mortem, cæteráque eò pertinentia, in hominē sæuire.

Pari modo, quòd inferior appetitus incitatiùs in ea fertur, quę carnem & carnis sensum oblectant, id, vt homo propriæ rationis animal est, suo quodam modo iure facit: Animalium enim est, in illa, quæ sensum quadam suauitate perfundūt, incitatiori quodam impetu rapi. At verò vt homo non quoduis animal est, sed mente & ratione prędictum animal est, alienum ab illius natura existimandum est, quòd pręter rationis ordinem, imò verò cōtra rationis legem, rectæque voluntatis propensionem, vi illa, quę seruire & subesse debebat, ad turpia quęque & illicita subinde solicitetur, & impellatur. Iusto proinde titulo inconcinni illi & pręposteri concupiscentiæ motus peccati pœna appellantur: Non ob id solum, quòd ex originis peccato tanquam ex causa semouente prohibens exorti sunt: verùm ob id etiam, quòd naturę hominis, vt homo est, rectoque eiusdem ordini planè aduersi, ac dissentanei sint.

Inconcinni concupiscentiæ motus, homini, vt mente ornatus est, nō cōpetunt: vt verò animal, suo quodam iure.

Quibus ex causis, cōcupiscētiæ motus pręposteri, pœna peccati appellētur.

Sed instant illi nihilo seciùs, & quæ de peccati huius pœnis iam antè exposuimus, eiusmodi ratione denuo impugnāt. Sacramentum, inquiunt, Baptismi non omnem solùm culpam & maculam eluit, sed omnem quoque pœnam peccato debitam è medio tollit. Atqui mors, mortisque satellites, concupiscentia, & quę ponè illam in sequuntur comites, vt sunt ignoratio, mentis cæcitas, & præcipitatio, & alia eius farinæ non pauca, etiam post susceptum Baptisma in baptizato reliqua depræhenduntur. Sunt ergo isthęc quædam potiùs mortalis naturæ affectiones & proprietates censendæ, quàm propriæ

priæ originalis peccati pœnæ.

Negari non poteſt, quin multa ex ijs, quæ originalis peccati pœna appellantur, etiam poſt obtentum ſalutare lauacrum in renato obmaneant: Verùm iam tum nō ampliùs veri nominis pœnæ exiſtunt, tametſi propter adiunctum cruciatum pœnarum nomine plerunque deſignentur: ſed quędam tantùm ægritudines ac moleſtiæ ad certamen & meritum relictæ. Quanuis & ipſa mors carnis, inquit Auguſtinus, de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus eius vſus glorioſiſſimos martyres fecit. Et ideo non ſolùm ipſa, ſed omnia ſeculi huius mala, dolores, laboréſque hominum, quanquam de peccatorum, & maximè de peccati originalis meritis veniant, vnde facta eſt & ipſa vita vinculo mortis obſtricta, tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, & vnde exerceretur virtus fidelium: vt nouus homo per Teſtamentum nouum, inter mala huius ſeculi nouo ſeculo præpararetur, miſeriam, quam meruit vita iſta damnata, ſapienter tolerans, & quia finietur prudenter gratulans: beatitudinem verò, quam liberata vita futura ſine fine habitura eſt, fideliter & patienter expectans. & alio rurſum loco idem:

Pœnas originalis peccati in renato, nō tam pœnas q̃ ægritudines dici, casq; ob copioſius meritū relictas.

Lib. 13. c. 16. de Trinit.

Qui dicunt, Si peccato mors iſta corporis accidiſſet, non vtique poſt remiſſionem peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur, non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſoluit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, vt per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone iuſtitiæ. Hęc ibi Auguſtinus, & alibi in eandem ſententiam plura, quę Antagoniſtarum argumentationem prorſus eneruant. Addo his tamen, & meritò addo: Si iſthæc, quæ renati patiuntur in hac miſeriarum valle, & illi maximè, qui per rationis vſuram nondum peccare valuerunt, eſſent pœnæ verè ac propriè debitæ, ad mentis exercitationem & Chriſti Domini noſtri imitationem non relictæ, profectò ſi in hac vita nō exoluerentur,

Lib. 2. c. 33. de peccat. mer.

 neceſſa-

necessariò dependerentur in altera. Atque ita pueri infantes, si non satis pœnarum hîc exoluissent, post susceptum Baptismum ad purgatoriũ, vel alium tormentorum locum ad tempus adhuc ablegandi forent: hoc autem & assertu ineptum, & à recta in Deum fide alienum est prorsus.

Iam si ipsa secundùm se concupiscentia, vel pondus illius ad ea, quæ lege inhibita sunt, vel subiti illius motus in regeneratis propriæ rationis pœnę non sunt, sicut reuera non sunt: multò sanè minùs capitales noxæ censendæ erunt. Imò verò tantum abest, vt vel ipsa secundùm se concupiscentia, vel naturalis illius ad carnis illecebras propensio, vel primi omnino eiusdem motus in renatis vllum omnino peccatum existant, (quicquid tandem Sectarum Antesignani ea de re blaterant) vt ne in ipsis quidem infidelibus in peccatis haberi debeant. Sed neque in ipso quoque Adamo, vnde vniuersa hæc malorum seges enata est, vlla omnino, aut noxa, aut macula erant, sed pœna tantùm ex noxa consecuta. Neque id asserere est Christum eiusque Apostolum conculcare, vt diaboli præstigijs fascinati homines furiosè clamitant, suisque in Synagogis & Artotomijs ad nauseam vsque inculcant: sed est ipsissimam Euangelij veritatem astruere, & diui Augustini doctrinam apertè profiteri, eiusque vestigijs piè & orthodoxè inniti. Nec illius solùm, sed cæterorũ prętere a omnium, quotquot, vel ante, vel post ipsum ea de re in Ecclesia Catholica catholicè scripserunt.

Tantum abesse vt ipsa cõcupiscẽtia secũdum se, vel primi eiusdẽ motus, in renatis debeãt dici peccatũ, vt ne quidem hoc locũ habeat in infidelibus.

In Adamo illa eadẽ non noxam, sed pœnam tantùm ex ea cõsecutam extitisse.

Lib. 6. cap. 5. cont. Iulian.

Augustinus: Sed tu, Iuliane, tanquam in cœlo iam inter Angelos immortaliter habitans, verba infirmitatis & mortalitatis irrides, & ea exponens non secundùm meum sensum, sed secundùm dolum tuum, dixisse me affirmas, quòd gratia non perfectè hominẽ nouũ faciat. Non hoc dico, Attẽde quod dico: Gratia perfectè hominẽ nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatẽ plenamq; felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad libera-

liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam. & infrà: Tu qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planiùs ita dicitur, Omni reatu omnium malorũ caret, non omnibus malis. & infrà rursum: Percipitur in Baptismate Christiano perfecta nouitas, & perfecta sanitas ab eis malis nostris quibus eramus rei, non ab eis cum quibus adhuc confligendum est ne simus rei, cùm & ipsa in nobis sint, nec aliena, sed nostra sint. & libro primo de nuptijs & concupiscentia: Ipsa concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur, vt si non fit quod scriptum est, Non concupisces: fiat saltem quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas. & libro secundo de peccatorum meritis: Hęc autem lex peccati, (concupiscentia) quod etiam peccatum Apostolus appellat, non sic manet in membris eorum qui ex aqua & spiritu renati sunt, tanquam non sit eius facta remissio, vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitijs interfectis, quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat. At primi animorum motus cõsensione expertes sunt. & libro primo contra duas epistolas Pelagij: Dicunt Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc aduersus Pelagianos nisi infidelis affirmet? Dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterũ resecanda peccata. Hęc Augustinus, quibus nihil de hac controuersia, aut dici, aut scribi potuit planiùs.

Baptizatum carere omni peccato, non omni malo.

Cap. 7. eiusdem lib.

Cap. 23.

Exod. 20.

Eccli 18.

Cap. 28.

Cap. 13.

Baptismũ omnia peccata auferre, non ea modò radere.

Ser. de ped. ablut. Cyprianus: De abdito & secretissimo Spiritus sancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionem illam vestigia derelinquat.

In apolog. Dauid. Ambrosius: Non tam sæpiùs, quàm pleniùs lauari petit Dauid, vt conceptam sordem possit eluere. Nouerat secundùm legem plura quidem mundandi esse subsidia, sed nullum plenum atque perfectum. Ad illud ergo perfectum tota intentione festinat, quo iustitia omnis impletur, quod est Baptismatis Sacramentum. & alio rursum loco: Dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura ex veteri: vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati: de impijs iusti, de captiuis liberi, de filijs hominum fiunt filij Dei.

Epist. ad Demet.

Ser. de Baptis. Basilius: Baptismus est captiuorum redemptio, debitorum remissio, mors peccati, regeneratio animæ, indumentum lucidum, sigillum cui nullæ insidiæ fieri possunt, vehiculum ad cœlum, regni largitor, adoptionis donum. & infrà: O rem admiratione dignam? renouaris, & non conflaris: reformaris, & non contereris: curaris, & non dolore afficeris.

Ad cap. 19. Actor. Chrysostomus: Quum imposuisset Paulus illis manus, venit Spiritus sanctus super illos: hoc autem Ioannis Baptisma non habebat, ideo & imperfectus erat. & subdit: Hinc ostenditur dogma magnum, quòd perfectè purgantur à peccatis, qui baptizantur. & alibi rursum: Ostendemus vobis à totius malitię vinculis absolui, & ab omni immunditia liberari eos, qui lauacrum promerentur.

Hom. de Bap.

Tom. 1. cont. hæres. Epiphanius: Figurę in lege fuerunt, veritas autem in Euangelio est. Illic circuncisio fuit carnalis, quę inseruiuit tempori vsque ad magnam circuncisionem, hoc est, Baptismum, qui circuncidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.

Ad cap. 9. Ios. 4 Reg 5. Cyrillus: Quid Naaman Syrus septies in Iordano ablutus, & à

& à lepra mundatus, nobis innuit, nisi Baptismo Christi lotos, Luc.4.
ab nmni prorsus animę lepra, peccatoque purgari? Quid aqua Num.31.
expiationis & lustrationis secundùm veteris legis ritum, tollens immunditiam ex contactu morticinoque contractam, denotat, nisi aquam Baptismi omnem penitus animæ impuritatem abstergere.

Gregorius Magnus: Si qui sunt qui dicunt peccata in Baptismate superficietenus dimitti, quid est hac prędicatione infidelius, in qua ipsum fidei Sacramentum festinant soluere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysterium anima ligatur: vt absoluta radicitus à peccatis omnibus, soli illi inhęreat, de quo Psalmista ait: Mihi autem adhærere Deo bonum est. In Euangelio Dominus dicit: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in Baptismate funditus minimè dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: Qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit. Ep.39.lib.9. Psal.72. Ioan.13.

Arnobius: Nullus inuenitur in omnibus his mille generationibus baptizatis vel vnum peccatum habens in hora Baptismatis: alioqui si peccatum habet, nō credidit, & cum Aegyptijs mersus est. Ad psal. 104.

Clemens: Regeneratis ex aqua & Deo, renouata fragilitas prioris natiuitatis, quæ per hominem facta est, amputatur. Ep.3 ad Iuli.

Innocentius primus: Christus per nouę regenerationis purificationem, præteritum omne vitium sui Baptismatis lauacro purificauit. Ep.25.ad Cōcil. Carthag.

Hesychius: Lauatur omne corpus per aquam Baptismatis, quia totum nostrum lauat & renouat hominem. Ad cap. 16. Leuit.

Mittimus reliquos, omnes enim idem dicunt, eandemque vim & energiam Baptismi Sacramento tribuunt. Iure proinde meri-

meritoque Tridentina Synodus ijs omnibus anathema decernit, qui de ipsa secundùm se concupiscentia, eius ve pondere, vel de repentinis quoque illius assultibus diuersum hîc statuunt. Verba Concilij sic habent:

Sess. 5. Manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hęc sancta Synodus fatetur & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus & viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui legitimè certauerit, coronabitur. Rom. 7. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd vere & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. En summam Concilij huius & veterum Theologorum de hac controuersia consensionem.

Concupiscentiam peccatũ dici, tũ quòd ex peccato sit, tum quòd ad peccatum inclinet.

Nec est quòd, vel huic, vel illis inscitiæ notam suo more impingant. Nam quicquid illi de perfecta hominis renati emundatione affirmant, hoc non ipsę solùm Scripturæ disertè confirmant, sed ipsa quoque ratio, peccatique natura apertè demonstrant. Constat enim id verę, & maximè personalis noxæ vim assequi non posse, quod nulla ex parte voluntarium est: atqui nullo vnquam carnis sensu tangi, aut omnis omnino concupiscentiæ expertem viuere, illud in hoc rerum statu ęquè facile est, atque nunquam mori, vel nunquam esurire. Nec enim secùs humanam naturam secundùm se absolutè sumptam consequitur concupiscendi vis, aut concupiscendi pronitas, quàm eandem consequitur esuriendi, vel moriendi necessitas.

Omnis concupiscentiæ expertem vitam agere, perinde facile est, ac nunquam mori, vel esurire.

Neque causam obtineas, si eiusmodi concupiscentiam, aut concupiscendi pronitatem, primi parentis voluntate liberam extitisse cauilleris. Siquidem verè renati non sunt iam ampliùs in Adamo, sed in Christo. scriptum est enim: Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quòd si baptizati

Quanquam primi parentis voluntate concupiscendi pronitas libera fuerit, non ob id tamen in renatis vim obtinere peccati. Ad Gal. 3.

Chri-

Christum verè induêre, consequens fit ergo vt peccati vetustatem, quam ex Adamo contraxerant, iam verè exuerint: atque adeò, vt iam non ampliùs in Adamo, sed in Christo viuant. Imò, vt nuperrimè dicebamus, tantum abest, vt innata illa ad carnis oblectamenta propensio, citra actum, aut actus eiusdem citra voluntatis consensum, in verè renatis verę culpę sit obnoxia, vt in ijs etiam, qui fide & iustitia destituuntur, propriæ noxię rationem non sortiantur: Licet illa, vel ob suam in mentem iniquitatem, vel ob mentis quoque in illam indulgentiam, noxię nomine interdum designetur.

Aequè certę exploratæque veritatis est, in ea, quæ mente & ratione destituuntur, peccatum cadere non posse. Quod enim liberè non fit, sed vi, vel solo naturę impetu, id vt præmium non meretur, ita neque supplicio quoque dignum habetur. Atqui hominis caro, & quicquid demum in hominis carne existit, secundùm se, hoc est, citra ordinem ad rationis iudicium aut voluntatis consensum, perinde brutum & rationis exors est, atque ea quæ comperiuntur in leone, aut alio quouis animante, vel animantis specie. Quam ob rem naturalis illa carnis ad ea, quæ sensum oblectant, inclinatio, aut motus eiusdem carnis, vt rationis iudicium, aut voluntatis consensum subterfugiunt, in veri nominis peccatis haberi nequaquam possunt. *Vt in ea quæ ratione carēt peccatum cadere non potest, ita nec in ea quæ in hominis carne citra rationis iudicium & voluntatis cōsensum reperiuntur.*

Quòd si illi carnem nō pro infirma hominis parte vsurpant, vt fortè non vsurpant, sed pro toto homine: in illud rursum incommodum incidunt, vt vnum & eundem hominem totum carnalem, & totum rursum spiritalem pronunciēt. Nam vt id, quod natum est ex carne, caro est: ita ediuerso, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Vt autem idem secundùm idem simul carnale sit, & spiritale, id fieri neutiquam potest. *Ioan. 3.*

Pręterea Euangelium ea tantùm hominem coinquinare docet, quę de corde, hoc est, ex deliberata hominis voluntate procedunt, vt sunt furta, adulteria, homicidia, & sexcenta id genus alia: Atqui concupiscentia, vt concupiscentia est, hoc *Ea tantùm hominem contaminãt, quæ ex deliberata nascũtur voluntate.*

eſt,vt quędam ad carnis voluptates propenſio,propēſa'ue animi vis eſt,non prodit ex corde.Quòd ſi ſubitum aliquē actum interdum profundit,is,vt omnino ſubitus eſt,ex corde interiori'ue voluntatis conſenſu,ac deliberatione ortus non eſt,atq; ita hominem interiùs contaminare non poteſt.

Niſi Chriſti beneficio impiè aliquid detrahere velimus, neceſſe eſt, eius gratia & merito non ſolùm intrinſecè, ſed & perfectè nos iuſtificari, vt exiſtimemus. Rom. 5.

Adhęc niſi Apoſtolum negare,ampliſſimoq; Chriſti beneficio ſtudio tenebras velimus offundere,nō poſſumus minus virium tribuere Verbi incarnati gratię & merito, quàm Adæ præuaricationi & peccato.Scriptum eſt enim: Non ſicut delictum,ita & donum. rurſum: Vbi abundauit peccatum,ibi ſuperabūdauit & gratia.Si ergo Adamus nō imaginariè aut imputatiuè, vt iſti loquuntur, ſed verè ac propriè nos contaminat,ſicut reuera contaminat : (Nam per inhærentem peccati maculam verè,propriè, ac formaliter peccatores ſumus, & peccatores denominamur)conſequens fit,vt Chriſti gratia & merito integrè,& non inani tantùm opinatione, aut ſolùm ex parte à peccato emūdemur: nec rurſum imputatiuè ſolùm p eandē iuſtificemur,vel ſanctificemur,ſed intrinſecè ac pfectè.

Imputatiuam iuſtitiam, & peccati quam fingunt condonationem, pugnare cum Chriſti meritis, & Scripturæ phraſi.

Adde,externā illā iuſtitię imputationē, cōmentitiamq; peccati condonationē,nō ſolùm cū Chriſti gratia aptè pugnare, verùm etiā à familiari Scripturæ phraſi ꝓrſus alienā eſſe.Nemo enim neſcit,aliud eſſe,peccatū tollere vel remittere, aliud idē tegere vel abſcōdere:aliud rurſū,ſordes verè eluere vel extergere,aliud elutas vel exterſas,cùm adhuc inhæreant,cōfingere,vel animo concipere : aliud tandē,reipſa ſanctificare vel iuſtificare,aliud quod iuſtum vel ſanctum non eſt, ſed immundum peccatiſq; fœdè cōtaminatum, iuſtum ac ſanctum prędicare,vel reputare. Atqui Scriptura peccatum per Chriſtum tolli,elui,remitti,cōdonari,emundariq; prædicat, iuſtitiā verò & ſanctitatem per eundē infundi, vel conferri. Legimus

1 Cor. 6. » hîc enim inter alia multa: Sed abluti eſtis,ſed ſanctificati eſtis,

Ezech. 36. » ſed iuſtificati eſtis. rurſum: Effundam ſuper vos aquam mun-

» dam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.

Ioan. 1. » item :Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi. demum:

Nihil

Nihil ergo nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu." Rom. 8.

Quin & pessimè quoq; commentum hoc de peccato non verè condonato, vel non verè expiato, sed tantùm tecto, vel non imputato: de iustitia rursum non verè inhęrente, sed extrinsecus tantùm assistente, cum crebra illa, & insolenti admodum Antagonistarum gloriatione congruit. Constat enim plerosque ex illis plenis buccis iactitare, ac prædicare solere, se Christi meritum, fœdissimè antè obscuratum, & tantùm non extinctum, è tenebris rursum in lucem protulisse, verumque illius vsum ac vim Christiano orbi patefecisse: Et tamen si Christi gratia, si eiusdem satisfactio & meritum, peccatum reipsa non tollit, sed tantùm radit, vel tegit: si eadem Christi gratia peccatorem verè non sanctificat, vel non iustificat, sed eam, quæ, vel nusquā est, vel tantùm in Christo est, vel (vt quidam quoq; ex illis nugantur) in sola essentia diuina est, iustitiam ipsi tantùm imputat: citra vllam controuersiam multò plus Christi gratię tribuunt Catholici, quàm noui illi Elymazitæ. Catholici enim certò credunt, pieque, & publicè profitentur, iniustum per Christi gratiam verè iustificari, à peccatis rursum verè ac integrè absolui: ita vt nihil veræ noxæ, aut veræ quoque condemnationis in ipso maneat reliquum. Plus tribuitur à Catholicis meritis & gratiæ Christi, quàm à nouis istis Elymazitis.

Eidē illi Catholici firmissimè citra vllā omnino hęsitationem credunt, infantes Christo per Baptismi Sacramentū verè insitos hinc excedētes, rectà mox ad superos euolare. Atqui si regenerationis lauacrū originis labē reipsa nō eluit, penitusq; non expiat, sed, vt isti dicunt, tantùm tegit, vel radit, vel, ne in pœnā imputetur, solùm obruit: profectò eiusmodi infantibus expeditus ad cœleste regnū aditus nō patebit, quippe quod nihil omnino admittat, nisi verè, pfectè, & integrè ab omnibus peccati sordibus emundatū, & veris rursum virtutibus ac Spiritus sancti donis intrinsecè ornatū ac perpolitū. Sed quis nisi putidus, planeq; marcidꝰ hęreticus hinc illos excludere audeat? Si Baptismus originis labē reipsa nō eluat, sed modò radat, infantes baptizatos, statim si discesserint, aditū ad cœleste regnum nō habituros

Deniq; existimandum non est peccatū hoc naturæ maioris malitię, maioris ve tenacitatis, aut adhęsionis esse peccato Cùm peccata personæ gratia Christi tollantur, multò

magis iudicandum est penitus tolli Baptismo peccatu originis personę: Imò est hoc illo multò peius curatuque difficilius: sicut hoc ipso quoq; magis voluntarium,& magis quoq; proprium existit. Atqui cætera omnia per gratiam verè abolētur, & in profundum abyssi demerguntur: Nam aliâs, qui in humanis diu agerent,& turpiter agerent, ingenti peccatorum mole pressi vix subsisterent: Siquidem promeritam pœnam non exigere, aut admissum peccatum ad pœnam non imputare, non est animæ vires, quæ per peccatū maiorem in modum lęduntur,& ad præstandū officium subinde ineptiores ac debiliores reddūtur, à morbo sanare, aut ad pristinū vigorem reuocare.

Firmissimè proinde credendum, ac nullatenus dubitādum est, Baptismi Sacramentum ritè susceptum, & originalem, & omnem aliam noxam perfectè expiare, omnemq; pœnam in supremi iudicis foro debitā penitus abolere: & p consequens, concupiscentiam, quæ post susceptum Baptismi Sacramentum in renatis residua comperitur, neque noxam esse, neque verę rationis pœnam esse, sed tantùm virtutis materiam.

Firmamenta, quibus nituntur, qui concupiscentiam, quæ post Baptismi Sacramentum ritè susceptum in renatis sit reliqua, lethiferum peccatum esse contendunt, non esse satis firma, imò ne firma quidem, sed assystata planè & putrida.

TRACTATVS QVINTVSDECIMVS.



Rom. 7. » NEc quicquā Catholicæ huic veritati aduer-
» satur illud Apostoli: Quod operor, nō intel-
» ligo. Non enim quod volo bonū, hoc ago:
» sed quod odi malū, hoc facio. & infrà: Vi-
» deo aūt aliā legē in mēbris meis, repugnā-
» tem legi mentis meæ,& captiuantē me in
» lege peccati. Infelix ego homo, quis me li-
1. Cor. 15. » berabit de morte corporis huius? nec illud rursum eiusdē: Ca-
Rom. 8. » ro & sanguis regnū Dei possidere nō possūt. Sapiētia enim car
» nis inimica est Deo. Legi enim Dei nō est subiecta: nec enim
Exod. 20. » potest. nec illud Exodi: Nō cōcupisces. nec illud Deuterono-
Deut 6. » mij: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex

tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.

Nec illud Augustini: Concupiscentia carnis, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentiētis, vel contagione nascentis. & infra: Si circunspectus & cautus esses, cognosceres vtique veram esse iniquitatem, quòd vires inferiores hominis repugnant superioribus. nec illud eiusdem: Quàm diu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis. Nec illud Ambrosij: Malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Nec cętera denique omnia, quæ, vel ex sacris literis, vel ex Patribus in hunc locum conferunt: omnia nanque in eundem scopum tendunt, eandemque responsionem admittunt. Veruntamen quòd fidei Catholicæ hostes magnam in illis vim facere soleant, non vna quadam generali responsione omnibus simul obuiā ire, sed singula seorsum excutere & explorare, visum est.

Lib. 5. cõt. Iuli.

Tract. 41. in Ioan.

De Isaac & anima. cap. 8.

Quādo ergo Apostolus ait, Non enim quod volo bonum, illud ago: sed quod odi malum, illud facio: non de vero aliquo peccato conqueritur, sed de graui concupiscentię onere, molestisque eiusdem certaminibus, quorum neutrum est voluntarium. Quod autem voluntarium non est, hoc nec proprium est, neque peccatum est. Quare eodem illo capite illud se operari negat. ait enim: Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. At quod ego non operor, hoc meæ voluntatis peccatum non est. Solum enim originis peccatum in nobis sine nobis, hoc est, absque formali nostro consensu & opere, comperitur. Motus itaque concupiscentiæ, nisi quis spontè illis assentiatur, ex Pauli doctrina non sunt peccata: tametsi tropo Scripturis familiari & extrinseca quadam denominatione peccatum interdum appellentur.

Concupiscētias, si illis non consentiamus, ex D. Pauli sententia non esse peccata.

Quòd si concupiscentia, vel qualescunque naturales illius impetus secundùm se veræ rationis peccatum essent, profectò

Si concupiscentia in renatis peccatū

effet, fine cau ſa D. Paulus quoſque moneret ne illius impulſibus cederent. Rom. 6.

Apoſtolus non ſcriberet: Non regnet peccatū in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Sed neque exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra veſtra, arma iuſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Hic clarè ſanè docet malum, quod membris noſtris inhæret, tum demum renatis in noxam cedere, quum per liberum voluntatis conſenſum prauæ illius inclinationi, aut impulſioni mos geritur. Nam ſi quietem in membris noſtris agens, vel animum tantùm pulſans, peccatum exiſteret: fruſtra, ne impulſibus illius cederemus, nos admoneret. Quis enim niſi fatuus Aethiopi dicat, Caue ne denigreris? aut ſordibus omni ex parte iam cooperto, Vide ne contamineris? Candidis ac nitidis aptè hęc dicuntur, non nigris, aut immundis.

Cū Chriſtus & Belial, in ijſdem membris ſimul eſſe nō poſſint, neceſſe eſt vt regeneratis nullum ampliùs mortiferum peccatum inſideat.

Rurſum ſi iuſtorum membra plena ſunt ſemper iniuſtitia & peccato, cur tam ſeriò hîc commonefiunt fideles, ne illa iniquitati & iniuſtitiæ arma exhibeant? Nunquid ſimul in ijſdem membris ſedem obtinere poſſunt, Chriſtus & Belial? lux & tenebræ? ſeruitus iuſtitiæ & iniuſtitię? Spiritus Domini bonus & ſpiritus Domini nequā? non opinor. Atqui iſtuc omnino neceſſarium eſt, ſi verè ac perfectè regeneratorum membris aliquod adhuc mortiferum peccatum inſidet. Nam veniale, quod illi nullum agnoſcũt, cum vera iuſtitia, & ſanctimonia non pugnat.

Demum ſi quod iſti dicũt Spiritus ſancti oraculum, & non merum Sathanæ & inſanorum hominũ cōmentum eſt, quomodo cum ratione conſtabit, quod Apoſtolus hoc loco ait: nempe per Baptiſmum ex mortuis nos factos eſſe viuentes? Nunquid idem ſimul & ſemel viuens poteſt eſſe, & mortuus? diuino ſpiritu vegetatus, ac diaboli iugo, peccatiq́ue ſeruitute preſſus? Nec enim alia eſt mors animæ, quàm peccatum: per peccatum nanque vtraque mors intrauit in terrarum orbem. Quiduis ergo potiùs renatorum membris tribuit Apoſtolus, quàm damnabile peccatum, cuiuſmodi id ſolum eſt, quod

certam

certam mortem animæ adducit.

Etsi verò isthęc omnia certissima veritate nitantur, non desunt tamen graues & orthodoxi Apostoli interpretes, qui omnia, quę de carnis & spiritus inter se colluctatione, maloque inhabitante, toto illo septimo ad Romanos capite in Pauli persona exponuntur, & capite quinto ad Galatas compendio repetuntur, non tam ad Apostolum, vel Apostoli personam referenda existiment, quàm ad promiscuam totius humani generis multitudinem, à peccati vinculo per Christi gratiam nondum absolutam. Nec id sanè absque aliqua probabili ratióne. Nam prȩterquam quòd Apostolus ea modestè in se transferre soleat, quę in se alioqui nō cōueniunt, sed in alios: vt cùm sumpta eorū persona, quę legem antecesserant, quandoque absque vlla omnino lege se vixisse profitetur: videntur hęc ipsa quoque cum summa illa perfectione, vitæq; integritate, & sanctimonia, qua is cumulatissimè ornatus erat, parum admodum conuenire.

Ea quæ à D. Paulo cap. septimo ad Romanos, & ca. quinto ad Galat. de spiritus & carnis lucta referūtur, non tam ad eius personam, q̄ ad eorum, q Christi gratia necdum à peccato mundati sunt, quorundam sententia, pertinere.

Quomodo enim aptè istud in illum conueniat: Peccatum « per mandatum in me operatum est omnem cōcupiscentiam. « item illud: Lex spiritalis est: ego autē carnalis sum, venundatus « sub peccato. tum illud rursum: Peccatum occasione acce- « pta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. tum reliqua « denique, quę toto illo epistolę segmento percensentur, qui » alibi, de sua suiq; similium fide, cōstantia, singulariq; perfectione, & sanctitudine, ab his lōgè diuersissima cōcionatur. Quis, « inqt, separabit nos à charitate Christi? tribulatio? an angustia? « an fames? an nuditas? & paucis interiectis: Certus sum, φ neq; « mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; instantia, neq; futura. & rur- « sum: Viuo iam nō ego, viuit verò in me Christus. itē: Anima- « lis homo nō percipit ea, quę sunt spiritus Dei. Nos aūt sensum « Christi habemus. iterum: Nos in carne ambulantes, nō secun- « dùm carnem militamus. Mittimus hîc reliqua, sunt enim plu- « rima, & in illius epistolis passim obuia. Cùm hæc igitur ita habeant, non temere, quæ septimo illo capite de carnis infir- mitate

Rom. 7. Ibidem. Rom. 8. Gala. 2. 1. Cor. 2. 2. Cor. 10.

mitate exponuntur, ex persona Apostoli ad eos, qui Baptismi gratiam nondum consequuti fuerant, à Chrysostomo, Ambrosio, Origene, Theophylacto, & ab alijs prȩterea compluribus Patribus transferuntur.

Augustinus negat in renatis concupiscentiam esse peccatum.

Lib. 2. cont. Iulianum.

Non ita exponit hunc locum Augustinus: at is interim malum, de quo hîc agitur, hoc est, carnis concupiscentiam renatorum membris inhȩrentem, verum peccatum esse constanter negat. Ecce, inquit, quãtam nos pugnam cum mortuis habere peccatis, ille strenuus Christi miles, & Ecclesiæ fidelis doctor ostendit. Quomodo enim peccatum mortuum est, cùm multa operetur in nobis, reluctantibus nobis? Quæ multa? nisi desideria stulta & noxia, quæ consentientes mergunt in interitum & perditionem, quȩ vtique perpeti, eisque nõ consentire, certamen est, conflictus est, pugna est. & infrà: Quantum ad nos attinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei nunquam consentiremus ad malum. & alio rursum loco: De ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est, vt etiam baptizatus pia mente confligat. Sed hæc, etiamsi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quòd manus eam fecerit. Hæc Augustinus & multa alia in eandem sententiam cùm in hoc libro, tum in reliquis quoque omnibus, quos contra Pelagianos edidit. Quæ omnia planissimum faciũt locum ex epistola ad Romanos allegatum contra assertam veritatem nihil quicquam obtinere.

Lib. 1. c. 13. cont. duas epist. Pelag.

At multò minùs obtinet alter ille, qui de carne & sanguine, & carnis sapientia adferebatur: siue eum τροπικῶς exponere lubeat, siue ἀσχηματισμένως & sine tropo. Nam si cum diuinorum oraculorum interpretibus, per carnem & sanguinem acceperint hominem ventri gulȩque deditum, carnalibúsve vitijs obstrictum, nulla inter nos & illos pugna constituetur. Quandoquidem & nos ipsi quoque eiusmodi ventris mancipia, nisi inexplebilis ventris ingluuiei, cæterisque, quæ hinc nasci

nasci solent, vitijs atque flagitijs nuncium miserint, à regno extorres futuros prædicamus. Sin autē per carnem & sanguinem humanam naturam, vel materialem eiusdem naturę partem, intellexerint: in Eutychij patriarchæ Constantinopolitani errorem apertè degenerant: aut si huc non inclinant, ecquonam hac Scripturæ authoritate tendant, ipsi nobis planum faciant. Greg. 14. c. ꝑ. & 32. Moral.

Dicent forsan, non carnem simpliciter, sed carnem concupiscentem, quòd eiusmodi Deo exosa inimicaque sit, regni aditu se prohibere. Sanè si hoc volunt, in partem admitti possunt. Certum est enim carnem, quæ ad cœlorū regnum olim admittetur, ab omni praua concupiscentia, corruptione, & infirmitate liberam fore: non quòd Deus carnem interitui, aut infirmitati, vel concupiscentiæ quoque vitio obnoxiam exosam habeat: diligit enim illam: nam nisi diligeret, tot gratijs ac prærogatiuis in vita, & interdum quoque post hanc vitam, illam non ornaret; neque tanta diligentia, ac prouidentia custodiret; neq; ipse tandem eiusmodi carnem infirmam, & mortis lege obstrictam sibi coniunxisset: sed quòd illi statui non conueniat. Alia enim placent & decent in patria, alia in via; alia in pugna vel lucta, alia post pugnam in victoria; alia demum nocte, alia die. Carnem eam quæ olim ad Dei regnū fametur, omni praua concupiscētia & infirmitate fore liberam

Membrum quod huic annectebatur, nobiscum facit. Neque enim Apostolus carnem ipsam Deo inimicam asserit, sed carnis sapientiam, quæ vtique, vt ex ijs, quę proximè antegrediuntur, manifestum est, aliud nihil est, quàm affectio, vel vita hominis secundùm carnem viuentis, vel sapientis. ait Rom. 8.
enim: Qui secundùm carnem sunt, quę carnis sunt sapiunt. «
qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus sapiunt. «
Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vi- «
ta & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Atqui «
nos illos, qui Christo iam per Sacramētum incorporati sunt, ipsique adhęrent, non ea quę carnis sunt sapere, hoc est, probare & amplecti dicimus, sed ea quę sunt spiritus.

Locus porrò ex Exodo allegatus, prima ſtatim facie nonnihil difficultatis offert: attamen vi neruoque illius inſpecto excuſſoque, planam ſententiam exhibet. Nam etſi, ne vlla nobis concupiſcentia cohæreat, vel ne vllus inordinatus carnis vel concupiſcentię motus vnquam in nobis ſe prodat, hîc inhibitum videri queat, neutrum tamen horũ hoc loco vetatur. Siquidem præceptũ omne, vt & omne quoque conſilium, non quorumlibet eſt, ſed eorum ſolùm, quæ fieri à nobis poſſunt, maximè autem diuinũ. de hoc enim ſcriptum extat: Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo vt facias illud. rurſum: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. item: Mandata eius grauia nõ ſunt. Atqui ex carne & ſanguine cõcreti non poſſumus non ἐπιθυμητικοὶ, cõcupiſcibiles, & interdũ quoq; concupiſcẽtes non eſſe: quippe cùm habitualis concupiſcẽtia, vel cõcupiſcẽdi pronitas nobis ſit congenita; actualis verò adeò familiaris & domeſtica, vt vix vllũ vnquam tranſigamus diem, omni vanæ concupiſcẽtiæ motu prorſus vacuũ.

Præceptum, Non cõcupiſces, nõ vetat concupiſcentiam eiusque inordinatos in nobis motus, ſed in his omnibus cõſenſum

Rom. 10. Match. 11. 1. Ioan. 5.

Ecquid ergo hoc pręcepto cauetur, vel prohibetur? Aliud ſanè nihil, quàm ne prauę concupiſcẽtię motibus acquieſcentes, carnis noſtrę deſideria perficiamus, aut perficere ſtudeamus. Præceptum enim hoc non datur carni, vt quę ex ſe, & ſecundùm ſe pręcepti nullius capax exiſtat. Et ſi quod opus naturę illius conſentaneum ipſi indicẽdum eſſet, vel indici quoque poſſet, hoc ipſum vtique, quod nunc vltro pręſtat, ipſi indiceretur, & aliud nullum. Nam ſi ſecundùm ſe abſolutè eam ſpectes, nõ minùs ipſi naturale eſt in ea, quę ſenſum oblectant, prono curſu ferri, quàm boui, aut alteri cuicunque animanti. Datur autem pręceptum hoc homini: quod autẽ homini pręcipitur, id ſecundùm eam partem illi præcipitur, quæ rationis compos eſt. At verò quod homo ſecũdùm hanc partem agit, hoc liberè agit. primi autem concupiſcentiæ motus, nõ ſunt liberi, ſed merè naturales: nec inhęrent menti, ſed ſenſui. Quamobrem pręcepto illo, Non concupiſces, nequaquam inhibentur naturales concupiſcentię motus, multò verò minùs

nùs ipſa concupiſcendi facultas, vel ipſa quoque cõcupiſcendi pronitas: prohibetur autẽ ipſe tantùm voluntatis conſenſus. Nam, vt modò aiebamus, idem eſt omnino, Non concupiſces, quod, Illicitis concupiſcentię motibus ne acquieſcas: aut, Rem malam, vel malè concupitam aſſequi ne labores.

De dilectionis pręcepto quod in eadem illa argumentatione adferunt, quorſum adferant, non ſatis intelligo. Nam vt maximè præceptum hoc ea perfectione & conſtantia hîc impleri non poſſet, qua in patria impletur, & in omnem ęternitatem implebitur: Sicut reuera ea integritate hîc impleri non poteſt: multa enim in vitæ huius peregrinatione occurrunt, quæ intenſum illud & continuum diligendi ſtudium impediunt ac remorantur: Aut tanta quoque perfectione hîc impleri non poſſet, quanta alioqui hoc loco pręſcribi videtur, adhuc non ſequeretur concupiſcentiam, quę in renatis reliqua depręhenditur, mortiferam noxam eſſe. Aliud eſt enim nullis carnis deſiderijs ſeruire, aliud infra ſummum illum dilectionis gradum conſiſtere. Multi enim carnis inſultibus reſiſtunt, qui tamen minùs feruidè diligunt. Hîc, inquit Auguſtinus, pręceptum eſt ne peccemus, illic pręmium erit non poſſe peccare: hîc pręceptum eſt vt deſiderijs peccati non obediamus, illic pręmium erit vt deſideria carnis non habeamus. Deut. 6. Matth. 22.

Sed ſanè ſi hoc dilectionis pręceptum verę rationis præceptum eſt, non ob id ſolũ propoſitũ, vt ad eius ſcopum atq; perfectionem pro viribus enitamur; verùm ob id maximè, vt illud opere ipſo in hac mortali vita expleamus, vt tale pręceptũ eſſe nihil quicquam dubitamus: certum eſt impleri illud poſſe, & quidem magna cum facilitate, & animi tranquillitate. Si quidem miſericordiarum pater nihil exigit ab homine, quod gratuito illius auxilio adiutus, citra magnam difficultatem pręſtare non queat. Præceptũ de Deo diligẽdo quomodo in hac mortali vita poſſit à nobis impleri.

At quomodo, inquis, fieri poteſt, vt totum ſemper cor, totumque ſemper animum, & mentem in Deum defixam habeamus, qui vnum vix pſalmum citra mentis euagationem

absoluere valemus? Næ, vt non illi solùm iusti, vel sancti, vel perfecti censentur, qui ad summæ iustitiæ, vel sanctitatis, vel perfectionis culmen iam peruenerunt; sed illi quoque, qui primum iustitiæ, vel sanctitatis, vel perfectionis gradum iam attigerunt, vel aliquos iam progressus in iustitia, vel sanctitate, vel perfectione fecerunt: rursum vt non illi tantùm hominum numero vel loco habentur, qui ad virile robur iam euecti sunt; sed illi quoque, qui in primo vitæ limine consistunt, vel nonnullum iam vitæ spatium confecerunt: demum vt non illa tantùm animalia sunt, & animalia rectè appellantur, quæ mente & ratione prædita sunt; sed illa quoque, quæ vno tantùm, aut altero sensu potiuntur: Ita non illi tantùm Deum Opt. Max. toto pectore diligunt, & tota vi mentis diligere rectè dicuntur, qui toto semper animo & pectore in ipsum intenti sunt, beataque illius præsentia coràm iam perfruuntur: sed illi quoque, qui nihil dilectioni illius contrarium in pectore gerunt: Cuiusmodi sunt omnes illi, qui à lethalibus criminibus immunes existunt. Tum illi rursum, qui nihil, vt ipsum, vel supra ipsum, sed omnia in ipso, & propter ipsum, & infra ipsum diligunt. Tum illi denique, qui ipsum non fucatè, aut seruiliter, sed syncerè & ex animo diligunt, & colunt. Sicut illi quoque toto corde eum quęrere, vel ad eum sese conuertere, vel mandata eius seruare rectè dicuntur, qui candidè ex animo illum quęrunt, vel ad eum sese cõuertunt, vel mandata illius seruare & exequi satagunt. Constat ergo, quæ ad euertendam Baptismi energiam, vel ad stabiliendum fœdum illum de peccato nunquam non inhęrente errorem ex sacris literis Sectarij hinc inde corradunt, nullarum esse virium prorsus.

Quid B. Augustinus nomine peccati accipiat, cùm se-

Sed nec illa quoque magni alicuius roboris sunt, quæ in malæ causæ suæ præsidiũ ex Augustino & Ambrosio asciscũt. Nam dum beatus Augustinus concupiscentiam secundùm se peccatum esse asserit, nõ tantùm peccati causam, aut peccati effectum: peccati nomine nõ aliquem culpę reatũ, sed naturæ

tantùm

tantùm vitium, aut defectum insinuare voluit. Erat enim illi certamen cum Iuliano Pelagianorum Antesignano, qui vt nullum omnino agnoscebat originis peccatum, ita nullum quoque admittebat naturę vitium. Postea tamen, quòd, quæ ex sacris literis contra illud suum commentum adferebantur, diluere non posset, concessit, quæ patimur incommoda, pœnas dici posse, non quidem sceleris alicuius, quod in nobis esset, aut in nobis aliquando extitisset, sed transgressionis Adæ. Verùm quòd idem ille Iulianus omnem omnino pœnam citra vllam exceptionem, & bonam, & iustam, & ex Deo profectam mordicus defenderet: & carnis libidinem, & virium inferiorum contra superiores rebellionem, & naturæ nostrę corruptionem ac infirmitatem, & quicquid tandem, vel turbatum, vel præposterum, vel inordinatum in homine cernitur, hoc totum ille, & bonum, & naturæ nostrę consentaneum, & ex Deo ortum contendebat. Huic igitur manifestario errori Augustinus caput obiectans, ostendit non omnē omnino pœnam simpliciter bonam esse, sed aliquam etiam malam: declarat hoc autem internę cæcitatis, & cōcupiscentię, quam sustinemus, exemplo.

cundùm se concupiscentiam asserit peccatum.

Sed detur aduersario concupiscentiam, quæ in allegata authoritate peccatum appellatur, non analogicôs, aut tropicôs peccatum esse, aut peccatum dici, sed verè & propriè: at vnde probabitur Augustinum de ea concupiscentia locutum hîc esse, quę in renatis fit reliqua? Siquidem nulla omnino renatorum hîc fit mentio, ne minimo quidem verbo. Imò verò quòd hic Augustini locus ad illos, qui regenerationis gratiam consecuti sunt, referri non possit, id ex illis, quę prolixè paulò antè ex illo citauimus, & fusiùs ex eodem, si opus id foret, citare adhuc possemus, tam certum est, quàm id, quod certissimum. Vbique enim inculcat eiusmodi concupiscentiam secundùm se à culpa immunem esse: culpabilem tamen, ac peccaminosam fieri posse, si renati voluntas illi assentiatur. Atque hoc ipsum tertiò Antagonistę, si importunus esse pergat, re-

ſponderi queat. Indubitatum eſt enim omnem omnino prauam concupiſcentiã, quę per voluntatis ignauiam non retunditur, peccatum gignere, in quocunq; tandem illa extiterit.

Per hęc patet, quid ad alterum Auguſtini locum dici queat, & dici quoque debeat. Eſt enim reuera magna quædam iniquitas, hoc eſt, inſignis quędam ἀνωμαλία & inæqualitas, naturæque deformitas, vires inferiores, quæ in prima hominis inſtitutione promptè, & alacriter, & citra vllam tergiuerſationem ſuperioribus parebant, licèt eam obſequendi vim & promptitudinem ex ſe non haberent, primæ conditionis ſuæ quaſi oblitas, inſolenter nunc contra illas ſubinde inſurgere. Quia ergo Iulianus, vel errore deceptus, vel malitia obcæcatus, hanc naturę prauitatem, iniuſtamque virium inter ſe pugnam, non ad peccatum tanquam ad veram ac propriam cauſam referebat, ſed ad internam ipſius naturę qualitatem, meritò ab Auguſtino illi occinitur: *Si circunſpectus & cautus eſſes, cognoſceres vtique veram eſſe iniquitatem, quòd vires inferiores hominis repugnant ſuperioribus:* & alia in hunc ſenſum plura. Crebrò nanque & variè his & ſimilibus illius inſcitiam malitiamque inceſſit. Sed hæc interim inceſſio non probat, concupiſcentiam, vel aliud quodcunque poſt ſuſceptum Baptiſmum reliquum incommodum, noxam eſſe æterna damnatione dignam. De taliſmodi enim noxa hîc agimus, non de næuis, qui iugi illo carnis & ſpiritus conflictu non infrequenter accidunt.

Sed & illud quoque, quod ex Ambroſio adferebatur, eandem ęquè interpretationem recipit. Nec ipſe Auguſtinus, fidus alioqui Ambroſianæ mentis interpres, aliter illud exponit. *Ambroſius*, inquit ille, *legem peccati, cuius manentis reatus in ſacro fonte remiſſus eſt, propterea vocauit iniquitatem, quia iniquum erat, vt caro aduerſus ſpiritum concupiſceret.* Hæc ille, & rectè. Nec enim iniquum, hoc eſt, prępoſterum & inordinatum eſſe non poteſt, ſi

Lib. 1 cont. Iulian.

Quo ſenſu B. Ambroſius concupiſcentiam appellet iniquitatem.

si vxor insurgat in maritum, seruus in herum, serua in dominam. Coeli superiores motu suo rapiunt inferiores, non contrà inferiores superiores.

Quòd si cui hæc Augustiniana interpretatio tametsi vera & propria, non probatur, is Dauidicę apologiæ caput duodecimum percurrat, & clarè mox conspicabitur Ambrosium nihil minùs vnquam somniâsse, quàm concupiscentiam, quæ in certamen & exercitium regenerationis gratia potitis relinquitur, veram esse culpam. Imò verò hoc ipso loco concupiscentiam ab iniquitate, tãquam quoddam ab ea diuersum, sequestrat. Nam vt iracundiam prudentiæ, timorem fortitudini, iniquitatem iustitiæ, ita concupiscentiam opponit temperantiæ. Aliud ergo secundùm Ambrosiũ est iniquitas, aliud concupiscentia, tametsi hęc in illam ad modum iam expositum inclinet, & sępe quoque deijciat.

Ad illud tandem: Quàm diu viuis, tam diu necesse est peccatum esse in membris tuis, responderi solet, & istuc verè, Augustinum peccati vocabulum perinde istic vsurpare, atque illud vsurpat Apostolus, dum seriò, ne peccatum in mortali corpore nostro regnet, nos admonet. Nam hũc ipsum Apostoli locum ille exponens, hæc adfert: Apostolus autem, vt antè ostensum est fusè, non propriè istic loquitur, sed impropriè & figuratè. Sed agedum ipsemet Augustinus pro se loquitur, ętatem enim habet, & iudicio valet. Ipsa, inquit ille, concupiscentia nõ est peccatum in regeneratis, quando ei ad illicita opera nõ consentitur: sed modo quodã loquendi peccatum dicitur, quod peccato facta est, cùm iam in regeneratis nõ sit ipsa peccatũ. hæc ibi. Et in eodẽ illo quadragesimoprimo tractatu, qđ priùs cũ Apostolo vocauerat peccatũ, postea infirmitatis nomine designat. ait enim: Quicqd à nobis peccatũ est antea, deletũ est in Baptismo. & addit: Nunqd quia deleta est tota iniquitas, nulla remãsit infirmitas? & paulò altiùs: Nõ recõciliamur nisi ablato eo, quod in medio est: & posito, qđ in medio sit. Est enim mediũ separãs, quod est peccatũ: est & mediator

Tract. 41. in Ioan.

Rom. 6.

Lib. 1. de nup. & concup.

Tract. 41. in Ioan.

Nullam fieri reconciliationem hominis cum Deo, nisi ablato peccato.

diator reconcilians, qui est Dominus Iesus. Vt ergo tollatur maceria separans, quod est: peccatum, venit ille mediator, & factus est sacrificium sacerdos ipse. En hîc clarè ac disertè docetur nullam inter Deum & hominem fieri posse reconciliationem, peccato è medio non sublato. Aut ergo nulla vera inter Deum & hominem fit reconciliatio, quod dictu impium est: aut per Christi gratiam omnis omnino noxa, quæ inter Deum & hominem abalienationem faciebat, è medio tollitur. Nihil est ergo quòd ex Scripturis, aut Patribus veritatis arcem impugnent. Siquidem nihil hinc peti potest, quod sanè intellectum veritatem non confirmet veriùs, quàm infirmet.

Sophisticæ cauillationes, quibus Elymazitæ conantur docere concupiscentiam esse peccatum.

Et quia, qui acutiores inter illos haberi volunt, hoc non ignorant: ideo armis, quibus alij fidunt, & ipsi quoq; aliquando fiderant, tanquam minùs ad rem idoneis abiectis, ad putidas quasdam, planeque Sophisticas cauillationes sese conuertunt. aiunt enim: An non id iure, meritoque in veri nominis peccatis haberi debet, quod legi Dei, & rationis lumini repugnat? Quod hominem veluti adhuc carnalem & animalem sub peccati seruitute venundatum tenet? Quod Deus vt reprobum, ac ab se alienum, malęque frugis seminarium odit, ac nos odisse præcipit? Quod Dei verbum contemptui ducit, nec ipsum Deum, vt parest, agnoscit, nec colit? Quod denique non vulgares homines tantùm, sed illos ipsos quoque, qui illustrem sanctimoniam & perfectionem consecuti censentur, ad Deo credendum, legique eius obediendum tardos ac difficiles; ad ea verò, quę caro aduersus spiritum cõcupiscit, pronos & expeditos reddit?

Accedunt alij, his quasi succenturiati, ac quæstionem mouent hîc variam. Cur, inquiunt, si per Baptismum renouamur, & ab omni pœna & culpa absoluimur, in tot adhuc miserijs, ac vitæ huius calamitatibus iacemus? Cur, quem in Adamo felicitatis statum acceperamus, non recuperamus? Cur, si in renatis nihil odit Deus, tam multi ex illis in peccatum prolabuntur,

buntur,& pereunt? Cur tandem, cùm ex æquo baptizentur omnes,non ex ęquo sanantur omnes? videmus enim originalis peccati reliquias alijs plus,alijs minus negotij facessere. Hę pręcipuę eorum sunt rationes,qui concupiscentiã,& quæ cum ea cognationem habent,nõ in infidelibus tantùm,sed in renatis quoque, & iustificationis beneficium iam adeptis, damnabilem esse cõtendunt.Sed omnes maiorẽ in partẽ rudes, ac debiles,& iam antè,quatenus discussione aliqua egere videbantur, ferme dilutæ atq; discussę. Verùm vt ijs quoq; hîc fiat satis,qui ea tantùm capiunt, quæ planè atq; distinctè proponuntur,& quasi pręmansa in os ingerũtur,placuit vniuersam hanc telam ex multis partibus malè cõsutam retexere, singulasque illius partes seorsum euoluere,& explicare.

Ad id ergo,quod de carnalis concupiscentiæ rebellione,in ipsa statim argutationis acie proferunt, breuiter responsum esto: Concupiscentiã secundùm se sumptã, nempe vt vis quędam animæ est,ad carnis oblectamenta propendens,secũdùm se absolutè,nec Dei,nec rationis legi obniti,sed tantùm ratione motuum, quos in nobis excitat. Atqui non omne quod ad malum inclinat,vel allectat,statim etiam peccatum existit: nisi quis forsan ita insaniat, vt & mundum,& carnem, & dæmonem peccatum appellandum censeat. nam quidlibet horum suo modo ad peccatũ ꝓuocat. Sed nec id omne quoque, quod legi quouis modo aduersatur, aut repugnat, illico peccati vim obtinet. Nam & quod legem violat,& quod legẽ deprauat,& quod vt falsam damnat,& quod in peregrinum sensum detorquet, & quod ad eius transgressionem quauis arte prouocat, aut solicitat, legi aduersari rectè dicitur: & tamen nihil horum est peccatum, neq; peccatum, nisi admodum impropriè,appellari potest.

Concupiscẽtiam non obniti Deo & rationi secundùm se,sed tantùm motuũ ratione, quos in nobis suscitat.

Non omne, quod ad peccatum allectat,posse dici peccatum.

Non habere vim peccati id omne, quod quoquo modo legi repugnat.

Est autem id propriè & verè,& solum peccatum, quod legi formaliter repugnat: cuiusmodi id vnũ est,quod lege secũdùm se absolutè prohibitum est.At malum in carne nostra inhabitans:siue id spiritus nequam sit,vt post Origenem alicubi

Peccatum esse proprie & verè id solũ, quod legi formaliter aduersatur.

 insinu-

insinuat Ambrosius; siue carnis concupiscentia, hoc est, naturalis illa ad mollia & carnis sensui suauia propensio, quod nobis ex Ecclesiæ doctrina, & communi hominum doctorum sententia certum est; siue aliud quodcunq; eiusmodi: nulla lege prohibitum extat. Vnde Apostolus Paulus non dicit, Malum, aut peccatum, aut concupiscentia non sit, aut non maneat, aut non habitet in vestro mortali corpore, aut in membris vestris: Nôrat enim in hoc rerum statu, & vitæ corruptione fieri non posse: sed dicit, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. quasi dicat: Posteaquam vi nulla, aut industria euitare potestis, quin hostis ille domesticus interdum insurgat, & impugnet, saltem ne expugnet, aut victoriam obtineat, seriam operam nauate.

Rom. 6.

Et vt maximè id omne peccatum foret, quod legi Dei, aut legi, quę ipsi rei à Deo impressa est, quouis modo repugnat, adhuc aduersa pars litem hîc non obtineret. Siquidem Apostolus nusquam docet, carnis concupiscentiam, aut legi Dei, aut legi quoque ipsi carni à Deo inditæ repugnare: docet autem repugnare legi mentis; Siue hæc lex quædam per se lex sit; siue quædam diuinæ legis participatio, hoc enim ad præsentem disputationem nihil attinet. Atqui hæc carnis rebellio, legi, quam Deus ipsi carni impressit, hoc est, naturæ ipsius carnis, non est dissentanea, aut contraria; sed, vt suprà ostensum est, est eidem absolutè secundùm se, & quasi in abstracto consideratæ, maximè consentanea. Nam vt grauia, sublato impedimento, naturaliter feruntur ad ima: ita sensus carnis, nisi fręno aliquo inhibeatur, naturaliter fertur ad mollia. Et quia hęc latio spiritus sensui aduersatur, fit vt caro post originalem iustitiam sublatam naturaliter spiritui refragari dicatur.

Apostolum nusquam docere, concupiscentiam, aut legi Dei, aut legi à Deo carni inditæ, repugnare.

Caro igitur mentem ad malum prouocans, aut mentis desiderio obnitens non peccat, facit enim illa, quod suarum est partium: Sed si hîc quid peccatur, ideo peccatur, quia carni inuitanti, vel prouocanti, à voluntate, quæ obsistere debuit, & obsi-

Carnem non peccare, dum mentem ad malum prouocans, eius desiderio obnititur.

obsistere quoque illi potuit, malè obeditur. Hæc non nostra primùm, sed expressa diui Augustini sententia est. Attende, inquit ille, vtrùm rectè vituperes quod ita est, sicut esse debuit? non opinor, sed vtique quod non est ita, vt esse debuit. Qui igitur peccat, homo est carni consentiens, quia facit, quod facere non debuit, repugnans legi menti suæ inditę: Caro autem non peccat, quia facit, quod facere debuit: habet enim illa aliam legem à mente. Quod autem caro facit, non facit homo, nisi homo consentiat carni. Hæc Augustinus.

August.

Quanuis ergo concupiscentia animum pulset, quanuis ad peccatum inuitet, quanuis prauos in nobis motus excitet: per se tamen, neque peccatum est, neque peccati causa est; sed tantùm per accidens, quatenus nimirum per ignauiam ipsi ceditur, aut studio secundùm illius legem ambulatur. Atque hic eorum sensus est, qui de concupiscentia perinde atq; de peccato concionantur. Concupiscentia, inquit Apostolus Iacobus, cùm conceperit, parit peccatum. Concipit autem, dum prauis illius motibus obeditur; dum vetus homo studio & quasi data opera fouetur, & nouus negligitur, vel per contemptum abijcitur; dum calcata iustitia, iniustitiæ seruitur; dum, vt verbo absoluam, corpus peccati studiosè ędificatur.

Concupiscẽtiam nec peccatum esse, nec causam peccati, nisi per accidens.

Iacob. 1.

Quin & alterum quoque aduersarijs concedi potest, nam oppidò importunè vrgere id solent, videlicet fideles in Christo renatos aliqua adhuc ex parte carnales, ac vetustatis Adæ participes esse. Certum est enim, & quotidiana experientia manifestum, veram illam mentis nouitatem, & spiritualitatem, quę in Christo, vel per Christum, vel per Christi Sacramentum contingit, non omnẽ penitus carnis vetustatem & infirmitatẽ excludere: hoc est, nõ omnibus statim partibus, & numeris perfectam esse: Non quòd totus homo verè per Christi gratiam non innouetur, & adoptetur, (adoptio enim, & sanctificatio, & innouatio non sunt partis, hoc est, solius

Spiritualem illam per Baptismum innouationem non omnem penitus excludere carnis vetustatem.

 carnis,

carnis, vel solius spiritus, sed totius hominis: homo est enim, qui adoptatur, & innouatur, non sola mens, aut sola caro) sed quòd ad summum illud perfectionis culmen non statim pertingat. Etenim vt in charitate, iustitia, & sanctitate crescere potest, & quotidie, si sibi non defuerit, progressus facit: ita quotidie quoque maiori spiritus nouitate, hoc est, animi robore, ac mentis vigore potitur. Quô enim vetus Adam per iugem carnis subiugationem redditur infirmior, cô nouus efficitur vegetior. At hinc interim inferri non potest, eosdem simul iustos esse & iniustos: simul intra & extra peccati regnum, eô nimirum, quòd inhærens peccatum ad damnationem illis non imputetur.

Ex eo quòd fomes in renatis maneat, non colligitur in ijs peccatum esse mortiferũ, sed modò nõ tam esse perfectos, quin studio & labore in vita fieri possint perfectiores.

At multò verò minùs inferri hinc potest, fomitem, qui in regeneratis superest, mortiferum peccatum esse. Quòd si quid ex carnali vel animali hominis sensu, quod malę Sectariorum causæ suffragetur, colligi potest, vnum hoc solùm hinc colligi potest: nempe hominem, dum in hoc seculo viuit, nunquam ita perfectum & spiritalem esse, quin studio & diligentia perfectior & spiritalior euadere queat. Sed hæc tamen crescendi facultas non impedit, quin suo interea modo perfectus dici, & perfectus quoque haberi valeat. Sicut etiam infans vitę iter iam primùm ingressus, verè & rectè appellatur homo, & homo quidem perfectus, licèt ijs viribus destituatur, quibus iuuenes & adultæ ætatis homines pollere solent.

Et quemadmodum puero infanti corporis infirmitas vitio verti non potest, nisi forsan suo incremento obstaculum poneret: ita recèns iustificato spiritus debilitas culpæ dari iure non valet, nisi forsan in via Domini consistere vellet. Stare nanque in via iustitię, quodam modo est retrocedere. Dicuntur quoq; filij hominũ, tametsi iustificationis gratia potiti, adhuc carnales, vel animales, quia nõ assequuntur eam spiritus libertatem, & carnis obedientiã, quam possidebat Adam ante peccatum: Multò enim hic vitæ status illo est, & difficilior,

Iustificati cur animales & carnales appellentur.

&

& periculoſior, & incertior, & impurior. Vt enim firmus hîc conſiſtas, magna opus eſt violentia, magna opus cautione & diligentia, nedum alteram illam, quam poſt communem carnis reſurrectionem obtinebunt iuſti, & electi omnes.

Porrò autem dum fomitem, carnísve concupiſcentiã, vel ipſam quoque carnem concupiſcẽtem, ob id in peccatis cenſendam iudicant, quòd Deus illam vt improbam, multorúmque flagitiorum & ſcelerum radicem, & ipſi preterea ſpiritui aduerſam infeſtamq́ue, odio habeat, nobisq́ue eaſdem ob cauſas illius odium imperet, oppidò inſulsè & imperitè iudicant. Nec enim id totum ſtatim peccatũ eſt, quòd Deus Opt. Max. quacunque de cauſa odit, cuiúsve fugam vel odium nobis indicit. Odit enim ille diabolũ, & omnem omnino cuiuſcunque appellationis hereticum, & impiũ. Sic nobis patris & matris, fratrum & ſororum, mundi, & eorum denique omnium quæ in mundo ſunt, odium imperat. Omnium enim vna amandi, vna auerſandi eſt ratio & cauſa: Nam vt omnia, quæ orbis ambitu concludũtur hactenus amare par eſt, quatenus viam nobis ad Deum oſtendunt, vel eius in nobis amorem incendunt: ita omnia hactenus odiſſe fas eſt, quatenus à diuino amore & cultu nos impediunt, vel ad peccatum, legísve præuaricationem quouis modo inducunt: & tamen nihil horum omnium ſecundùm ſe peccatum exiſtit.

Inſulsè ex eo colligi, eſſe peccatũ concupiſcẽtiam, ꝗ Deus illam odio habeat.

Quatenus omnia ſint & amanda & auerſanda.

Deinde verò vt nulla eſt illa argumentatio: Deus amat aquam, ergo odit ignẽ, quia hic illi aduerſatur: ita nulla quoque, imò verò ſtulta & planè inſana eſt ea collectio: Deus amat ſpiritum, ergo odit carnem. Deus enim neutrum contrariorum odit, cùm vtrunque fluxerit ab ipſo. Nec enim ille aquam, aut ſpiritum tantùm creauit, ſed carnem quoque, & ignem: licèt hanc naturali agente interueniente, illum per ſe proximè. Solum ille peccatum odit verè ac propriè, dæmonemq́ue, & hominem propter peccatum: Siquidem peccatum illius bonitati ac ſanctitati quàm maximè aduerſatur. Tentat ſanè caro & ad malum prouocat, ſed hoc officium non

Carnem non habere ex Dei institutione vt nos ad malum prouocet, sed ex prima hominis præuaricatione.

habet ex prima Dei institutione, sed ex prima hominis prçuaricatione. Quanquam & si cum ea quoque indole primò instituta esset, adhuc mala censeri non posset, multò verò minùs peccatum. Siquidem ista illius ad mollia propensio, naturæ illius, vt nuperrimè dicebamus, non est dissentanea; neque est tanta, cui obsisti non queat, & obsisti quoque non debeat.

Côcupiscentiam non esse per se scelerũ radicem, sed tãtùm motuũ subitorum, & inanium desideriorũ, scaturiginem.

Sed neque est illa vllorum quoque scelerum per se radix, vt falsò in argumento sumebatur, sed quædam tantùm subitorum motuum, ac inanium desideriorum scaturigo. Hi autem sensualitatis motus per se non sunt peccata, sed certa virtutis exercendæ materia. Voluit enim Deus vt contra hoc malum depugnaremus, depugnandoque, & superando corona poteremur. Vera autem & propria peccati causa & radix est mala voluntas. Hæc enim cùm eiusmodi motibus obsistere potuisset, & obsistere quoque debuisset, non obstitit, sed vltro hosti manum porrexit. Eiusmodi autem voluntas non comperitur in verè renatis, nisi quam ipsi spontè sibi acciuerint. Tandem licèt Apostolus fornicationem, immunditiam, iram, inuidiam, & alia id genus complura, carnis fructus, vel carnis opera appellet; non ob id tamen carnis concupiscentiam, aut carnem ipsam peccati condemnat. Nam carnis nomine, non carnis naturam designat, aut carnis rebellionem, sed hominem carnalibus vitijs deditum. Quo sensu alibi carnem & sanguinem regnum Dei possessura negat.

Propria peccati radix est mala voluntas

1. Cor. 15.

Cæterùm cùm Dei ignorationem, verbique eiusdem contemptum, ac cultus neglectũ carni deinde carnísve sensui admetiuntur, çquè illustre inscitię suę testimoniũ proferunt, ac dum eundem secundùm idem iustũ simul & iniustum, çterna vita & sempiterna rursum morte dignũ esse cõtendunt. Quid enim ineptius, ac à ratione alienius, q̃ brutam carnem ob id in ius vocare, capitalisq; sceleris condemnare, quòd Deum, neq; agnoscat, neq; diligat, neq; verbo illius fidẽ habeat? Hęc enim non sunt carnis, aut certè nõ sunt solius carnis officia, sed hominis non secundùm carnẽ, sed secundùm nobiliorem sui partem

Carni diuini cultus neglectum cõtemptionemque affingere, perinde est ac illa ipsa boui ac lapidi tribuere.

tem

tem viuentis munia. Poterant sanè eadem sapientia & licentia, & boues, & oues, & lapides quoque peccati accusare. Siquidem nihil inter hęc & illam, si mentis gubernaculo priuatam finxeris, discriminis intercedit. Quòd si carnem vnà cum mente, hoc est, totum hominem, incusant: iam ea scelera non erant in solam carnem reijcienda, in quam noxa nō cadit; sed in hominem, vel prauam hominis voluntatem.

Præterea qua ratione rationis experti carni, vel carni concupiscenti, Dei ignorationem, verbique eiusdem cōtemptum, ac cultus neglectum affingunt, eadem, vt antè quoque monuimus, affingere illi poterant cętera omnia scelera: est enim omniū eadem omnino ratio. Verùm tantum abest, vt sola caro, aut sola carnis concupiscentia, hęc tanta ac tam nefaria committat, vt ne vllius quidem renati voluntas, nisi regenerationis gratiam per summam ingratitudinē abs se abijciat, eiusmodi designet. Quanuis tunc quoque non solis originalis peccati reliquijs, de quibus hîc pręcipuè agitur, teneatur, sed grauissimis personæ sceleribus. Non omne id ergo peccat, quod Deum non cognoscit, aut eundem non diligit, aut verbo illius nō credit, aut prauis quoque carnis desiderijs non resistit: sed id solùm, quod per ętatem, aut rationis vsuram, aut voluntatis libertatem eiusmodi officia præstare potest, & præstare quoque debet, & nō præstat, neque, vt præstet, laborat. Quid in Deū propriè peccet.

Ad eandem vesaniæ arcem contendunt, dum non vulgares tantùm Christianos, sed eximię quoque sanctimoniæ perfectionisque viros, in ea mentis cęcitate, in ea incredulitate, & Dei ignoratione, in eo tandem diuini verbi contémptu cúltusque neglectu iacere asserūt, vt neque verè credant, nec verè sperent, nec verè diligant, vel vllius virtutis studiū sectentur verè. Planum est enim nihil hoc in selecta Christi membra dici potuisse contumeliosius, aut in eiusdem Christi gratiā iniuriosius, aut contra internam Spiritus sancti attestationem vanius, aut contra apertam denique Scripturarum asseuerationem absurdius. Impium esse contraq; scripturā asserere, homines sanctimonia ornatos, in mentis cæcitate, Dei ignoratione, diuini verbi contemptu, & similibus, versari.

An

Ephes. 1. » An hæc, queso, Benedictus Deus & Pater Domini nostri
» Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali,
» in cœlestibus, in Christo. In quo habemus redemptionem per
» sanguinem eius (remissionem peccatorum) secundùm diui-
» tias gratiæ eius, quę superabundauit in nobis in omni sapien-
» tia & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum volun-
Deut. 7. » tatis suæ. item: Deus fidelis absque vlla iniquitate. rursum:
Psal. 18. » Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.
Psal. 118. » item: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. & infrà: Di-
» lexi mandata tua super aurum & topazion. Dulciora fauci-
» bus meis eloquia tua melle & fauo. & infrà rursum: Confige
» timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui, & à verbis
Rom. 8. » tuis formidauit cor meum. tandem: Certus sum quòd neque
» mors, neque vita, neque futura, neque instantia separabunt
» nos à charitate, quę est in Christo Iesu. An, inquam, hæc & alia id genus innumera, quę in sacris literis nusquam non occurrunt, vllam omnino sapiunt, aut Dei ignorationem, aut incredulitatem, aut desperationem, aut verbi illius contemptionem, aut aliquid aliud eiusmodi? Absit.

Quòd si his Spiritus sancti oraculis, apertisque eiusdem testimonijs, internæ suauitatis, pacis, consolationis, ac tranquillitatis experimenta, q̄ sancti partim de seipsis, partim quoque de alijs prodiderunt, adiungere contendam, narrationis finem haud facilè inueniam. Quàm procùl igitur Sectarij & Hæretici omnes, qui alios ex suo animo metiuntur, spectant, & iudicant, absunt à vera illa mentis pace & tranquillitate, à vera Dei cognitione & fide, à vera fidutia & spe, à vera illius charitate & dilectione, à vero tandem illius cultu, verbique eiusdem gustu ac sensu; tam procul absunt verè pij & sancti homines à Dei ignoratione & incredulitate, à verbi illius cōtemptione & omni animi fluctuatione, ab omni demum contumacia, odio, & desperatione.

At verò dum illorum pręsidiarij sciscitantur, Cur per Baptismi gratiam adeò in pristinum illum innocentiæ & tranquilli-

quillitatis ſtatum non reſtituamur, vt maioribus interdum iactemur caſibus, grauioribusque affligemur ęrumnis, & importunioribus carnalis concupiſcentiæ agitemur procellis, quàm illi ipſi, qui nihil quicquam vnquam de Chriſti lege audiuerunt: reſpondere licet, vnum hîc certum, & apud pios omnes indubitatum eſſe: nempe φιλάνθρωπον Deum malum illud concupiſcentiæ tam inquietum & pertinax, cæteraque, quæ malum hoc naturaliter comitantur, non eo conſilio in carne noſtra reliquiſſe, vt peccemus, aut vt illius occaſione malè pereamus: ſed ob id maximè, quô impigrè pugnantes, ac motibus illius ſtrenuè obnitentes vincamus, vincenteſque gloriæ corona, quæ omnibus legitimè certantibus propoſita eſt, certò potiamur. Tū ob id rurſum, vt Chriſto capiti noſtro in partem conformemur: Nam & ipſum quoque cum dęmone & morte luctari, & ſecundùm carnem pati oportuit, & ita intrare in regnum ſuum. Tum ob id demum, ne falſa quadam felicitatis ſpe deluſi, in earum rerum vacuitate, quæ hîc moleſtant & excruciant, vltimum finem noſtrum ſtultè conſtituamus.

Cur Deus malum concupiſcentiæ, cęteraque, quę id comitatur, in renatis mala reliquerit.

Sed & viciſſim quoque quæri ab illis poſſet: Cur Deus per filium ſuum, cùm alio modo & medio potuerit, orbem redimere voluerit? Vel ſi, vt hoc faceret, cauſam habuerit: cur in formam ſerui, & peccatoris ſimilitudinem eundem in hunc mundum miſerit, cùm in aliam mittere licuerit? Siquidem in fidei myſterijs nihil tam receptum, nihil tam exploratum vel explicatū extat, de quo eiuſmodi aliqua quæſtio inſtitui non queat. Si dixerint, vt fortè dicent, Verbum in ea humilitate, & carnis infirmitate veniſſe, vt, quæ proſtrata deiectaque iacebant, erigeret, labefactataque inſtauraret, & confuſa in ordinem redigeret: & nos item reſpondemus, Deum nobis hanc cum carne, cum dæmone, cum mundo pugnam reliquiſſe, ne otio tabeſceremus, ne capiti noſtro diſſimiles eſſemus, ne hanc vitam curſus noſtri metam exiſtimaremus.

Ad alterum dicitur, Perabſurdè quæri, cur ex renatis pere-

ant nonnulli. Quis enim ferat eiusmodi argumentationem: Deus in verè renatis nihil odio habet, ergo nullus ex illis perit? Non enim ob id pereunt, quia renati sunt; sed ob id, quòd regenerationis gratiam, & innocētiæ stolam, quam in ipsa regeneratione acceperant, per voluntariam nequitiam denuo deperdiderunt, ac polluerūt. Aequè ineptè colligunt, qui hunc in modum colligunt: Regeneratus est, ergo impeccabilis est: vel, Deus in renatis nihil odit, ergo peccare nequeunt. Nihil enim ille in primis parentibus & Angelis præuaricatoribus ante lapsum exosum habebat, & tamen non erant ἀναμάρτητοι. Rudis ergo & planè ἀσύστατος eiusmodi est collectio: Potest peccare, ergo dignus est odio. Siquidem posse peccare, ac deficere, propriū est creaturæ: & si qua est, quæ nec peccat, nec ampliùs peccare potest, ea firmitatem illam ex se nō habet, sed ex gratia diuina. Solus enim Deus est, qui secundùm naturam suam ἀναμάρτητος est.

Renatos perire, quòd innocētiam semel acceptā, iterū polluerint.

Ad postremum responsum est iam antè. dictum est enim, vitę huius miserias, ac cruces, quas regenerati patiuntur, nō esse propriæ rationis pœnas, sed quasdam tantùm condonatorum debitorum appendices, ad meritum, & virtutum exercitationem relictas. Quòd autē vnus plùs altero affligitur, maiorive impetu ad hoc vel illud vitiū naturaliter fertur, hoc inde non prouenit, quòd originis peccatum, aut maius, aut verius sit in vno, quàm in altero. Est enim par in omnibus, sicut & ipsa quoque natura, cum qua transfertur: omnes nanque ex ęquo originis iustitia destituuntur; omnes secundùm naturam concupiscētię vitio, & morti, & corruptioni ex ęquo obnoxij: omnes tandem causæ, ex qua peccatum hoc ortum ducit, æquè affines: Inobedientia enim Adæ respicit ex ęquo omnes.

Miserias quas renati perpetiuntur nō esse proprię ratiōis pœnas, sed appendices delictorū condonatorum, ad virtutum exercitationē relictas

Sed neque inde quoque disparitas illa prouenit, quòd Baptismus ritè susceptus, vnum à culpa & pœna absoluat veriùs, aut perfectiùs, quàm alterū. Tollit enim ille omnem culpam & pœnam, qualemcunque tandem vel quantamcunque compererit. Prouenit autem inde, quòd non vna corporum omnium

um ſit conſtitutio, nec idem omnium virtutum ſtudium, nec eadem in omnes cœleſtis patris liberalitas atque propenſio: hic enim non ſecùs atque natura vni ſæpe dat, quod alteri negat. Nec idem denique parentium omnium meritum: Nam vt illorum ſcelera in eorundem liberis interdum plectuntur, ita vice verſa eorundem virtutes, & pietatis ſtudia in illorum ſobole aliquando remunerātur. Et hęc hactenus de carnis concupiſcentia in regeneratis reliqua: reſtat vulneris libero arbitrio inflicti explicatio.

Ex diuerſa corporū conſtitutione naſci, vt vnus altero ad hoc illúdve vitium maiori impetu feratur.

Liberum arbitrium neque actum eſſe, neque habitum, neque aliquid aliud eiuſmodi; ſed naturalem animæ facultatem, ſola ratione à voluntate diſtinctam.

TRACTATVS SEXTVSDECIMVS.



DE vulnere libero arbitrio per originis peccatum inflicto, propter inſanos Sectariorum clamores, varioſque eorundem circa hanc rem errores, multa hoc loco tractanda, & explicanda forent: Verùm quia argumentum hoc prolixum eſt, & controuerſiæ de gratia & diuina prædeſtinatione, quàm huic pręſenti, cognatius eſt, & ab alijs prætere a fusè & eruditè explicatum eſt: non omnia, quæ de eo adferri huc poterant, & huc adferri quoque, ſi ex inſtituto explicandū ſuſciperetur, fortaſſis debeant, huc adferam, ſed ea tantùm, quæ huius loci maximè vidētur propria, idque ſcholaſtica methodo, & breuiter.

Liberi arbitrij explicatio ad argumentum de Prædeſtinatione & Iuſtificatione pertinet.

Et quidem de nomine nihil, quod magni alicuius ponderis exiſtat, hoc loco annotandum occurrit. Conſtat enim, vt non rationis ſolùm, neque voluntatis tantùm actum includit, ſed vtriuſq; ſimul: (licèt id alia, & alia ratione) ita appellationē ſuā

Liberum arbitrium à ratione & volũtate denominatur.

ab vtroque mutuari: Ab altera nanque liberum, ab altera rursum arbitrium dicitur. Quandoquidem vt voluntatis est velle, vel eligere, ita rationis opus est, ecquodnam ad hoc vel illud obtinendum, vel euitãdum, opportunius videatur, secernere, ac dijudicare. Solùm monuerim, quod nos voce complexa liberum arbitrium dicimus, hoc Græcos Scriptores vno αὐτεξουσίου vocabulo exprimere. Quod sanè nomen, quô nostro est neruosius, & ad rem accommodatius, eô ætatis huius hæreticis est exosius. Apud Latinos, inquit Caluinus, liberi arbitrij nomẽ semper extitit, Græci verò multò arrogantius vsurpârunt vocabulum αὐτεξούσιον, quod significat sui ipsius potestatem, ac si illa esset penès homines.

Græci liberum arbitriũ αὐτεξούσιον appellant.

Lib.2. Instit. Caluino nomen αὐτεξουσίου exosum.

Lib.2.d.24.

Quid liberũ arbitrium, Petro Lombardo definitore

Petri Lomb. definitio contractior.

Est autem liberum arbitrium, Petro Lombardo definitore, facultas rationis & volũtatis, qua, vel bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadẽ gratia deserẽte. Verùm hæc Petri descriptio, liberi arbitrij munus insinuat veriùs, q̃ internã illius vim dilucidè explanet: & hoc ipsum adhuc multò, quàm par est, contractiùs. Neque enim solùm iusti, sed & iniusti quoque, & peccatores, & in puris naturalibus constituti, bonum aliquod interdum eligunt. Quare, vt in eiusmodi rebus fieri solet, multæ in Scholis de liberi arbitrij quidditate, & notione ortæ sunt quæstiones, & opiniones: alijs hoc, alijs illud propugnantibus. Nos eiusmodi quæstiones tanquam ad præsentis controuersiæ qualemcunque explicationem minùs necessarias paucis expediemus.

Liberũ arbitrium non est quispiam hominis actus.

Actus sũt succedanei, & incerti, & incõstantes: liberum arbitriũ totũ simul est indifferens, & perpetuò constans.

Et primò quidem, vt certum in hac disputatione ponimus, liberum arbitrium ita actus nomenclationem præ se ferre, vt tamen secundùm se, & οὐσιωδῶς non sit aliquis actus homini proprius. Siquidem humanæ actiones suapte natura sunt succedaneæ: (neque enim illæ totæ simul existunt, sed serie quadam decurrunt) at liberum arbitrium est quiddam constans, totumque simul existens. Adhæc si liberum hominis arbitrium esset aliquis humanus actus, secundùm se ad vtrunque ἀδιάφορον non esset: Quandoquidem nullus omnino humanus actus

actus

actus secundùm se indifferens est, sed omnis omnino eiusmodi, vel bonus, vel malus est: liberum autem arbitrium secundùm se ad hoc & illud, & ad horum rursum opposita, indifferens est. Denique nullus actus homini proprius, in hac præsertim vita, semper ipsi adest: liberum arbitrium autem nunquam illi deest, ne tum quidem, cùm nulli prorsus interno vel externo operi intentus est. Non est ergo liberum arbitrium actus quispiam hominis.

Aequè certum est liberum arbitrium non esse infusam, vel acquisitam intellectus speciem, aut patibilem mentis affectionem. Siquidem istiusmodi species intellectę rei similitudinem complecti traduntur. Vnde & Ideę quoque nonnunquam appellantur: & sensuum ministerio ordinaria lege comparantur, & nisi subinde instaurentur, & excitentur, facili negotio corrumpuntur, & euanescunt: At liberum arbitrium, nec intellectæ rei similitudo est, nec sensuum opera comparatur, nec vnquam deperditur. πάθη autem, vt & patibiles qualitates quoque breues sunt, & homini cum brutis communes sunt, & liberæ nō sunt. Dici enim solet, & verè dicitur, Quod ex errore, vel passione fit, id liberè non fieri. At liberum arbitrium ęquè ac anima ipsa ęternum est, & homini proprium est, & suapte natura ἀδιάφορον, & liberum est.

Liberum arbitrium non est infusa vel acquisita intellectus species.

Lib. arbitriū nec passio est, nec patibilis qualitas.

Sed nec veri quoque nominis habitus est. Siquidem omnis omnino habitus, aut innatus, aut acquisitus, aut infusus est. At liberum arbitrium non est habitus per actus acquisitus: Nam aliâs actus, qui eiusmodi habitum, vel habitus eiusmodi ortum antecederent, non essent liberi: quandoquidem liberum arbitrium omnis omnino liberi actus principiū existit: posterius autem prioris causa, aut principium esse nequit. Et quia actus illi, qui liberi arbitrij exortum anteirent, liberi non essent: ex consequenti, nec vitiosi quoque, nec studiosi, nec qui liberum arbitrium ex se progignerent, idonei essent. Eiusmodi nanque sunt habitus, cuiusmodi actus, ex quibus oriuntur. At hęc omnia sunt absurda, & à rationis iudicio aliena. Præterea habi-

Lib. arbitriū non est habitus per actus acquisitus.

Lib. arbitriū, liberi actus principium.

Habitus acquisiti ad vnũ inclinant.

habitus, qui ex actibus progenerantur, non ad vtrumlibet ex ęquo, sed ad alterum oppositorum determinatè inclinant: liberum arbitrium autem non ad alterũ præcisè, sed ad vtrumuis fertur liberè. Demũ vt habitus p actus acquirũtur & cõfirmantur, ita per actus oppositos denuo remittuntur, & infirmantur, & tandem omnino deperduntur: at liberum arbitrium secũdùm se ęquabile est semper, & simpliciter indelebile.

Quod per actus acquiritur, per actus rursum deperdi potest.

Lib. arbitriũ nõ est habitus infusus.

Habitus infusi nec ex ęquo nec semper, nec omnibus insunt

Nec est habitus rursum infusus: Quia eiusmodi habitus, nec omnibus insunt; neque, quibus insunt, æqualiter insunt, sed dispari ratione, & quantitate, prout nimirum ei visum fuerit, qui illos infundit; nec perpetuò insunt: sed liberum arbitrium, vt verè liberum est, hoc est, vt ab omni necessitate & coactione immune est, & omnibus hominibus inest, & æqualiter inest. Postremò non est habitus congenitus: Nam ea, in quæ naturaliter ferimur, vt in assensum primorum principiorum, in beatitudinem, aliaque similia, non cadũt sub liberum arbitriũ. Præterea naturales habitus non promiscuè ad quiduis, vel ad vtrumuis, sed ad vnum aliquod certum ac determinatum inclinant. Mitto hîc, habitus habitibus inhęrere non solere: atqui libero arbitrio complures habitus inhærent. Non est ergo liberum arbitrium habitus quispiam innatus, vel acquisitus, vel infusus.

Lib. arbitriũ non est habitus congenitus.

Quæ naturaliter expetũtur, non cadunt sub liberum arbitriũ.

Habitus habitibus non inhærent.

Lib. arbitriũ non est potẽtia habitu perfecta.

Habitus vbique sibi similis.

Vt lib. arbitrium indifferẽs sit, nullo habitu indiget.

Omnes hæ rationes, & si quę sunt aliæ his affines, ostendunt quoque liberum arbitrium non esse potentiam habitu perfectam. Nam vbicunque habitus extiterit, semper sui similis existit. Quibus & illud quoque addi queat, nempe liberum arbitrium nullius habitus, vt in actum prodeat, vel vt vim suam exerat, indigere: Siquidem suapte natura actuum potens, & ad vtrumlibet indifferens est. Cùm ergo liberum arbitrium non sit aliquis actus, nec habitus, nec intellectus species, nec patibilis qualitas, nec aliquid aliud eiusmodi, consequens fit, vt sit potentia: Nam quicquid tandem in anima existit, aliquid istiusmodi sit oportet.

Lib. arbitriũ est potentia.

At vna'ne, inquis, potentia est liberum arbitrium in vno homi-

hominе,an plures? Quidam ex lata liberi arbitrij ditione, vulgataq; eiuſdem definitione rem hanc metiẽtes, plures animæ facultates in ſe complecti arbitrati ſunt. Verùm hæc ſentẽtia, quæ recipiatur, non eſt ſatis idonea. Nam ſi liberum arbitrium plures, vel omnes animæ vires in ſe contineret, tot in vno homine exiſterent αὐτεξούσια, vel certè αὐτεξουσίου partes, quot in eo ſunt organa, aut proxima operationum principia. Adhęc ſi ex ęquo plures, vel omnes animæ vires in ſua ratione includeret, proprium illius munus, quod eſt eligere, ex æquo in plures, vel in omnes conueniret: ſed non conuenit in plures, vel in omnes, ſed in vnum duntaxat. Tandem ſi liberum arbitrium ex omnibus, vel pluribus animæ viribus ſecundùm ſe prorſus indemutatis intrinſecè conſtaret, non eſſet aliquod vnum ſimpliciter, ſed vnum tantùm per aggregationem. At non eſt vnum aggregatione, ſed vnum ſimpliciter, inter ſynderеſim & ſenſualitatem medium quodam modo itertenens. Siquidem ſynderеſis ſemper inclinat ad bonum, ſenſualitas ſemper ad malum; liberum arbitrium autem modò ad hoc, modò ad illud.

Lib. arbitriũ intrinſecè nõ conſtat pluribus potentijs

Lib. arbitriũ inter ſyndereſin & ſenſualitatẽ medium obtinet

Neque rationes, quibus, qui ſecùs hîc ſentiunt, mouentur, magni alicuius roboris ſunt. Siquidem aliud eſt, potentiam vnam aliquam alteram in ſui ratione includere: aliud, alteram, vt operetur, mouere, vel dum operatur, vel vt operetur, alterius potentiæ ope niti. Quare licèt liberi arbitrij vis ius ſuum in reliquas oẽs animę vires exerceat, earundemq; actus, & functiones in vſum ſuũ transferat, atq; ideo illas, illarumque actus virtute in ſe contineat: (neq; enim volũtas aliquid conſectari, aut auerſari ſolet, niſi cognitũ: noſtra aũt cognitio à ſenſu exordium facit) nullam tamen ex omnibus eſſentialiter in ſe includit. Quanuis, inquam, animę vires ex ſe inuicem non oriantur, neque ſe inuicem quoque eſſentialiter includant: vnius tamen origo alterius ortum ponit; & vnius rurſum actus, alterius actum vt materiam, circa quam operetur, neceſſariò depoſcit. Certum eſt enim in humanis dilecti-

Lib. arbitriũ aliarum potentiarum actus in ſuum vſum cõuertit

Voluntas nõ fertur in incognitum.

In humanis dilectio ponit electionẽ.

dilectionem ponere electionem: hanc rursum iudicium, consilium, & inquisitionem: hæc demum, si non proximè, saltem remotè, sensuum ministerium.

Lib. arbitriũ potentia vna in vno homine.

Lib. arbitriũ essentialiter alterutrũ est, ratio videlicet, aut voluntas.

Est ergo, vt paulò antè assertum est, liberum arbitrium in vno homine potentia vna: Siue vna hęc potentia voluntas sit essentiâ, & intellectus energiâ; siue contrà intellectus essentiâ, & voluntas energîa: nam, alterum horum esse, extra controuersiam est. Constat enim, quauis alia potentia vel facultate, præter rationem, vel intellectum, & voluntatem circunscripta, hominem eligere posse: naturam autem, quod paucis potest, multis id moliri non solere: tum nullum aliquando celebrem Philosophum, aut eruditum quoque Theologum extitisse, qui alias in hominis mente vires reipsa inter se distinctas collocaret, quàm intellectum, & volũtatem; qui've substantias à materia seiunctas, quę vtique liberæ sunt, alioqui peccare aut studiose agere non possent, secùs quàm in intellectum & voluntatem diuideret; vel qui potentias per se rationis compotes aliter quàm in cognoscentes & appetentes distribueret. Liberum itaque arbitrium, non est quippiam à ratione & voluntate distinctum, sed necessariò alterum horum est formaliter vel essentialiter, alterum verò radicaliter vel causaliter.

In mente hominis duæ tantùm sunt potentiæ, reipsa inter se distinctæ, intellectus nimirum, & voluntas.

Lib. arbitriũ est voluntas formaliter, & intellectus causaliter, aut vice versa.

Potentiæ secernuntur, & cognoscuntur per actus, hi per obiecta.

At vtrum ex illis est veriùs? Id sanè haud meliùs aliunde cognoscere liceat, quàm ex proprio illius actu, vel munere. Nam vt actus dinoscuntur, & distinguuntur per obiecta: ita potentiæ vicissim depręhenduntur, & inter se secernuntur per actus. Atqui proprius liberi arbitrij actus est electio. Hoc ipso nanque liberi sumus, & rectè liberi dicimur, quòd duobus pluribus've propositis, vno repudiato, alterum eligere; vel contrà vno selecto, alterum repudiare possumus. Electio autem, etsi rationis opus, hoc est, consilium, vel deliberationem, qua, quid alteri tanquam vtilius, vel conuenientius prælatum oporteat, dijudicetur, necessariò deposcat: non est tamen cognoscentis cuiuspiam partis actus, sed appetentis. Siquidem pro-

Electio est actus rationis & volũtatis: huius, vt elicientis; illius, vt proponentis.

proprium electionis obiectum eſt bonum, ad finem aliquem obtinendum commodum. Bonum autem, vt eiuſmodi, appetentis facultatis obiectum exiſtit. *Electio eſt actio appetitus.*

Quare licèt Philoſophus alicubi hęreat, electio'ne intellectus appetens, an verò appetitus intelligens dici debeat, tertio tamen Ethicorum volumine pręconſiliati appetitum appellat. Cùm igitur omnis omnino appetitus, aut naturalis ſit, aut animalis, aut rationalis: liberum autem arbitrium, neque naturalis ſit, neq; animalis; Nam aliàs in ea, quæ vita & mente carent, verè ac propriè conueniret: conſequens ſit rationis appetitum eſſe: At hic idem eſt cum voluntate. Liberum itaq; arbitrium reipſa idem eſt cum voluntate, ratione tantùm ab ea diſſidens. *Omnis appetitus aut naturalis, aut animalis, aut rationalis eſt: Lib. aũt arbitrium, nec naturalis, nec animalis appetitus eſt, ſed rationalis. Lib. arbitriũ reipſa idẽ eſt cũ voluntate.*

Quæ ratio diſcriminis? Ea ferè, quę eſt rationis & intellectus. Nam vt eadem intelligendi vis, quatenus ſimplici notitia in principia fertur, vocatur intellectus; quatenus verò circa concluſiones ſyllogiſtica collectione ex eiuſmodi principijs deriuatas occupatur, rationis appellatione deſignatur: ita certa quadam proportione & analogia, (oportet nanq; appetentes vires appręhendentibus commenſurari) idem ad numerum appetitus, vt deſiderio tendit in finem, vel in bonum abſolutè ſumptum, appellatur voluntas; vt autem in media, quibus eiuſmodi finis, vel bonum obtinendum eſt, liberi arbitrij nomine exprimitur. *Differunt eo ferè modo lib. arbitrium & voluntas, ſicut ratio & intellectus.*

Et quia vtraque facultas ſuo modo diſcurrit, & ratiocinatur: Nam vt intellectus in genere cognitionis vnum deducit ex altero; ita voluntas in genere appetitionis ex vno fertur in alterum: fit vt vtraque ſecundùm eſſentiam rationalis quoq; appelletur. Non eſt ſanè idem ſimpliciter velle, & eligere, aut velle, quod eligere; ſicut aliud quoque eſt ratiocinari, aliud ſimpliciter intelligere: attamen non eſt diſcrimen hoc tantum, vt eſſentialem inter liberum arbitrium & voluntatem differentiam conſtituat; aut vt ea, & ſi non omnia, libero arbitrio tribuere non liceat, quæ aliàs voluntati attribui aſſo- *Vtraque potentia rationalis ſuo modo diſcurrit.*

Quæ in volūtatem, ea & in liberū arbitrium quoque maiorem in partē conueniunt.

lent: Nam vt voluntas reliquis viribus imperat, ita & liberum arbitrium quoque. Rursum vt voluntate benè & malè agitur, ita & libero arbitrio quoque. Tandem vt voluntas absolutè cogi non potest, ita nec liberum arbitrium quoque. Sola itaq; voluntas verè, ac propriè libera est.

Libertatis radix, ratio vel intellectus.

Verum enimuerò licèt libertas formaliter conueniat in solam voluntatem, huius tamen libertatis principium, ac quasi radix, non insidet voluntati, sed rationi. Nam, vt suprà ostensum est, & certa experientia notum est, voluntas non fertur in aliquod bonum, neque auersatur aliquod malum, nisi mens, vel ratio consulta, quod expetit, bonum; vel, quod refugit, malum esse ostenderit. Et quemadmodum volūtas in nullum omnino obiectum desiderio, vel odio fertur, nisi ratio viam ad illud aperiat: ita nullum quoque per consensum approbat, vel per dissensum refutat, nisi ratio interrogata illud suadeat, vel dissuadeat. Quare rectè à quodam traditum extat, hominis libertatem à ratione inchoari, in voluntate aūt consummari.

Iudex & consiliarius voluntatis, vel liberi arbitrij, ratio.

Bona. 2. d. 25.

Motus speciem à termino sortitur.

Et quia motus speciem sortitur non à principio, sed à termino; omnique in re & operatione magis semper spectari solet consummatio, quàm inchoatio: (nam id vnde fit motus vel operationis exordium, se habet per modum materiæ; illud verò in quo tanquam in termino pedem figit, per modum formę, quæ adiectiuo nomine exprimi consueuit) fit vt facultas hoc vel illud liberè eligendi, liberum arbitriū appelletur frequētiùs, & familiariùs, quàm arbitraria libertas; voluntatique tribuatur veriùs ac planiùs, quàm rationi: tametsi & rationi tribui, & arbitrariæ quoque facultatis appellatione possit designari.

Rectiùs appellatur lib. arbitrium, quàm arbitraria libertas.

Imò verò non desunt, qui libertatem ęquè verè, formaliter, ac propriè in rationem conuenire existimant, atq; in voluntatem. Sed sanè si de ea libertate hoc affirmant, quæ coactioni, vel necessitati opponitur, vt affirmare videntur: à veritatis scopo non parum aberrant. Certum est enim volūtatem in hoc libertatis genere modis omnibus principatū obtinere.

Sola volūtas essentialiter libera.

Quare

Quare etiam ipsi vni, non solùm electio, quæ propria liberi arbitrij functio existit, ab omnibus tribuitur, sed meritum quoque & peccatum. Licèt ea interim absque ratione, neque mereatur, neque peccet, neque eligat.

Quòd si verò non de ipsa libertate secũdùm se istuc asseuerent, sed de libertatis radice: nihil quicquã absurdi asseuerant. In confesso est enim totius huius libertatis basim, ac quasi fontem, eam esse intellectus notitiam, qua certò dinoscitur aliquod omnino medium, vt hoc vel illud bonũ, in quod voluntas fertur, obtingat, necessariò deposci; non tamen hoc vel illud præcisè, sed hoc vel illud indeterminatè. Ex hoc nanque, quòd iudicamus hoc vel illud medium, ad hunc vel illũ finem obtinendum, pręfinitò & absolutè non esse necesarium, iudicium, quo illud eligendum esse cõcludere licebat, suspendere possimus, & per consequẽs ab illius quoq; electione desistere.

Libertatis totius radix & fons est ratio rationisque discursus.

Sed & per idẽ quoq; principiũ, eandémve notitiã ea omnia refutare & repudiare licebit, quæ mediũ hoc vel illud præcisè necesarium esse persuadere fortè poterãt. Quòd si verò aliquod eiusmodi medium idoneum iudicatur, & vt eiusmodi à voluntate acceptatur, liberè profectò talismodi esse iudicatur, & liberè quoq; vt talismodi à voluntate acceptatur. Nam cùm ad finem absolutè non esset necesarium, potuit aliquod aliud idoneum iudicari, & ex consequenti eligi.

Ratio liberè iudicat hoc vel illud medium idoneum, vel inidoneum esse.

Sed nunquid, si quem finem voluntas absolutè & efficaciter velit, medium, quod ad eiusmodi finem obtinendum simpliciter necesarium iudicatur, ipsa pro sua illa libertate respuere poterit? Posse pro summa illa, qua pollet, libertate defendant multi. Est tamen perdifficile intellectu, aliquem efficaci voluntate velle aliquod bonum, vel aliquem finem: & interim nolle medium, quod ratio non errans ad illud bonum, vel illum finem impetrandum absolutè necesarium iudicat. Quî, quæso, consentaneè dici potest, hunc vel illum absoluta efficaciq; voluntate sanitatem velle, & pharmacum, vnde illa simpliciter dependeat, nolle

Qui efficaciter vult finẽ, non potest nõ velle mediũ, quod ratio iudicat absolutè necessariũ.

 hau-

haurire? aut cœlesti beatitudine velle potiri, & tamen nolle mandata seruare? aut velle eruditionem non vulgarem consequi, & tamen nolle studium eam in rem ponere? Annon, qui ardenter efficaciterque quippiam volunt, quô optato illo bono potiantur, extrema conari soliti sunt?

Libertas à vi, coactione, vel necessitate veriùs in voluntatẽ conuenit, quàm in rationem: cæteræ libertatis species ex æquo in vtranque facultatẽ conueniunt.

Verumenimuerò licèt ea libertas, quę cum necessitate pugnat, veriùs in voluntatem conueniat, quàm in intellectum; cętera tamen libertatis species in vtranque facultatem ex æquo conueniunt. Certum est enim beatorum intellectum ab omni miseria & culpa perinde liberum, ac immunẽ esse, atque eorundem est voluntas. Tum eundem rursum secundùm se ęquè sui gratia, & independentem esse, atque est ipsa voluntas. Tum denique ea libertate hunc ratiocinari ac intelligere, qua illa vult, & eligit. Nam vt omnis omnino voluntatis actus est secundùm naturalem volũtatis propensionem; ita omnis quoque intellectio est secundùm naturalem intellectus inclinationem. Intellectus nanq; vt omnium capax est, ita omnia quoque absq; vllo omnino discrimine intelligere desiderat.

Vt omne velle est secundùm naturalem voluntatis inclinationem; ita omne intelligere est secũdum naturalem intellectus propensionem.

Fatendum est tamen hanc à coactione immunitatem, non sat esse ad veram libertatis rationem constituendam. Nam aliâs non solùm in sensibus, & inferioribus hominis partibus constituenda esset libertas, vel liberum arbitrium, sed in brutis quoque animantibus: Siquidem omnia hęc vltroneo, ac naturali quodam motu in sua obiecta feruntur. Verùm de hac libertatis participatione, vt & de varia quoque vocabuli huius notione, non est hîc nunc agendum latiùs. Sat sit in præsentiarum mediocri perspicuitate ostensum esse, Liberum arbitrium, nec actum esse, nec habitum esse; sed naturalem animæ facultatem, sola ratione à voluntate distinctam. Nunc de liberi arbitrij obiecto, primoque eiusdem subiecto, nonnulla quoque in medium proferamus.

Libertas à coactione non sat est ad cõstituendam veram libertatis rationẽ.

Liberum

Liberum arbitrium, nec omnibus inesse, nec promiscuè circa omnia occupari; sed vel solùm, vel præcipuè circa media, & illa quæ aliter habere possunt.

TRACTATVS SEPTIMVSDECIMVS.



X his porrò, quæ de intrinseca liberi arbitrij ratione hactenus exposita sunt, perfacilè est colligere quarumnam rerum liberum arbitrium cùm subiectiuè, tum obiectiuè quoque existat. Et quidem ad liberi arbitrij subiectum, hoc est, ad res, in quas illud cadit, quod attinet, satis compertum est, brutis animantibus, cæterisque his inferioribus, nihil quicquam cum libero arbitrio commune esse. Nam, vt suprà explicatum est, proprius liberi arbitrij actus est electio. Electio autem cùm sit actus rationis & voluntatis, huius quidem vt exequentis, & elicientis; illius verò, vt proponentis, ac determinantis: in ea tantùm conuenit, quæ mente & ratione prædita sunt, quæque de mediorum & finis inter se proportione iudicare possunt: Atqui bruta, & cætera omnia his subiecta, & mente carent, & ad vnum aliquod certum determinata sunt, (videmus enim omnia eandem speciem sortita, eandem semper operandi rationem tenere) nec de mediorũ ratione quicquam omnino cognoscunt, aut statuere possunt: Et quod maximè rem hanc confirmat, non tam ex instituto agunt, quàm naturæ instinctu aguntur. Quòd si qua veræ libertatis pars in illis existeret, nihil obstaret, quò minùs mereri, absoluteque cum homine conferri possent: Quandoquidẽ nobilissimum, quod homini obtigit, est liberum arbitrium. Nullo itaque modo in brutorum animantium naturam liberi arbitrij ratio competit.

Brutis animãtibus nihil cõmune est cũ libero arbitrio, sicutneq; cum electione quoque.

Bruta ad vnũ certum naturaliter determinata sunt.

Bruta naturæ instinctu aguntur.

Existit autem liberum arbitrium & primo, & excellenti modo in supremo illo spiritu, quem Deum appellamus: siue id liberum voces, quod omni culpa & miseria vacat; siue illud, quod

Lib. arbitriũ excellẽti modo est in Deo, quamcunque

eâdem libertatis speciem spectaueris. quod sui solius est gratia, nulla ex parte ab altero dependens; siue illud, quod nulla vi cogi, nulla interna externáve necessitate ad hoc vel illud potest adigi; siue illud tandem, quod ad vtrunque oppositorum secundùm se ἀδιάφορον existit. Certum est enim nullam in Deum miseriam, nullã noxam, nullã vim, aut coactionem cadere posse: vt qui sit summa felicitas, summa sanctitas, primum efficiens, & vltimus omnium finis.

Non eodem modo est lib. arbitrium in Deo, quo in Angelis & hominibus.

Deus non sui sed aliorum ratione liber est.

At non eo interim modo liberi arbitrij est Deus, quo nos, vel etiam Angeli. Neque enim is sui, sed aliorum tantùm à se ratione liber existit. Non sui, quia se naturaliter vult & amat: aliorum autem, quia alia omnia à se vult, nõ ex naturæ instinctu, sed ex iudicio libero. Vult verò alia à se, non vt sunt bona, vel mala culpæ, sed tãtùm vt sunt diuersa bona, vel diuersa mala pœnæ. Mitto hîc, libertatem non ita esse in Deo, quasi possit velle, & non velle; velle hoc, & velle oppositum successiuè: (semel enim ad hoc vel illud determinatus, semper determinatus manet; & semel rursum non determinatus, nũquam determinatur, vt qui omnis mutationis expers sit) sed quia secundùm se absolutè cõsideratus, indifferens est ad volendum opposita. Nam quicquid aliud à se vult, hoc, vt modò dicebamus, non ex aliquo naturę impulsu vult, quasi ab alio sit motus, sed omnino liberè, & à se.

Quod Deus semel vult, semper vult, & contrà.

Deus eligit citra deliberationem & cõsilium.

Exponam discrimen hoc clariùs: Vt Deus intelligit citra discursum, & mouet citra vllam sui mutationem, & procreat citra vllum sui detrimentũ: ita idem citra vllum omnino consilium, deliberationem, vel inquisitionem eligit. Nos autẽ citra isthæc, neq; eligimus, neq; diligimus. Rursum cùm reipsa non aliud sit in illo, liberum esse, & Deum esse, & bonum esse, & quoduis aliud eiusmodi esse, sed vnum idemque penitus: liberum eiusdem arbitrium incuruari, aut ad malum inflecti omnino non potest: at verò liberum cuiusq; rei creatę arbitrium, si secundùm se, vel ex natura sua spectetur, ad peccatum incuruari potest. Quòd si quod ex illis, vel in illis huc non incuruatur, hoc ex natura sua non habet, sed ex gratia.

Deus ad malum inflecti nõ potest: cętera omnia ex se possunt.

Deniq; cùm Deus Opt. Max. secũdùm se, & suus, & reliquo-

rum omniū sit finis, in quo formaliter, vel eminenter existunt omnia; nihil ille necessariò vult, aut eligit propter alterū. At verò cùm homo non sit suus finis, neq; citra mediū ad finem, quem sibi pręfigit, peruenire queat: quô optato fine potiatur, necessariò aliquod medium eligere, & adhibere compellitur: quanuis non necessariò semper hoc vel illud pręcisè. Verùm omnia hęc discrimina, & si quę eiusmodi sunt alia, nō impediunt, quô minùs verè, ac propriè in Deo sit liberū arbitriū. Verè enim quicquid ille extra se vult, eligit, & efficit, hoc totum liberè vult, eligit, & efficit. Vnde omnia secundùm voluntatis suę beneplacitum facere, & administrare dicitur; bonusque illius Spiritus singulis, prout vult, distribuere legitur.

Deus nihil necessario eligit propter alterum.

Secundùm Deum liberū arbitriū in Angelis, ac beatis illis spiritibus proximū locū sibi vendicat. Quanuis enim vtriq; in bono firmati culpę malū per se non velint, neq; velle aliquādo, aut eligere queant, non ob id tamen nō verę ac propriè liberi sunt. Siquidem peccati malū velle, aut eligere, aut illud quoq; velle, vel eligere posse, de intrinseca liberi arbitrij ratiōe neutiquam existit. Nam vt propriū voluntatis obiectum est bonū, ita & liberi arbitrij quoque. Quamobrē vt voluntas, quicquid tandē vult vel affectat, semper illud sub boni alicuius ratione vult & affectat: quippe cùm iuxta verissimam diuinissimi Dionysij sententiam, Nemo intendens ad malum operetur: ita quicquid liberum arbitrium eligit, semper sub boni alicuius vtilis, aut conuenientis ratione illud eligit.

Primum locū post Deū lib. arbitriū obtinet in Angelis, cæterisq; beatorum spiritibus.

Posse peccare, non est de intrinseca liberi arbitrij ratione.

Quicquid lib. arbitriū eligit, sub ratione alicuius boni eligit.

Ad intrinsecam proinde liberi arbitrij rationem non pertinet, malum eligere, aut malum eligere posse. Imò vero liberum arbitrium per se malum eligere non potest; sed si illud quandoq; eligit, ideo eligit, quia, vel vires, quę ipsi subseruiūt, vel ipsummet secūdùm se vitio aliquo tenetur. Ex eo nanq; ꝙ ratio appręhendit quippiam tanquam conueniens ad bonum aliquod obtinendum, illudque sub conuenientis, vel vtilis, vel idonei ratione voluntati offert, cùm tamen re ipsa eiusmodi non sit, contingit liberum arbitrium interdum malè eligere. Quod

Liberū arbitrium per se nō potest ferri in malū sub ratione mali.

Si lib. arbitrij, viresque quæ illi subseruiunt essent p omnia sana, nunquã malũ eligeret.

re. Quòd si liberum arbitrium secundùm se esset perfectum, hoc est, ab omni malitia, curuitate, & infirmitate verè liberũ, & vires nihilominus, quæ ipsi subseruiunt, ab omni errore ac miseria immunes, cuiusmodi sunt sanè Angelorum & beatorum omnium: liberum arbitrium nec malè vnquam, nec malum vnquam, sed semper bonum, & semper benè eligeret. Ad propriam autem, intrinsecamque liberi arbitrij rationem pertinet, duobus pluribúsve propositis medijs, vnum prę altero complecti, vel vno repudiato alterum eligere posse.

Ad propriam lib. arbitrij rationẽ pertinet, è pluribus medijs, vnũ præ altero eligere.

Sed fortè hîc cauillaberis: Si liberum arbitriũ secundùm se est tantùm bonorum, nullum ergo in dęmonibus, cæterísque damnatis liberum arbitriũ erit, vt quorum animus semper in malum pronus feratur? Næ quicquid dęmones, cæteríque damnati deliberatè volunt, esto secundùm se, quod volunt, malum non sit, ordinaria tamen lẽge nunquam ad bonũ finem referunt: nec ob id tamen arbitrij libertate destituti putandi sunt. Nam hęc libertas intelligentem naturam intrinsecè consequitur: peccatum autem vt naturam non tollit, ita naturales quoque rei proprietates non extinguit. Sed nec verum quoque est simpliciter, quod in argumẽto vt simpliciter verum sumitur, puta damnatorum voluntatem in malũ semper ferri. Fertur enim semper in bonum, licèt non semper in verum bonum; sed in illud vt plurimum, quod ab ipsis verum iudicatur, quanuis reuera tale nõ sit, ducũtur enim falsa sub inde boni specie.

Quicquid dęmones & damnati deliberatè volũt, id semp ad malũ finem referunt.

Peccatũ naturales proprietates rei nõ adimit.

Damnati crebro ducuntur vera boni specie.

Missum hîc facio longè aliud esse, habere vel retinere liberũ arbitriũ, aliud rursum habere vel retinere illius vsum, aliud tandem habere verum & propriũ illius vsum. Multi enim habent liberum arbitrium, qui tamen illius vsu, vel certè vero & proprio illius vsu, destituuntur: quemadmodum illud de damnatis, & obstinatis peccatoribus manifestum est. Sed & infantes quoque, somno pressi, phrenetici item & lethargici, & alij id genus permulti, liberum arbitrium possident integrè, & tamen nullum verum illius vsum obtinent: vndecunque tandem

Aliud est, habere lib. arbitriũ, aliud habere lib. arbitrij vsum, aliud habere verum & proprium lib. arbitrij vsum.

dem impedimentum illud proueniat, de hoc enim opinari, & disputare licet. Est ergo liberum arbitrium non solùm in Angelis, cæterisque beatis, verùm etiam in dæmonibus, cęterísque damnatis.

Iam si liberum arbitrium in beatorum spiritibus, in spiritibus rursum ęternæ damnationis vinculo obstrictis secundùm se integrum adhuc remanet, remanebitque semper, quanuis bonum in his, malum in illis vsum nunquam sortiatur: multò magis hęrebit illud in viatoribus tametsi peccatoribus, inter spem & metum adhuc constitutis? Constat enim illorũ tantùm esse, & benè, & malè mereri posse, peccare rursum & studiosè agere. Hæc autem non solùm liberum arbitrium deposcunt, sed verum quoque & plenũ ipsius liberi arbitrij vsum. Verùm de hoc paulò pòst latiùs. Est enim vnum hoc præcipuum totius huius controuersiæ, & disputationis caput. Nunc quæ de liberi arbitrij subiecto, & obiecto explicanda adhuc reliqua sunt, eo, quo cœpimus, ordine, & methodo persequamur.

Lib. arbit. in damnatis nũquam bonũ, in beatis nũquam malũ vsum sortitur.

Liberum arbitrium est in omnibus hominibus, etiã in iniustis & peccatoribus

Sed nunquid, inquis, quæ libera sunt & libera appellantur, æquè libera sunt omnia? Nequaquam, de quacunque tandem libertatis notione quæsitum accipiatur. Nemo enim dubitat, quin maior, & à culpa, & ab omni quoque peccati miseria, libertas existat in iustis & sanctis, quàm in iniustis & peccatoribus, in beatis rursum ac cœlesti gloria iã donatis, quàm in damnatis & viatoribus; in Deo tandem, quàm in reliquis omnibus rebus creatis. Aequè certum est, non parem omnibus à seruitute immunitatẽ adesse. Deus enim à nullo omnino depẽdet, nec vlli omnino obnoxius existit: cętera omnia, & à Deo, & à se inuicem dependent, sibique mutuò obnoxia sunt. Vix enim quicquam vsquam ita perfectum, sibique sufficiens comperias, quod alterius ope & opera interdum non indigeat.

Quæ libera sunt, nõ ęquè libera sunt omnia.

Maior libertas à culpa & miseria in iustis, q̃ in peccatoribus.

Deus à nullo dependet: cętera omnia & ab ipso & à se inuicem.

Sed neque ea quoque libertas, quæ coactioni, vel necessitati opponitur, æquè ampla perfectaque in omnibus compe-

Deus liberrimus ab omni coactione & necessitate

ritur. Planum est enim, quod à nullo, vt agat, impelli cogíve potest, à nullo rursum, ne agat, impediri potest; id multò illo liberius esse, quod multis modis ad opus cogi potest, multis rursum modis ab instituto opere impediri potest: At nulla interna, vel externa vis, vel necessitas Deum ad externum opus adigere, si nolit; nulla rursum ab eiusmodi opere impedire potest, si operari velit: nam quicquid ille absolutè vult, siue in cœlo siue in terra, siue intra vel subtus terram, id statim citra vllam moram, aut difficultatem effectum est.

Deus facit quicquid vult in cœlo & in terra.

Psal.148.

» Dixit enim, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. At verò ne Angelus, & quicquid infra Angelum positum cernimus, ne quicquam omnino velit, aut instituat, aut faciat, aut etiam vt diuersum ab eo, quod ipse primò volebat, vel instituebat, fiat, sola diuina voluntate, & quidem facillimè, fieri potest. Potest enim Deus nolle ad hoc vel illud votum, vel opus concurrere: potest vnam illi speciem adimere, & aliam oppositam infundere: potest, vt paucis dicam, omnem omnino creatam voluntatem in nihilum redigere.

Angelus multis modis impediri potest, ne velit, & ne hoc velit.

Pari modo Angelus hoc libertatis schemate multò liberior est homine: Nam etsi Angelus per alterum fortiorem, aut nobiliorem impediri queat; ne id exequatur, quod volebat, & interdum quoque impediatur, velle tamen illius per nullam vim creatam impediri potest: pendet hoc enim à specie, & interna illius constitutione, in quam alter Angelus ius nullum habet. At verò ne homo velit, & ne hoc vel illud velit, & ne id, quod volebat, per se, vel per alterum efficiat, multis modis, & vijs impediri potest. Nam quicquid impedit hominis cognitionem, hoc necessariò impedit eiusdem quoque electionem: at hominis cognitionem innumera impedire possunt, & sæpe quoque impediunt.

Angelus per Angelũ impediri non potest, ne velit, homo autem potest.

Quicquid impedit intellectus operationem, & voluntatis quoq; opus impedit: rationis aũt opus plurima impedire possunt, & impedire quoque solent.

Verumenimuerò licèt humana voluntas propter causam iam obiter assignatam multis modis, ne id velit, vel expetat,

expetat, quod alioqui expetiturus erat, impediri possit; & multis rursum modis, vt id velit, quod antè volebat; vel vt id nolit, quod antè volebat, induci ac persuaderi queat; & absolutè tandem, quod ad actus ab ipsa imperatos attinet, cogi valeat: nulla tamen creata aut increata vi, vt inuita velit, cogi potest: Siquidem actus, qui est secundùm naturæ inclinationem, non potest, aut coactus esse, aut violentus esse: nec enim aliud est velle, quàm ipsam voluntatem ad hoc vel illud propendere, vel ad hoc vel ad illud inclinatam esse. Imò implicat aliquod velle coactum esse, aut violentum: Si enim quis vult, & tamen inuitè vult, habet is vtique simul velle, & non velle. omnis nanque inuitus habet nolle, vel non velle; nam aliâs non esset inuitus. Non potest ergo voluntas adigi, vt inuita velit.

Nulla creata vel increata vis voluntatẽ cogere potest vt inuita velit

Qui inuitus vult, simul vult & non vult, quod impossibile est.

Et quod de interna ac propria voluntatis operatione hîc asseritur, hoc certa quadam proportione de cuiusuis alterius quoque potentiæ functione assertum accipiatur. Nam neque oculus inuitus videt, neque auris coacta audit, neque intellectus inuitus intelligit: sed vnumquodque horum agit secundùm intrinsecam, ac propriam naturæ suæ conditionem ac propensionem. Quare licèt dici soleat, Intellectum per euidentem demonstrationem ad assensum cogi: minùs tamen propriè id dicitur. Nam vt in ipsa naturalis quædam inclinatio ad quiduis intelligendum existit, ita quædam quoque naturalis vis ac procliuitas insita est illi ad euidenter veris assentiendum.

Nulla naturalis potẽtia inuita fertur in suum obiectum.

Ad nullum assensum intellectus ꝓpriè cogitur.

At quanuis voluntas secundùm se (prout nimirum quædam naturæ proprietas est) nullam admittat intentionem, aut remissionem: attamen, quòd non minùs spectare consueuerimus ipsarum proprietatum, vel actuum fundamenta, hoc est, naturas, vnde dimanant, quàm ipsas proprietates, vel ipsos actus; fit vt vniuscuiusque libertas eô censeri queat maior, quô natura, cui inhæret, vel ex qua dimanat,

Eô cuiusque libertas cẽseri queat maior, quô natura, cui adia-

eet, extiterit excellentior.

nat, fuerit excellentior. Cùm ergo natura diuina multis partibus sit præstantior natura angelica, & natura rursum angelica natura humana: simpliciter asseuerare licebit, in Deo extare maiorem libertatem, quàm in Angelo; & maiorem in vno Angelo, quàm in homine.

Immunitas ab inductiõe patitur magnam intensionem & remissionem.

Denique si id, quod suprà de libertatis paritatẽ vel disparitate quærebatur, ad libertatem vel immunitatem ab inductione, vel impulsione referatur, absolutè respondere licebit, liberum arbitrium, vel voluntatis libertatem subinde intendi atque remitti. Constat enim, quandoque multa adesse, quę prouocant ad bonum vel malum, quandoque pauca, interdum nulla, prout sunt temporum vel rerum status, vel hominum conditiones. Patet ergo in quibus sit liberum arbitrium, & quo gradu vel discrimine in ijs insideat, quibus insidet.

Quod lib. arbitrij sit obiectum, ex proprio illus opere facilè colligitur.

Obiecta ad potentias eo ferè modo se habent, quo principia vel causæ ad sua effecta.

Lib. arbitrij est eligere, electio autem non est omnium, sed eorũ [illegible]lum, quæ [illegible]nt ad finẽ.

In quas naturas liberum arbitrium cadat, explanatum est hactenus: nunc verò, circa quasnam res tanquam circa propriam materiam, propriumve obiectum præcipuè occupetur, paucis quoque enodare lubet. Hoc autem eô fieri poterit faciliùs, quô de proprio illius munere constat certiùs. Nam vt effectorum naturæ depręhenduntur ex causis, ita vicissim causarum ratio ex earum effectis colligitur. Potentiarum autem obiecta ad earundem actus relata, eo ferè modo se habent, quo principia vel causæ ad sua effecta. Sed ad rem. Suprà indicatum est, proprium liberi arbitrij opus esse eligere. Electio autem non est omnium simpliciter, sed eorum tantùm, quæ ad finem, quem nobis proponimus, idonea censentur. Nec enim animæ aut corporis sanitatem, aut Reipublicæ tranquillitatem, aut ab hoste victoriam, aut alia his cognata eligere consueuimus, sed simpliciter desiderare, & quasi naturali quodam instinctu in ea ferri.

Veruntamen si hæc ipsa, quæ modò in exemplum à nobis proposita sunt, aliaque huius generis complura, quæ

adhuc

adhuc in exemplum proponi poterant, accipiantur non vt fines, sed vt media quæ ad vlteriorem aliquem, vel nobiliorem finem obtinendum conferant: ęque sub electionem cadent, atque media illa, quibus antea ad illa ipsa tendebatur. Imò verò in tota rerum vniuersitate nihil, vltimo fine secluso, in hominis potestate alioqui positum, extat, quod electionis materia esse non queat. Etenim vt victus parsimoniam eligere licet, quò temperantię habitum consequâre; & hunc rursum, vt temperanter viuas: ita temperanter ac moderatè ex instituto viuere eligere potes, quò cœlestem gloriam obtineas. Et idem de reliquis omnibus virtutum omnium actibus medijs, ac finibus statuere licet.

Quicqd medij rationem subire potest, id & electionis quoque materia esse potest.

Nihil in hominis potestare positum extat, quod electionis materia esse non queat, solo vltimo fine secluso.

Et quemadmodum electio non est finis, vt finis est, vt qui in practico syllogismo conclusio esse non queat, sed conclusionis tantùm principium; sed eorum solùm, quę sunt ad finem: ita eadem quoque non est simpliciter impossibilium, vel absolutè necessariorum, aut illorum quoque, quæ in nostra potestate nullo modo sunt posita. Nam quę in nostra facultate posita non sunt, cuiusmodi sunt, quę neque per nos, neque per alios nobis obuenire possunt; ea rursum, quę secundùm se fieri nulla ratione queunt, aut absolutè impossibilia sunt; ea tandem, quę simpliciter necessaria sunt, vel aliter ac sunt habere non possunt: ea deliberationis, aut consultationis materia esse nequeunt, & ex consequenti medij rationem subire non possunt. Atqui electio, vt iam aliquoties repetitum est, & mediorum est, & consilij vel deliberationis conclusio est: Vel, vt ille definit, præconsiliati, hoc est, illius, quod præeunte consultatione, vel deliberatione, ad hoc vel illud impetrandum, vel conficiundum, vel euitandum, haud inefficax fore iudicatum est, appetitio est.

Vt lib. arbitrium non est finis, ita nec absolutè quoq; necessariorũ, vt nec absolutè rursum impossibilium, nec eorũ quoque, quæ in nostra potestate nullo modo sunt posita.

Liberum itaque arbitrium, vt deliberans, vel consultans, vel disquirens est, non est impossibilium, aut absolutè necessariorum: sed contingentium tantùm, & possibilium. Verùm si vis hæc animi consideretur, non vt deliberans, vel consultans est,

Lib. arbitriũ, vt deliberat, est tantùm contingentium, & possibilium, & in nostra facultate positorũ.

eſt,ſed vt abſolutè libera eſt,ſiue vt quędā imperfecta volūtas, vel quædā velleitas eſt: & neceſſariorū,& quorundam quoq; impoſſibiliū eſſe poteſt. Certum eſt enim, nō Angelorū & beatorum hominum voluntatē tantùm, ſed ipſius quoque Dei quadā immutabilitatis, ac complacentiæ neceſſitate teneri. Sic quoque licèt ſimpliciter ἀδύνατα deliberatè optare nō poſſimus, poſſumus tamen ea deſiderare, quæ ex hypotheſi eiuſmodi ſunt. Quàm multa, & quàm ſtulta ſæpe optamus, circa quæ tamen, niſi mentem amiſerimus, non deliberamus?

Voluntas cō-placentiæ eſt neceſſariorū.

Velleitas eſt quorundā impoſſibilium.

Denique vt liberum arbitrium ſecundùm propriam rationem non eſt abſolutè impoſſibilium, aut abſolutè neceſſariorum: ita idem quoque non eſt abſolutè bonorum, aut abſolutè quoque malorum. Nam vt id, in quo nulla prorſus boni, aut conuenientis ratio apparet, non poteſt complecti: ita e diuerſo id, in quo nulla penitus mali, aut diſconuenientis ratio cernitur, non poteſt auerſari. At pro ſua tamen libertate circa vtrunque oppoſitorum genus ad certum vel incertum tempus actus exercitium poteſt ſuſpendere.

Lib. arbirriū non eſt abſolutè bonorum, nec eſt abſolutè rurſum malorū.

Voluntas circa abſolutè bona & mala eſt libera .libertate contradictionis, non libertate contrarietatis.

Electio proinde circa ea præcipuè verſatur, quę nec abſolutè mala, nec abſolutè rurſum bona, ſed medio quodam modo affecta ſunt. Cuiuſmodi ſunt, quæ & boni, & conuenientis, & mali rurſum, & incommodi, vel diſconuenientis ſpeciem aliquam prę ſe ferunt. Si quid tamen ex huiuſmodi medijs eligit, ſemper ſub ratione boni illud eligit. Sic quoque ſi quid aliquando ex hoc mediorum genere reſpuit, ſemper illud ſub mali, vel incommodi ratione reſpuit. Liberum itaque arbitrium circa media omni ex parte liberum eſt: circa abſolutè autem bona, vel mala, ex altera tantùm parte liberum eſt. Nam etſi non poſſit velle miſeriam, aut nolle felicitatem: poteſt tamen de neutro cogitare, aut actum circa vtrunque ſuſpendere: hoc autem eſt liberum eſſe libertate contradictionis, non etiam libertate contrarietatis, vt in Scholis loquimur.

Lib. arbirriū & electio circa ea verſantur, quæ medio modo ſunt affecta.

Quicquid lib. arbitrium reſpuit, ſub ratione mali reſpuit: quicquid rurſum eligit, ſub ratione boni eligit.

At

At dices forsan : Si liberum arbitrium aut voluntas non possunt in malum ferri sub ratione mali, aut malum velle, vt malum existit : ergo nullus erit vsquam, qui ex certa malitia malè agat, aut peccet ; sed omne omnino peccatum ex errore, aut infirmitate continget ; ex eo nimirum, quòd ratio errore decepta, aut sensualitatis impetu oppressa, aliquid sub ratione boni, ac conuenientis voluntati, aut libero arbitrio obtrudit, quod re vera eiusmodi non est? Ratio probãs nullum dari peccatum ex certa malitia

Ad hanc, siue obiectionem, siue difficultatem, quę profectò non est omnino leuis, nedum nulla ; respondent quidam, voluntatem bifariam considerari posse : Vno modo absolutè, nempe vt est quædam animæ facultas secundùm se omnino libera : altero modo relatè, nimirum vt ab obiecto quopiam idoneo, vel actu mouetur, vel certè moueri nata est. Et quidem hac posteriori consideratione, vt dicunt illi, quodcunque tandem vult, aut eligit, id semper sub alicuius boni, aut conuenientis ratione vult, & eligit : & quicquid ediuerso respuit, hoc semper sub alicuius mali vel incommodi ratione respuit. Quòd si verò priori modo consideretur, nihil, secundùm illos, extat, quod ipsa pro summa sua libertate non queat velle & nolle, nolle & non velle. Atque ita, si isti vera prędicant, voluntas propter innatam illam libertatem, poterit velle malum sub ratione mali, & nolle bonum, vel auersari bonum sub ratione boni. Voluntas bifariam considerari potest: absolutè, & relatè. Opinio quorundam existimantium voluntatem posse ferri in malum sub ratione mali.

Verùm hæc sententia, & cum ratione, & cum certa quoq; experiētię fide pugnat. Nemo enim experitur se hoc vel illud detestari, quia bonū est : aut contrà hoc vel illud sese cōplecti, quia malū est. quin potiùs in vtroq; genere oppositū experitur: nempe nihil quicquā vnquā se auersari, nisi sub ratione mali : nihil quicquam rursum se vnquā consectari, nisi sub ratione boni. Sed & certū quoq; est, nullius omnino naturalis potentiæ vim esse tantam, quę in illud ferri possit, quod intra obiecti Opinatio existimantium voluntatē ferri posse in malum sub ratione mali, pugnat cum ratione & experientia. Nulla naturalis potentia ferri potest in id, quod intra

obiecti sui am plitudinē nō continetur

iecti sui latitudinem nullo modo se continet: nec enim oculus ferri potest in sonum, aut auditus in colorē. Atqui bonum sub ratione boni est obiectum voluntatis in cōsectando: quare etiam Philosophus bonum id esse definit, quod omnia appetunt: Malum autem sub ratione mali eiusdem obiectum est in aduersando.

Obiectum voluntatis, verum bonum, vel apparens bonum.

Ecquid tandem ad argumentum? omnes'ne ergo qui peccant, ex infirmitate aut ignorantia peccant, ex certa autem malitia nullus prorsus? Nę ad omne peccatum aliqua semper ignorantia interuenit; quanuis non omnis statim ignoratio peccantem excusat, aut peccati malitiam eleuat. Affectata enim adeò non excusat, vt magis quoque incuset. Verùm ad hunc locum, vel loci huius explicationem quod attinet, diuus Thomas triplex ignorantiæ genus assignat. Vnum, quo nescitur hoc particulare dictum, factum, vel concupitum, secundùm se malū esse. Alterum, quo ignoratur, hoc dictum, factum, vel concupitū, hoc nunc loco, vel tēpore, vel rerum statu malum esse, tametsi clàm non sit, secundùm se, ac generatim sumptum bonum non esse. Tertium & postremum, quo nescitur, vel non consideratur maius bonum antelatū oportere minori bono: Vel quo stultè creditur minus bonū præponendum esse maiori bono: Vel quo falsò persuasum est, hoc nunc malum perpetrare licere, quô obueniat hoc nunc bonum, quod citra mali illius perpetrationem obtingere non poterat. Qui prima ignorantia tenti labuntur, ij, secundùm eundem, simpliciter ex errore, vel ignorantia peccare dicuntur. Qui secunda, ex infirmitate, vel mentis perturbatione. Qui tertia, de industria, vel ex malitia: Sciunt enim illi, quod faciunt, malum esse, nec vlla, aut loci, aut temporis, aut alia quacunque circunstantia à peccato excusari posse: attamen ne commodo, quod consectantur, frustrentur, scientes volentesque contra legem committunt.

Omne peccatum adiunctā habet aliquā ignorantiam.

12.q.78. ar.1.

Triplex ignorationis genus in triplici peccatorū genere locum obtinet.

Verumenimuerò quòd hæc malitiosi peccati explanatio nimis latè patere, nimisque multos ambitu suo complecti videa-

deatur,(perpauci enim legum præuaricatores comperiuntur, qui,quod faciunt,secundùm se malum,& lege inhibitum esse, etiam hoc loco, & tempore, & rerum statu certò non intelligant) dici potest, non omnes illos, qui scientes in legem præuaricantur,ex certa ac destinata malitia peccare: sed illos demum, qui ipsammet malitiam,vel ipsammet Dei offensam, si non pro formali,saltem pro materiali obiecto habent. Et quoniam non ita multi comperiuntur, qui ideo peccant, vt peccent,hoc est,vt Deum offendant : fit vt peccatum hoc in dęmonibus,ac sempiterni ignis supplicio addictis obtineat familiariùs, quàm in sanę mentis hominibus.

Non omnes, qui sciunt,q̃ faciunt, peccatū esse, ex certa malitia peccant, sed qui ipsam Dei offensam operis sui obiectum habent.

Nō ita multi peccăt ex certa malitia.

At obtinet peccatum hoc & inter quosdam quoque viatores nonnunquam. Inueniuntur enim quidam ita deploratè scelerati,vt cùm secùs,ac sperabant vel expectabant, sors illis ceciderit, pleni furia ac rabie in Deum ipsum impiè insurgant,dirisque conuicijs eundem lacessant, nullum alium insaniæ suę scopum, quàm solam Dei offensionē pręfigentes; vel certè nulla alia re,quàm sola Dei offensa insani animi libidinem explere enitentes.Confingunt enim hoc ipso ab illo se lęsos, quòd improbis eorum studijs non fauerit; & quia alio modo imaginariam illam iniuriam vlcisci non possunt, tota vi insanis maledictis in eum feruntur. Patet ergo, peccatum ex malitia, vtcunque tandem accipiatur, non omnem penitus boni electionem excludere: atque ideo voluntatem cum tota sua illa innata libertate non posse in vllum omnino malum sub mali ratione ferri. His autem dē liberi arbitrij quidditate & natura breuiter, methodiceque prælibatis, nunc vulneris per originis peccatum inflicti qualitatem & quantitatem paucis quoque expendamus. de hac enim re maius cum Antagonistis nobis certamen est, quàm de cæteris omnibus,quæ in liberi arbitrij disputationem cadunt.

Cōperiuntur ex certa malitia peccantes.

Peccatum ex malitia non excludit oēm boni electionem.

Originis peccatum liberum hominis arbitrium non extinxisse, sed tantùm vulnerâsse: atque hoc ipsum ex Scripturis, & Patribus, tum ex ipsa quoque rationis luce, & certa experientiæ fide euidens esse.

TRACTATVS DVODEVIGESIMVS.



Proptius cuiusque potentiæ vsus operatio.

Omnis libertas à Deo est.

Idem hominis & lib. arbitrij finis.

DE causa porrò liberi arbitrij effectrice, deq; vero ac proprio eiusdem fine, quatenus hic à proprijs illius actibus secernitur, (Nam proximus cuiusque potẽtiæ, practicæque virtutis finis est operatio) nulla hîc instituenda est quæstio, nulla disputatio. Cõstat enim omnem omnino libertatem, cùm naturę, tum gratię, tum etiam glorię, Deum Opt. Max. authorem habere. Tum non alium hominis, alium liberi arbitrij finem esse, sed eundem penitus. Sed neq; de ipso quoq; libero arbitrio secundùm se sumpto, prout nimirum quędam animę facultas est, eadem reipsa cum ipsa voluntate, vel ipsamet anima, vel mens cum tali affectione, vel proprietate, multùm hîc nobis laborandum erit. Siquidem nullus verè Philosophus, aut Theologus extitit vsquam, qui hanc mentis vim negaret, tametsi de illius quidditate, & ratione non idem omnium iudicium esset.

Difficultas est de lib. arbitrij viribus.

Alij. lib. arbitrio nimis parum, alij nimis multum tribuunt: alij nimis obscurè & inconstanter de eo differunt

Tota itaq; difficultas est, fuitq́; semp. de liberi arbitrij viribus. Extiterũt enim, q oẽm ipsi, & benè, & malè agendi energiam adimerẽt: Credebant hi illud, nõ secùs atq; primã materiã, ad oẽm omnino motũ, & impressionẽ merè passiuè sese habere. Fuerũt alij, qui nimis multũ ipsi tribuerẽt: Aiebant enim liberũ arbitriũ qduis citra diuinã gratiã prę̃stare posse: nec hoc gratię p̃sidio ad vllũ omnino piũ, vel arduũ opus simpliciter, & absolutè egere; sed tãtùm secũdùm qd, quô nimirũ, quod aliâs facere poterat, minori cũ difficultate, vel, quod in idẽ redit, maiori cũ facilitate perficere posset. Non defuêre tãdem, sicut & hac quoq; tẽpestate nõ desunt, qui hac de re nimis obscurè, lubri-

lubricè,& inconſtanter differerent: Concionabātur enim,liberū arbitriū in politicis & naturalibus aliquid poſſe, in ſpiritalibus verò & tranſnaturalibus omnino nihil, neq; ante ſuſceptam iuſtificationis gratiam, neq; poſt eandem ſuſceptam.

Cęterùm qui vim omnem,omnemq́; proprium vſum libero arbitrio adimebant, non eadē via gradiebātur omnes. Quidam nanq; ex illo grege fatalibus ſtellis conſtringi prędicabant: alij diuina pręſcientia,vel prędeſtinatione impediri: nonnulli fatali quadam neceſſitate,ne quicquam omnino ex ſe poſſet, alligatum teneri contendebant. Multi hac ætate per originis peccatum extinctum clamant. Verùm ſiue quis in pernicioſiſſimi erroris huius patrocinium cum Priſcillianiſtis alleget fatalium ſtellarū vim; ſiue cum Petro Abailardo, Vuickleffio, Luthero, cæteriſq; eiuſdē factionis portentis occultā quandam ineuitabilis neceſſitatis legem; ſiue diuerſam cum Manichæis in vno homine animarum indolem; ſiue ſæuam cum recentioribus quibuſdam originalis peccati tyrannidem; ſiue aliam quamcunque cauſam cum alijs errorum magiſtris: fœdam ſemper cum ſacris literis, ſanctorumq́; Patrum decretis, ac quotidianę experientiæ indicijs pugnam inibit.

Non iiſdem rationibus mouentur omnes, qui lib. arbitrio vim omnem adimunt.

Quicunque lib. arbitrium negant, quacunq; de cauſa id faciant, ſemper cum Scripturis, & Patribus, & ratione pugnant.

Et quāuis hoc ipſum à multis orthodoxis Scriptoribus iam olim,& hac noſtra quoq; memoria euidēter, & quaſi ad oculū demōſtratū ſit: attamē quòd malū hoc,licèt millies cōprimatur,vſq; ſe erigat,ac ſerpat, non grauabimur ex ſalutaribus illis fontibus, ex quibus ſua illa hauſerūt, paucis oſtēdere, Inter plurimos,eoſque vaniſſimos ętatis huius errores, nullum vno hoc,qui omnem,& cōſentiendi,& agendi libertatem homini adimit, extare,aut vniorē, aut rebus humanis infeſtiorē,aut in Deum ipſum blaſphemiorem. Neque enim teter hic error omnem tantùm vitæ ordinem hoc ipſo conuellit & interuertit, quòd omnes leges, omniaque conſilia & iudicia è medio tollit: ſed ipſum quoque bonorum omnium fontem & authorem, omniū ſcelerum ac flagitiorum effectorem & incēſorem confingit. Quod immane piaculum, impiumque, & in Deum

Nullus error vanior, nullus pernicioſior, nullus in Deum ſceleratior eo, qui tollit homini liberum arbitrium.

blaſphemum conſectarium veſani commenti huius patroni adeò non inficiantur, vt illud publicè quoque profiteantur, magnoque conatu vulgò perſuadere nitantur.

In epiſt. ad Rom.

Nos, aiebat Philippus, docemus non ſolùm Deum permittere creaturis vt operentur, ſed ipſum omnia propriè agere. Sicut fatentur proprium Dei opus fuiſſe Pauli vocationem, ita fatemur propria Dei opera eſſe; ſiue quę media vocantur, vt comedere, bibere, communia nobis cum brutis; ſiue quę mala ſunt, vt Dauidis adulteriū, Manlij ſeueritatem animaduertentis in filiū. & alio rurſum loco, In quæſtionem vocatur, Sit'ne libera volūtas, & quatenus libera ſit: Reſpōſio: Quādoquidē omnia, quæ eueniūt, neceſſariò iuxta diuinā prędeſtinationem eueniunt, nulla eſt arbitrij noſtri libertas. Hęc Philippus, quæ alibi, vel rei indignitate exterritus, vel veritatis euidentia conuictus, nonnihil mitigat.

Impia Philippi ſententia de libero arbitrio. In Locis cōmunibus Anno 21. editis.

Aeque inſana, & in Deū blaſphema ſunt, quę Philippi myſtagogus eadē re eructat. ait enim: Liberum arbitrium propter peccatū res eſt de ſolo titulo, & dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter. & infrà: Malè dixi ꝙ liberū arbitriū ante gratiā ſit res de ſolo titulo: ſimpliciter debui dicere, liberū arbitrium eſſe figmentū in rebus, ſeu titulum ſine re: Quia nulli in manu ſua eſt quicquā cogitare, vel mali, vel boni, ſed omnia, vt Vuiclephi articulus Cōſtantię dānatus rectè docet, de neceſſitate abſoluta eueniunt. quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa ſtant omnia lege. & paucis interiectis, Quomodo, inquit, poteſt ſe homo præparare ad bonum, cùm nec in poteſtate ſua ſit, vias ſuas malas facere? Nam & mala opera Deus in impijs operatur. Hęc Confeſſioniſtarū Anteſignani, & protomyſtę de Deo malorū ac ſcelerū omniū authore: à quorū impia doctrina minimè illa abhorrēt, quę eadē de re cōmentus eſt Bucerus, & poſt ipſum Ioānes Caluinus. At q̄ hæc omnia cōtra Deū dirè & impiè, & diuinę Scripturę diſsētaneè ab ipſis diſſerātur, & ꝓpugnentur, iſtuc ex illis ipſis Scripturis, quas hîc nūc ſpeciminis cuiuſpiam loco ſubijcimus, apertè cognoſcere licebit.

Luth. ar. 36. Blaſphema Lutheri de libero arbitrio ſententia.

Nonne

Nonne, inquit Dominus ad Cain, si benè egeris, recipies? « Genes. 4.
sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum erit? Sed sub «
te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. En libertatem Caino libertas in rebus spiritalibus relicta.
Caino, ad cædem & parricidium toto iam pectore anhelanti,
integrè relictam. Nec enim aliud sonant verba hæc, Sed sub te
erit appetitus illius, & tu dominaberis illius, quàm, Promeritam peccati pœnam eiusdemque reatum certò euades, si ex animo id experieris, oblatæque gratiæ non restiteris.

Aequè illustre Catholicæ huic veritati testimonium perhibet, & hoc Mosaicum quoque: Testes, ait, inuoco hodie cœ- « Deut. 30.
lum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & bonum, be- Et hic vitæ mortisque optio datur.
nedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu vi
uas, & semen tuum. & hoc Susannæ: Angustiæ sunt mihi vn- » Daniel. 13.
dique, & quid eligam ignoro. si enim hoc egero, mors mihi
est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed me- Susanna præ peccato, liberè eligit mortem
lius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm derelinquere legem Dei mei. & illud Sapientiæ:

Dulcedinem quam in filios habes, ostendebas: & deserui- « Sap. 16.
ens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat con- Et hic libera proponitur ad vtrumuis conuersio.
uertebatur. Et hoc Ecclesiastici: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit manda- Eccli 15.
ta, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt
te, & in perpetuum fidem placidam seruare. Apposuit tibi His nihil dici potest clarius
aquam & ignem: ad quod volueris, extende manum tuam.
Ante hominem vita & mors: quod placuerit ei, dabitur illi. &
hoc Hieremiæ:

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus " Hiere. 18.
sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiã super malo quod Et hic sermo est nõ de politicis, sed de ijs, quæ ad internę vitæ cõstitutionem obtinent.
cogitaui vt facerem ei. Quòd si fecerit malum in oculis meis,
vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono,
quod locutus sum vt facerem ei. & hoc Ezechielis: Si impius
egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus Ezech. 18.
est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & Certè pœnitẽtia est opus spiritale.
iustitiam, vita viuet, & non morietur. Si autem auerterit se

iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitates, nunquid viuet? & hoc Esaiæ: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. & hoc Christi Redemptoris:

Esai. 1. Ergo in nobis situm est audire & obaudire diuinis mandatis.

Matth. 23 Certè hæc omnia ex instituto de spirituali libertate disserũt.

Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. & hoc eiusdem: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. & hoc Ioannis: Dedit illis potestatem filios Dei fieri. & hoc Petri ad Ananiam: Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? & hoc eiusdem: Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè. & hoc Pauli:

Luc. 9. Ioan. 1. Act. 5. 1. Pet. 5.

1. Cor. 7. Quis liber? qui suæ voluntatis potestatẽ habet. 2. Cor. 9.

Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis. & hoc eiusdem: Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate. hilarem enim datorem diligit Deus. Cui non absimile est alterum illud: Sine consilio tuo nihil volui facere, vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. & hoc tandem Apocalypseos: Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in maxima tribulatione erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

Ad Philem.

Apoc. 2. Ergo ad pœnitentiam conuerti possumus.

En omnia hæc disertissimè ostendunt, liberum arbitrium nostrum, neque per primi hominis peccatum extinctum esse; neque fatali aliqua necessitate constrictum teneri: neque ad vllum omnino bonum in hac vita ita hęrere alligatum, vt inde auelli non possit; neque in vllũ rursum malum tam profundè demersum iacere, vt Christi gratia adiutum inde emergere non queat: Sed sui iuris esse, ac liberum, non solùm in politicis & externis actionibus, verùm etiã in internis & spiritalibus. Quanuis id non eodem modo: hîc enim cœlesti pręsidio

dio opus est, ibi non item.

Et vt Scripturę nullius electionis aut optionis, nullius spontanei aut voluntarij, nullius præcepti aut consilij, nullius præmij aut supplicij, nullius deniq; alterius eiusmodi, quæ voluntatis nostræ libertatē, & apertè & necessariò statuunt, ita vt nemo inficiari possit, nisi aut Scripturas ipsas reijciat, aut ex vero ac proprio sensu ad alienū peruersissimè trāsferat, mentionē facerent: adhuc ingentis arrogantiæ & temeritatis foret, tot illustres Patres ac Ecclesiæ doctores, qui in hanc doctrinę partem tam impigrè incubuerunt, tantaque consensione & eruditione cōtra fidei hostes eandem propugnârunt, tanquam spiritu Dei vacuos, flocci hac in re facere: prę sertim cùm plurimi ex illis nō solùm Theologi, sed summi quoque Philosophi extiterint. Summę temeritatis & impudentiæ est, Patrum consensum reijcere.

Quòd autem vniuersus penè Ecclesiasticorū Scriptorum cœtus, in omni omnino humano opere, cuiuscunque tandem generis vel ordinis illud extiterit, libero arbitrio suas partes deferat, id ne ipsi quidem, qui infamem hunc errorem tam obstinatè defendunt, inficiari audent. Magnum, inquit Caluinus, pręiudiciū mihi attulisse forsan videor, qui Scriptores omnes Ecclesiasticos, excepto Augustino, ita ambiguè & variè hac in re locutos esse confessus sum, vt certum quippiam haberi nequeat. Hoc enim perinde nonnulli interpretabuntur, quasi à suffragij iure depellere ideo ipsos voluerim, quòd mihi sunt omnes aduersarij. En neutiquam obscurè fatetur omnes in hac cōtrouersia sibi aduersari. Verùm ne ea exomologesi causam suam pręgrauet, addit ad vnum omnes, vno duntaxat Augustino secluso, ita obscurè & inconstanter ea de re scripsisse, vt non possit perpetuò non fluctuare, qui hanc cōtrouersiam ex eorum sententia definire velit. Cap. 2. Instit. Caluini sententia de Patrū consensu. Si omnes sunt aduersarij, ergo omnes agnoscūt lib. arbitriū, nam Caluinus id negat.

At quòd hoc Caluini, aut Philippi (nam ex Philippo, vt alia multa, hęc mutuatus est Caluinus) iudiciū sit impudens quædam calumnia, hoc ex ijs planum fiet, quę ex illis ipsis Patribus, quorum inconstantiam pro sua impudentia in ius vocare Caluinus Sycophantam agit in Patres

non

non est veritus, in loci huius firmamentum, iam nunc in medium adferemus. Lubet autem ab illo ipso, vel allegationis, vel confirmationis exordium facere, quem vnũ iste ex omnibus pro se stare, atque adeò de liberi arbitrij ἀυθεντία rectè sensisse ac scripsisse nugatur.

In disput. 2. cont. Fort.

Augustinus: Quod liberum arbitrium si non dedisset Deus, iudicium puniẽdi nullum iustum esse posset, nec meritum rectè faciendi: nec pręceptum diuinum, vt ageretur pœnitentia de peccatis: nec ipsa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum nostrum Iesum Christum donauit. & alio rursum loco:

Lib. 1. c. 2. de grat. & lib. arbitrio.

Reuelauit autem nobis Deus per Scripturas suas sanctas esse in homine liberum volũtatis arbitrium. Quomodo autem reuelauerit commemoro vos non humano eloquio, sed diuino. Primùm quia ipsa diuina pręcepta homini nõ prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret. & infrà:

Quid illud quòd tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium? & infrà rursum: Si non est liberum arbitrium, quo-
Rom. 12. » modo mandatũ est, Noli vinci à malo. Nolite fieri sicut equus
Psal 31. » & mulus. Noli repellere consilia matris tuæ. Noli negligere
Prouer. 1. Matth. 6. » legem. Noli intendere fallaci mulieri. Nolite vobis thesauri-
Matth. 10. » zare thesauros in terra. Nolite timere eos, qui occidũt corpus.
1. Cor. 15. 1. Ioan. 2. » Sobrij estote & nolite peccare. Nolite diligere mundum &c.

Hæc Augustinus in eos, qui negant liberum arbitrium vniuersè, & in eos rursum, qui negant illud in spiritalibus. Contra Astrologos verò & fati assertores hæc, quæ hîc subijcimus:

Lib. 5. c. 5. de ciuit.

Quid est, quòd vno tempore, vno momento, sub vna eademque cœli positione concepti diuersa habeant fata, quæ illos perducant ad diuersarum horarum natiuitatem: & vno momento temporis, sub vna eademque cœli positione, de duabus matribus duo pariter nati, diuersa fata habere non possunt,

Fatum nõ infringit liberũ arbitrium.

ſunt, quæ illos perducant ad diuerſam viuendi vel moriendi neceſſitatem? & contra Fauſtum:

Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitriũ voluntatis, quo vel benè vel malè viuitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus: quanto minùs illius temporalem generationem ſub aſtrorum conditione credimus factam, qui eſt æternus vniuerſorũ creator & Dominus? Contra eos autem, qui diuina pręſcientia, aut prædeſtinatione humanam voluntatem, vel ne agat, impediri; vel vt hoc agat, & nõ illud, vel hoc modo & non illo, cogi, vel occulta quadam neceſſitate adigi mentiuntur, hæc, quę ſequuntur: Lib. 2. c. 5. Fatum in lib. arbitrium nihil poteſt.

Non ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit: imò ideo non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat, quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit, qui ſi nolit omnino, non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit. & paulò antè: Lib. 5. c. 10. de ciuit. Præſcientia Dei voluntatis libertatẽ non infirmat.

Non ergo propterea nihil eſt in noſtra voluntate, quia Deus præſciuit quid futurũ eſſet in noſtra voluntate. Non enim, qui hoc præſciuit, nihil præſciuit. Porrò ſi ille, qui præſciuit quid futurum eſſet in noſtra voluntate, non vtique nihil, ſed aliquid præſciuit: profectò & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas eſt, negare præſcium futurorum: ſed vtrunque complectimur, vtrunque fideliter & veraciter confitemur. Illud, vt benè credamus: hoc, vt benè viuamus. & capite proximè præcedente: Liberum arbitriũ & Dei præſcientia optimè ſimul conſiſtunt.

Nos aduerſus iſtos ſacrilegos auſus atque impios, & Deum dicimus omnia ſcire, antequam fiant: & voluntate nos facere, quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus, & nouimus. & infrà: Non eſt conſequens, vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis Lib. 5 c. 9. de ciuit.

 arbitrio.

arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiusque præscientia continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præsciuit, profectò in eis causis etiã nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit.

Vt humana opera humanæ voluntatis sunt effecta, ita humanæ volũtates diuinæ voluntatis sunt germina.

Tandem quòd liberum arbitrium per primi hominis peccatum non sit penitus emortuum, ostendit idem Pater hac oratione: Quis autem vestrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtique liberi ad benè iusteque viuendum. & infrà:

Lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. cap. 2.

Humanæ volũtatis libertas nõ perijt per originis peccatum.

Ioan. 8.

Lib. 2. c. 5.

Peccato Adę arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem pieque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, & cogitationis adiuta. Hæc eô prolixiùs, & articulatiùs ex diuo Augustino adferre placuit, quô manifestiùs illorum vanitas refellatur, & impudentia confundatur, qui inuictum hunc pugilem, secùs quàm Ecclesia Catholica sentit, & profitetur, de libero arbitrio sensisse ac docuisse inpudentissimè ementiuntur. At iam alios quoque ea de re differentes audiamus, & primò quidem Grecorum illustriores, mox & celebriores vetustioresque Latinos quoque audituri.

Lib. 1. Strom.

Clemens Alexandrinus: Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta sunt, si anima non habet liberam potestatem, & appetendi, & aggrediendi, sed sit vitium inuoluntarium. & infrà: Quæ cùm ita habeant, & liberari ab ignoratione, & à mala delectabilique electione, & ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasijs & visis, situm est

est in nostra potestate.

Origenes: Est & illud definitum Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationalem esse liberi arbitrij & voluntatis: Esse quoque illi certamen aduersus diabolum & angelos eius, contrariasque virtutes, ex eo quòd illi peccatis eam onerare contendunt. Nos verò si rectè consulteque viuamus, nos ab eiusmodi onere exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere, non ita nos necessitati esse subiectos, vt omni modo etiamsi nolimus, vel bona vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, impugnare nos fortassis possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem, non tamen necessitate cogimur, vel rectè vel malè agere. Li. 1. periarc. Nullus bona aut mala agere cogitur.

Iustinus philosophus & martyr: Concedit nos Deus patrare, quę spontè proponimus mala, non per infirmitatē virium, sed vt nostrum arbitrium appareat, & ipsius longanimitas. & alio rursum loco idem: Non solùm vt simus, & vt bonum & malum sciamus ac faciamus, potestatem nobis dedit Deus: sed etiam liberum arbitrium nobis largitus est, nosque dominos fecit pręferendi ac eligendi, quod nobis videatur, ex ijs quæ cognoscuntur. Itaque non est cognitio causa vt simus boni & mali, sed propositum. & infrà: Nos, & id quod in nostra potestate est, differunt inter se. Nos quidem sumus mares & fœminæ: in nostra autem potestate est, esse castos, aut scortatores. Coronamur ergo & punimur propter id, quod est penès nos. Quęst. 1. cont. Sent. Quæst. 8. ad Ortho. Quæst. 9.

Athanasius: Velim tamē intelligas, quòd quemadmodum, non ficti ratione, sed vtentium, partim hęc vasa preciosa redduntur, partim vilia, ex vno eodemque luto confecta: sic ex hominibus non natura, quippe quę mater sit omnium, sed voluntas hos facit supplicio dignos, corona illos & pręmijs. Ad cap. 9. Rom. Voluntatem nos facere vel supplicio, vel præmio dignos

Chrysostomus: Si malignantes à seipsis non sunt, noli tuos seruos castigare; nec vxorem, si peccat, increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendentibus inimicis infensus sis. Nam hi omnes, nisi spontè delinquant, non Hom. 60. in Matth.

 puni-

punitione, sed misericordia digni sunt. Non possum, inquies, ita philosophari. Certè si non illorum culpa quicquam factum esse perspexeris, sed quadam alia necessitate incumbente, non poteris nō ita philosophari. Nam quando seruus ægritudine oppressus iussa non fecerit, non modò non criminaris, verùm etiam valde miserescis.

Orat. Quòd Deus non est author malorum.

Basilius Magnus: Hinc meritò alia quæstio de diabolo nascitur. Vnde diabolus, si non ex Deo, malus? Quid igitur dicemus? Satis facilis quidem responsio. Eadem omnino ratio huius fuerit interrogationis, quam & de hominis iniquitate suprà commemorauimus. Vnde quæso iniquus homo? Ex ipsius libera voluntate. Vnde malus diabolus? Ex eadem penitus causa. Habet enim & ipse liberam in agendo vitam, & insitam optandi potestatem, aut Deum sequi, aut ab eo remoueri. & infrà: Vnde autem omnino mali capax est anima? Quoniā libero facta est arbitrio, quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat. Soluta enim hæc omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens, propterea quòd ad imaginem eius creata est. Bonum quidem intelligit, & iucunditatem illius nouit, potestatemque habet ac facultatem in boni contemplatione & spiritualium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conseruandi. Habet autem & à bono deflectendi quandoque facultatem.

Hominē malum esse ex ipsius libera voluntate.

De lib. arb. cap. 3.

Partis rationalis alteram esse theoreticam, alteram practicam.

Eū qui consultat, esse suarum actionū dominum.

Gregorius Nyssenus: Partis rationalis altera est theoretica, altera practica. Contemplatiua excogitat, qualiter habent ea, quæ sunt. Actiua, quæ & consultatiua, rerum gerendarum rectam rationem definit. Omnis autem qui consultat, quasi in eius potestate existente electione, de operabilibus consultat, vt quod per consilium decernitur eligat, & eligens faciat. Necesse est ergo eum, qui consultat, dominum esse actionum. Si enim non fuerit dominus actionum, ex superfluo habet consultare. Si vero hoc: necessariò igitur vi rationali assistit liberum arbitrium. Aut enim non erit rationalis, aut rationalis

nalis existens dominium suarum actionum obtinebit. dominari autem actionum omnino liberi arbitrij erit.

Gregorius Nazianzenus: Quod ipsum quoque singularis & eximiæ Dei bonitatis argumentum est: nimirum facere, vt nostra quoque aliqua ex parte sit virtus. Nec natura tantùm inseratur nobis, sed voluntate quoque animique proposito excolatur, arbitrijque libertate parem in vtranque partem motum habente. In oratione de laud. Basilij Magni.

Cyrillus: Voluntaria operandi facultate conueniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis liberæ declarare fructum, in bonis operibus dexteritatem. & infrà: Valde puerile est, quòd dicit non potuisse eum amicorum suorum proposita mutare. Oblitus enim mihi videtur, tametsi sæpiùs audierit, quòd homo sit sui iuris, voluntariè vadēs ad quodcunq; sibi placuerit. Ita benè habere gloriam vniuersorum opificis, vt, & qui benè operari voluerint, laudādi sunt, & qui diuersam ineunt viam, vituperandi iustè ab omnibus. Lib. 3. cont. Iuli. Hominem ad quodcunque libuerit voluntariè ire.

Damascenus: Relinquitur igitur, hominem ipsum agentem & facientem, principium esse propriorum operum, & potestate arbitrioque liberum. Si autem nullius principium actionis est homo, superfluè id habet, vt consultet. Nam ad quid vtitur consilio, si nullius actionis est dominus? Omne enim consilium, alicuius actionis gratia est. Atqui optimum & honorabilissimum eorum, quæ in homine sunt, asserere superfluum, absurdissimum profectò fuerit. Si igitur consultat, actionis gratia consultat. nam consilium omne actionis gratia, & propter actionem est. Lib. 2. c. 25. de orth. fid.

Theodoretus Cyri Episcopus explanans illud Dauidis, "Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: "Quemadmodum, inquit, superiùs rores vocauit, hoc in loco pluuiam nuncupauit. Ad vtilitatem nanque discentium, gratia affatim præceptoribus suppeditabatur. Pluuiam enim, doctrinæ irrigationem vocat. Voluntariam autem appellauit ob liberum arbitrium: non enim ex necessitate irrigatur aliquis, sed Ad psal. 67

doctrinæ acquiescens, consequitur gratiam.

Lib.1.in Leuit. Hesychius: Admirabilis est legalium verborum subtilitas, non solùm, quia differentias conuersationũ describit: sed etiam quemadmodum quasdam conuersationes secundùm legem, quasdam verò super legem significet. Secundùm legem enim sunt, boum & ouium oblationes, licèt spontaneæ dicantur. Secundùm legem quare? Quia etsi munus in potestatem offerentis dedit, nimis rectè, (liberi quippe arbitrij Deus, hominem constituit) tamen quale offeratur, non iam voluntatis est, ne forte mala offerantur.

Hominem liberi arbitrij Deum constituisse.

En omnes isti Patres, purioris q; antiquitatis, vt Sectarum ore loqui hîc nobis liceat, Scriptores, eodem spiritu, eodẽ sensu atq; consensu, hominem sui iuris, ac liberum prędicant. Liberum autem non solùm in externis, & politicis, verùm maximè in spiritalibus, & internis. Nam de interna hac, & ingenita circa virtutes & vitia cęteraq; spiritalia libertate illi ex instituto disputant, licèt hinc gratiam non excludant.

Hominẽ non solùm liberũ esse in operibus externis, sed & internis.

Sed nunquid Latini Scriptores de hac humanæ voluntatis libertate, secùs sentiunt, ac statuunt, aut scribunt, aut aliquando senserunt, aut scripserunt, aut statuerũt? Minimè gentium: imò verò multò, quàm Græci luculentiùs, & accuratiùs ea de re differunt, & scribunt: quemadmodum id ex diligenti vtrorumq; lectione, fidaque inter se collatione, & in partẽ ex illis ipsis quoque, quæ hîc iam breuiter obijciemus, quãuis mediocriter eruditus perfacilè cognoscere, ac dijudicare queat.

Epist. 3. Clemens eius nominis primus: Si quis sanè audiens sermonem veri prophetæ, velit recipere, aut nolit, & amplecti onus eius, hoc est, mandata vitę, habet in sua potestate, liberi enim arbitrij. Nam si hoc esset, vt audientes eum, iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant, vis erat quædam naturę, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum

Quemque esse liberi arbitrij.

liberum est animo, in quam velit partem declinare iudicium suum,& quam probauerit eligere viam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.

Irenęus Polycarpi discipulus: Homo rationalis est, & secundùm hoc similis est Deo, liber in arbitrio factus,& suæ potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. & infrà: Illud autem quod ait, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestauit: quia liberum eum fecit Deus ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum scientiam Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim non fit à Deo, sed bona scientia adest ei semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus: posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & Angelis. & capite proximè sequenti: Lib.4.c.7.aduers.hæres. Deum hominem liberum fecisse, nec eũ vi cogere.

Si natura quidam boni, quidam autem mali facti fuissent: neq; laudabiles essent, quia boni sunt, tales enim facti fuerant: sed neq; illi vituperabiles, & ipsi enim tales erãt instituti. Sed quoniã omnes eiusdem sunt naturę,& potentes retinere,& operari bonum; & rursum potentes amittere id,& non facere: iustè etiã apud homines sensatos, quanto magis apud Deũ, alij quidẽ laudantur, & dignũ percipiunt testimonium electionis bonę,& perseuerãtiæ: alij verò accusantur,& dignũ percipiũt damnũ, eo quòd bonum & iustum reprobârunt. & ideo prophetę hortabantur homines iustitiam facere, quia in nobis sit.

Tertullianus: Nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, nõ voluntate. In hoc & lex cõstituta est, nõ excludens, sed probãs libertatẽ de obsequio spontè pręstando, vel trãsgressione spontè committẽda. Ita in vtrunq; exitum patuit libertas arbitrij. Lib.2. contra Marcion. Legem non excludere, sed libertatẽ probare.

Cyprianus: Nec præpositum seruum deseri à quibusdã miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem,& virtutes Dei patris factorum suorũ testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint. Et tamen Lib.1.Epist.3.

ille

ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit: Nunquid & vos vultis ire? seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi, vel mortem appetit, vel salutem.

Hominē suæ libertati esse relictum.

Epist. ad Heb.

Hieronymus: Deus æquali cunctos sorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisque quod velit, siue bonum, siue malum. Intantum autem dedit omnibus potestatem, vt vox impia disputet contra Creatorem suū, & causas voluntatis ipsius scrutetur. & alio rursum loco idem: Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. Nos verò dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur arbitrij.

Hominem propterea dici peccare & nō peccare posse, quòd sit liberi arbitrij.

Lib. de Isaac cap. 3.

Ambrosius: Seruit omnis, qui authoritatem puræ conscientiæ non habet. Seruit, quicunque vel metu, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deijcitur. At verò ille, qui voluntatis suæ arbiter est, iudex consilij, interpres arbitrij, qui coercet corporeæ appetentiam passionis, qui ea, quæ agit, benè agit, benè autem agens, rectè agit, & quæ agit, inculpatè & irrepræhensibiliter agit, habens suorum actuum potestatem, is solus liber est.

Lib. 1. c. 14. de vera relig.

Augustinus: Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non volūtate, sed necessitate seruirent. & alibi rursum: Ipsum igitur liberum arbitrium hominibus esse certa fide credimus, & prædicamus indubitanter.

Lib. 8. c. 10. Moral.

Gregorius Magnus: Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor: quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt:

unt: quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens à terrenis desiderijs, gratia aspirante, suspenditur. Bonum quippe quod agimus, & Dei est, & nostrum est: Dei per preuenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non esset, vnde ei gratias in æternum agimus? Rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui pręmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quòd eius munere præuenimur: & rursum quia nō immeritò retributionē quęrimus, scimus ꝙ obsequēte libero arbitrio bona eligimꝰ quę ageremus. Bonum quod agimus, nostrum dici per obsequentem liberam voluntatem.

Leo primus Pontifex maximus: Non inde processit voluntas interficiendi & moriendi: nec de vno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit. Nec præsciendo, quod faciendum esset, coegit vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret. Serm. 16. de pas. Domi.

Lucidus Presbyter: Iuxta statuta concilij damno vobiscum sensum illum, qui dicit, Humanæ obedientię laborem, diuinæ gratiæ non esse adiungendum. Qui dicit, Post primi hominis lapsum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum. Qui dicit, ꝙ præscientia Dei violenter hominem compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt. Qui dicit, Ab Adam vsq; ad Christū nullos ex gentibus per primam Dei gratiā, hoc est, per legē naturę in aduentū Christi fuisse saluatos, eò quòd liberum arbitrium in primo parēte perdiderunt. In epist. reuo.

Faustus Episcopus: Si liberum arbitrium ex toto perijt, quod vtique in amore innocentiæ, vel operatione iustitię, vel in corporis sanctificatione cōsistit. Si hoc ex toto in primi hominis pręuaricatione sublatum est, quomodo legimus, Iustitiam discite, qui habitatis terram? Nunquid penitus interijt innocentia, quia in primo eius gradu possessor eius stare neglexit? Non opinor. scriptum est enim: Innocentes & recti adhæserunt mihi. Nunquid sanctificatio corporis ex toto amissa Lib. 1 c. 8. de lib. arbit.

 est?

est? quia discussa est prima dignitas puritatis? Non vtique. quia legimus: Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.

Colla. 3. c. 12. Ioannes Cassianus: In quo cõsistit liberũ arbitriũ, si Deus in nobis omnia, quæ ad nostrã perfectionẽ tendunt, & incipit & consummat? Hoc vos rectè mouisset, si in omni opere vel disciplina principiũ tantùm esset, & finis, & nõ etiã medietas interesset. Itaq; sicut occasiones salutis diuersis modis Deũ cognoscim⁹ operari, ita nostrũ occasionib⁹ à diuinitate cõcessis, vel enixiùs, vel remissiùs famulari. Nam sicut Dei vocãtis fuit oblatio, Exi de terra tua: ita Abrahę fuit exeuntis obedientia.

Lib de gratia & lib. arbit. Bernardus: Cęterùm libertas arbitrij cunctis pariter ratione vtentibus conuenit, non minor, quantum in se est, in malis, quàm in bonis. Tam plena in hoc seculo, quàm in futuro. & infrà: Liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolos: ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. Quemadmodum aliud est timere simpliciter, & aliud amare simpliciter, & aliud amare Deum: ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum.

Libertatẽ arbitrij cunctis ratione vtentibus conuenire.

Ad c. 2 epist. 2. ad Timo. Anselmus: Liberum arbitrium dedit nobis Dominus, vt arbitrio voluntatis recedamus ab iniquitate, & simus ex illis, quos ipse nouit suos esse: vel permaneamus in iniquitate, & simus ex illis, quos nouit ad se non pertinere. Nam hoc est aliud signaculum, quod fundamento nostræ fidei apparebit impressum, si propria sponte recesserimus ab iniquitate. Hęc Anselmus, hęc Bernardus, hæc Gregorius, hęc reliqui, quos hactenus citauimus, & longa serie, si vsus id postulâsset, citare adhuc poteramus.

Cur Deus homini liberum tribuerit arbitrium.

Cùm itaque tam clara, tamque illustria non solùm in Scripturis, verùm etiam in sanctorum Patrum monumentis de voluntatis nostræ libertate extent documenta, & testimonia: nulli mirum videri debet, si sacrosancta Synodus Tridentina seueriorem in eos sententiam promulgârit, qui libero arbitrio vim omnem adimũt, aut secùs, quàm catholicum pectus de-

decet, de illius energia, vel synergia sentiunt, aut scribunt, aut publicè disserunt. Verba Concilij sic habent:

Si quis liberum hominis arbitrium post Adę peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Sathana inuectum in Ecclesiam, anathema sit. rursum: Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit. item: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quô ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere, anathema sit.

Sess.6. Can.5 — Can.6. eiusd. — Can.7. eiusd.

His an clariùs de humanis viribus dici possit, non satis video. Attamen quòd misericordiarum pater, pro sua immensa in nos clementia, non solùm limpidissimis diuinarum Scripturarum fontibus, fructuosissimisque sanctorum Patrum lucubrationibus Ecclesiam suam mirificè beare, verùm etiam mente & rationis lumine egregiè nos exornare dignatus est, quô nimirum omnibus his armis ad nominis sui gloriam, sacratissimæque fidei defensionem commodè, & opportunè vteremur: visum est ijs, quæ ex sacris literis veterumque Patrum monumentis in veritatis confirmationem in medium contulimus, pauca adhuc quædam ex Schola & mentis officina petita adijcere. Non quòd magni quippiam apud Sectarios me illis effecturum sperem: (Nam qui Concilia derident, qui Patres inscientiæ & inconstantiæ impudenter accusant, qui Scripturas more suo deprauant, & in partem quoque negant, hos vel nullum, vel perquam exiguum humanis rationibus, tametsi validis & euidentibus, locum concessuros esse, meritò

existimari potest) sed quòd rerum Theologicarum rudes, aduersus diaboli fraudes, ac ministrorum eiusdem, probè munitos, vehementer in Domino exoptem.

At erimus hîc tamen sobrij. Nam vbi tot Scripturarum adsunt pręsidia, vbi tot pręclara vetustissimorum Patrum suppetunt testimonia, ibi naturalibus rationibus explicãdis, vel amplificandis haud magna fortassis cum re insistitur: maximè verò, cum hîc nobis certamen sit, nõ cum Ethnicis, aut infidelibus, sed cum ijs, qui aliud nihil crepant nisi Euangelium & purum Dei verbum, vel certè incorruptum purioris antiquitatis iudicium. Sed ad rem.

Credo equidem nullum in vniuerso illo Elymazitarum contubernio, ita malitia occęcatum, aut iudicio deprauatum, aut animo adeò obstinatum esse, vt humanas actiones causam aliquam habere inficias eat: nullum, qui inter extrema medium aliquod intercurrere perneget: nullum, qui inter lapidum vel iumentorũ, & hominum motus & actiones, eorundemq; motuum vel actionum principia, aliquid discriminis intercedere non agnoscat: nullum, qui in humanæ Philosophię ditione ethicę, in animæ regno rationi, in sensuum choro experientiæ loci aliquid non indulgeat: nullum tandem, qui salutares leges, æqua iudicia, sana consilia, iusta præmia, digna pro meritorum ratione supplicia non laudet, non approbet, non extollat. His autem in totum, vel etiam in partem concessis, non poterit profectò non aliqua humanę voluntatis libertas admitti. At singula propositę argumentationis membra, corundemque robora, quo proposita sunt ordine, nunc paucis expendamus.

Cùm igitur omnes & singulæ humanæ actiones (vt & cętera quoque omnia, quę infra Deum posita sunt) necessariò causam aliquam sortiantur: Si homo proxima illarum causa non est, aut ergo Deus Opt. Max. vera, & propria, & proxima illarum causa est, aut absoluta rerum necessitas, aut fatum, fataliumve stellarum positus, aut natura, aut casus,

aut

aut fortuna. Atqui Deus per se proximum, ac proprium, ac totale omnium humanarum actionum principium dici non potest. Nam quæ proximè, & integrè, & per se ex Deo oriuntur, ea mala esse non queunt: (Deo enim authore nemo fit deterior) actus autē humani, vt ad sensum patet, modò boni sunt, & legi cōsentanei: modo mali, & legi, vel rationi dissentanei. Sed & implicat quoque, opus aliquod humanū esse, & integrè nihilominus & in solidum à Deo esse.

Deum nō pos se esse omniū humanarum actionū proximum principium.

Nec rursum absoluta rerum necessitas illarum causa existit: Nam quæ ineuitabili necessitate proueniunt, ea secùs, ac eueniunt, euenire non possunt, & per consequens eodem semper modo proueniunt: (semper enim Sole ad horizontem nostrum accedente, diescit: ab eodem rursum abscedente, noctescit) At humanæ actiones, & variæ sunt, & admodum incertæ, & inconstantes sunt. Sed nec fatum quoque, aut fatalium stellarum positus, eadem ratione earundem actionum principiū censeri potest: Quãdoquidem vt fatum à fati patronis & assertoribus confingitur necessariū, & modis omnibus indemutabile, ita & illud ipsum quoque, quod secūdùm eiusdem seriē vel ordinē oritur, vel occidit, aut quouis alio modo euenit: (semper enim effecta causæ suæ naturam æmulantur) Atqui quod indemutabiliter euenit, hoc aliter, ac euenit, euenire nequit. Aut ergo non euenit, aut eodem modo euenit. At humanæ actiones non hoc vel illo modo præcisè eueniunt, sed vt casus tulerit, aut homini visum fuerit.

Absolutā necessitatem nō esse etiā causam humanarum actionū.

Fatum quoq; iisdē causam non dare.

Nec denique natura, aut casus, aut fortuna legitimæ rerum causæ existunt. Siquidem natura, & sui similis est, & ad vnum determinata est, &, nisi aliunde impediatur, semper efficax est, hoc est, fine, in quem tendit, aut nō frustratur, aut rarenter frustratur: At verò in actionibus humanis magna comperitur dissimilitudo, magna varietas & vanitas, maxima inconstantia & inefficacitas. Quàm sæpe illæ suo fraudantur fine? Fortuna autem & casus eorum duntaxat causæ sunt, quæ, & raró, & prҿter propositum accidunt: At humanæ actiones, &

Non posse aut naturam, aut casum, aut fortunam earūdem esse causam.

 crebræ,

Hominē esse suarum actionū causam per liberum arbitrium.

crebræ,& vsitatę sunt, & ex destinato contingunt. Relinquitur ergo, hominem per solum liberum arbitrium operum & actuum suorum principium ac dominum esse.

Lib.1 c.1.de lib. arbit.

Hanc ipsam rationē & Gregorius Nyssenus assignat quoque,sed modo ab hoc aliquantulùm diuerso. Omnium,inquit ille,quæ sunt,vel Deum causam habent, vel necessitatem, vel fatum, vel naturam, vel fortunam, vel casum. Dei opus, est substantia, & prouidentia: necessitatis, eorum motus, quæ semper eodem modo habent: fati, ex necessitate ea, quæ per id sunt,perfici,etenim ipsum necessitatis est: naturæ,generatio,augmētatio,corruptio,plantæ,animalia: fortunæ,ea, quæ rarò sunt, & inopinabilia. Casus opus ea, quæ inanimatorum sunt,vel rationis expertium symptomata. Cui igitur ea subijciemus,quæ per homines fiunt, si certè homo non est causa & principium actionum? Non enim fas est Deo adscribere turpes quandoque actiones, & iniustas. Neque necessitati, non enim eorum sunt,quæ semper similiter se habent. Neque fato, non enim cōtingentium, sed necessariorum ea, quæ fati sunt, esse dicunt. Neque naturæ,nam naturę opera sunt plantæ, & animalia. Neque fortunæ,non enim rarò, & præter spem sunt hominum actiones. Neque casu,inanimatorum enim sunt,& irrationalium συμπτώματα. Relinquitur ergo, ipsum agentem & facientem hominem, principiū esse propriarum actionum, & arbitrio liberum.

Quod de medio porrò inter duo extrema in eadem illa argumentatione dicebatur,huc tendit. Constat inter agentium classes aliquod extare, quod & liberè, & ex nihilo producit. Cuiusmodi agens,est solum primum agens: Solus enim Deus liberè agit,neque ad extra materiam vllam,ex qua agat,necessariò deposcit. Est aliud rursum agens,quod necessariò operatur,& ex nihilo non operatur. Cuiusmodi omne illud est,quod mente & ratione destitutum est. Nam quicquid eiusmodi est, id agitur veriùs, quàm agit. Erit ergo aliquod agens,quod ex aliquo operetur, neq; tamen necessariò operetur. Nam vt aliquod

quod agẽs ſit, quod aliquod opus ex nihilo moliatur, & tamen neceſſariò illud moliatur, id planè eſt impoſſibile. Iſtiuſmodi autem medium agens, eſt homo, & Angelus. Homo igitur arbitrij libertate pollet.

Idem validè corroborãt, quę de motuum, deq; principiorũ eorũdem diſcrimine, in tertio eiuſdẽ ratiocinationis membro adferebãtur. Certũ eſt enim, vt non vna motuum omnium eſt ratio, ita nec eadem quoq; motuũ omniũ principia exiſtere. Quid intercedit? Multũ per omnẽ modũ. Sunt enim, quę nullã motus ſui cauſam ſortiũtur, vt ſunt ea omnia, q̃ externa vi adacta, cõtra naturę ſuę inclinationẽ quoquouerſum impelluntur. Sunt alia, quę motus ſui principiũ in ſe includunt: & hęc rurſum bipertita. Quędam nanque ex his ſeipſa mouent, vt viuentia omnia: Alia ſeipſa non mouent, nec mouere poſſunt, tametſi motus ſui principio non deſtituantur. Huius ordinis ſunt elementa, & pleraq; ex his conflata. Hæc enim licèt per formã ſuã moueri nata ſint, ſeipſa tamẽ propriè non mouent, nec mouere poſſunt, vt quę partes, & partes, hoc eſt, partes motas & mouentes, nullas habeant, mouentur autem per generationem. Sed & ea quoque, quę ſeipſa mouent, nõ eodem modo ſe mouent omnia. Siquidem quędam ex ijs naturæ inſtinctu aguntur veriùs, quàm vllo omnino iudicio agant: Alia verò certo animi propoſito actiones ſuas inſtituũt: & hęc ſola inter omnia verè libera ſunt, & rectè libera appellantur.

Sed, cur, inquis, inter omnes animantes, ſoli homines iudicio & ratione agere dicuntur? Vt in quibuſuis rebus naturalibus inuenitur forma naturalis, per quã hoc ipſum ſunt quod ſunt: & inclinatio rurſum ad opus, quę eiuſmodi formã conſequitur, q̃ appellari poteſt appetitio naturalis, ex qua deinde promanat actio naturę cuiuſque rei conueniens: (vtrunque enim, & forma, & appetitus, qui formam conſequitur, eſt propter opus) Ita in homine pręter formam eſſentialem, qua intrinſecè abſoluitur, cõperitur altera quędam forma nõ innata, ſed ſenſuũ & rationis opera comparata: & propẽſio rurſum vel appe-

Cur inter omnia animantia ſoli homines iudicio agant.

appetitio eiuſmodi aſcititiam formam conſequens, ex qua deinde oriuntur omnes ſuperioris appetitus actiones.

Inter has autē formas, præter cętera, hoc intercedit, quòd hęc illa multò communior, multoque vniuerſalior exiſtat. Nā cùm naturalis rei forma ſit indiuidua, (Indiuiduatur enim per materiam, in quam recipitur) inclinatio vel appetitio, quę iſtiuſcemodi formā naturalē cōſequitur, neceſſariò ad vnum aliquod eſt determinata. At verò forma, vel ſpecies intellectus, cùm materiæ ſit expers, quemadmodum & ipſe quoque intellectus, cui inſidet, cùm in repręſentando, tum etiam in efficiendo eſt vniuerſalis, multas particulares virtute in ſe complectens. Cùm ergo actus omnes ſint ſingulares, & ſingularium, nullusque ex omnibus quantumuis nobilis formæ vniuerſalis vim exæquet, aut potentiam illius exhauriat: fit vt rationis iudicium, & per cōſequens voluntatis deſiderium, (Talis nanque eſt inclinatio, qualis eſt appręhenſio) ſemper ad hoc, vel illud, vel iſtud, maneat liberum, & indeterminatum. Certum eſt enim, qui communē ciſtellæ formam mente concepit, multas illum particulares ciſtellarum formas rationis opera inde deducere poſſe, deductasque voluntati acceptandas, vel repudiandas proponere.

Porrò autem principium actionis in brutis animantibus medio modo affectum eſt. Nam etſi forma, quam per ſenſum haurit pecus, ſit ſingularis, non ſecùs atque forma illius naturalis, atque ideo hac ex parte ad vnum ſit determinatum: attamen quia non ſemper eandem appręhendit, ſed modò hanc, modò illam, exempli cauſa, modò triſtem, modò lætam; accidit, vt modò fugiat, modò conſectetur. Patet ergo vtrunque, nempe hominem iudicio & ratione agere, & per conſequens liberè: & cauſa rurſum, cur hic liberè agat, non etiam brutum.

Qui liberū negant arbitriū, pugnare cum manifeſta ex-

Quòd autem omnes illi, qui liberū arbitrium negant, cum manifeſta experientia pugnent, vniuerſamque hominis naturam, & omnem preterea moralem Philoſophiam, imò verò

omnem

omnem verę ſapientiæ ſenſum, penitus euertant, operoſa probatione nulla indigeret. Nemo eſt enim, qui non animaduertat, ſi quid tamen animaduertit, quicquid tandem agit, molitur, vel inſtituit, ſe liberè agere, & inſtituere, ac moliri: hoc eſt, illud ipſum, quod agit, non agere, non moliri, non inſtituere, vel etiam oppoſitum moliri, vel inſtituere, vel agere potuiſſe, & poſſe.

perientia, & hominis naturam & philoſophiam moralē euertere

Sed nec dubium quoque homini præſertim erudito eſſe poteſt, in idem redire, negare hominē ſui iuris vel liberum eſſe, & negare mente vel ratione orbatum eſſe: Siquidem liberum vel ſui iuris eſſe, & ratione præditū eſſe, inter ſe reciprocant. Quicunque Deū accuſant, inquit Gregorius Nyſſenus, quòd hominem non fecerit vitiorum neutiquam ſuſceptibilem, ſed arbitrio liberum, ignorant ſe Deum accuſare, quòd rationalem fecerit hominem, & non rationis expertem. Neceſſe eſt enim horum duorum alterū, vel irrationalem productum eſſe, vel rationalem exiſtētem, & circa agibilia verſantem arbitrio liberum eſſe. Ex neceſſitate igitur omnis natura rationalis libero arbitrio eſt, & ſecundùm ſuiipſius naturam vertibilis eſt.

De lib. arbit. cap. 1.

Eodem tendunt & hęc Baſiliana quoque. Is, inquit ille, qui creatorem incuſat, vt parum prouidum, parumque conſulentem naturæ humanæ, quòd nobis peccandi non eripuerit arbitrium, nihil aliud opinari videtur, quàm naturā ratione carentem, ea quę rationis particeps, potiorem eſſe. Hæc Baſilius. Si ergo nobiliores hominis vires liberæ non ſunt, nec ratione quoque compotes erunt.

Lib. ꝙ Deus non ſit cauſa mal.

Cęterùm quòd hi vniuerſę moralis Philoſophię fundamēta conuellant, penituſque euertant, qui humanę voluntatis libertatem negant, id apud verè Philoſophos quæſtionem nullam habet. Nam vt naturalis philoſophia, ſi motū tollas, conſtare non valet: neque tranſnaturalis, ſi omnē omnino à materia, & materiali affectione abſtractionem pręſcindas: ita neque moralis quoque incolumis ſubſiſtere poteſt, ſi liberum arbitrium è medio ſubmoueas. Nam vt Metaphyſicus de vniuſ-

cuiusque οὐσίᾳ, substantijsque à materia seiunctis: ita Ethicus disputat de virtutibus & vitijs, deque cæteris omnibus, quæ vel ex his oriuntur, vel ex quibus hæc ortum ducunt: at hæc omnia voluntatis libertatem deposcunt.

De lib. ar. c. 1.

Meditari, inquit Gregorius Nyssenus, & exercitari in nobis positum est. Meditationes autem habituum sunt causæ: mos enim natura est acquisita. Quòd si causæ habitus meditationes sunt, & in nobis est meditatio, ergo & habitus quoque in nobis erit. At quorum in nobis habitus sunt, horum & actiones, quę sunt secundùm habitus, in nobis quoque existent. Operationes enim habitibus adhærent. Qui igitur iustum habitum possidet, iusta operabitur; & qui iniustum, iniusta. In nobis itaque est, & iustos, & iniustos esse. Qui igitur liberum arbitrium tollunt, omnem iustitiam, & fortitudinem, & temperantiam, omnemque aliam virtutem & studiosam actionem, & per consequens vniuersam morum scientiam è medio tollunt.

Omnem eos tollere virtutem, qui liberum auferunt arbitrium.

Tandem si nulla in homine extat facultas assentiendi, vel non assentiendi; faciendi, vel non faciendi, vel etiam oppositum faciendi: sed quicquid facit, dicit, aut instituit, id totum non potest non dicere, non facere, non instituere: vndecunque tandem hæc vis adferatur, vel hæc necessitas proueniat: nullus ex consequēti in vniuerso hoc sublunari orbe, aut laudi, aut vituperationi relinquetur locus. Si enim, quod facio, vel dico, vel instituo, aliter, ac facio, vel dico, vel instituo, aut facere, aut dicere, aut instituere nō valeo: nullam promereor laudem, aut commendationem, nullam rursum repræhensionem, aut vituperationem.

Sublato libero arbitrio, tolli omnem & laudem & vituperationem.

Nullus rursum consultationi, aut deliberationi, aut disquisitioni. Nam de his, quæ aliter euenire non possunt, frustra instituitur omnis deliberatio, omnis cōsultatio, & omnis inquisitio. Quis enim, nisi mente captus, de Solis ortu deliberet, aut de corporis morte perpetuò propulsanda consilium ineat? Nullus pugnæ aduersus peccata, aut insita naturę vitia. Quis

Tollitur pari ratione omis consultatio, & deliberatio.

enim

enim pugnet cum hoste, si citra pugnam victoriam obtinere queat? aut pugnando nihil quicquam efficere valeat? & hoc certò sciat? Atque ideo incassum illud nobis occineretur: Declina à malo,& fac bonum.& illud: Fugite fornicationem. & illud: Nolite inebriari vino,in quo est luxuria: & alia eiusmodi sexcenta. Psal. 36. 1.Cor. 6. Ephes. 5.

Nullus salutaribus legibus, nullus statutis, aut sanctionibus. Vt quid enim mihi indicitur pax, inhibetur furtum,cōsulitur carnis & mūdi odium, si propter fatum, aut originis peccatum, aut aliud quodcunque eiusmodi impedimētum, consulta capessere,prohibita relinquere, pręcepta explere nō valeo? Nullus pręmio aut vlli omnino supplicio. Hæc enim, vt nemo nescit,ponunt meritum,hoc autem liberum arbitrium. Nullus denique virtuti aut vitio,admonitioni aut obiurgationi,doctrinæ aut institutioni.

Cùm hęc omnia igitur sint absurdissima, & ab omni sensu & ratione prorsus aliena, quod de hominis libertate in Ecclesia Catholica doctum, creditum, ac traditū est semper & constanter,hoc nos quoque non credere, non docere, pro viribus non tueri non possumus.Neq; pluribus nunc ea de re agendū censeo: pręsertim cùm multò,quàm initio statueramus,prolixiùs de insigni hac controuersia hactenus disseruimus.

Quæ ex Scripturis, vel Patribus,ab hęreticis contra humanę voluntatis libertatem adferuntur,ea à multis iam olim eruditis ac pijs viris ad nauseam vsq; discussa ac refutata sunt: & ex his,quę de libero arbitrio, vel hoc ipso loco in mediū allata sunt, nullo penè negotio dilui poterunt. Quassata sunt hîc enim & labefacta omnia fundamenta, & firmamenta, quibus Sectarij nituntur.Solùm monuerim,quum Scripturæ,vel Patres libero arbitrio omnia tribuere videntur, non excludere Christi gratiam: neq; contrà liberum arbitrium, dum omnia adscribere videntur gratiæ. Credunt enim, & constanter tradunt,in omni omnino opere iusto,duo hęc indissociabili quodam societatis vinculo inter se apta atque connexa esse.

Si non, inquiebat Augustinus, est gratia, quomodo Deus saluat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum? Si non erat morbus, cur frustra medicus? Si ex nobis possumus quasi ex nobis, cur Deus dicit: Sine me nihil potestis facere? aut si nihil possumus, aut nihil agimus, sed solus Deus agit, quid est ergo quod Apostolus ait: Omnia possum in eo qui me confortat? & quomodo imperatur nobis, vt velimus, & operemur, si non est in manu nostra quicquam penitus facere, aut secundùm mandatum, aut contra mandatum? cur laudamur quia facimus, aut vituperamur quia non facimus? Hæc Augustinus, & alia multa in eandem sententiam.

Cur ea quæ s.iungi non possunt, tū in Patribus, tum Scripturis quandoque disiūgantur.

Sed quæris forsan, Cur Scripturę & Patres quoque interdum seiungunt, quę à se inuicem seiungi nequeunt? Sanè id non faciunt, quòd vel ipsi vel ipsę secum pugnēt, vel quô nos in errorem ducant, absit hoc: sed quô in pia quadam mediocritate nos contineant. Etenim Scripturę illæ, quę omnia tribuere videntur gratiæ, admonitos nos voluerūt, ne id nostris admetiamur viribus, quod solius Dei proprium est: atque adeò fategerunt superbiæ nostræ frænū inijcere, non liberum arbitrium tollere: Contrà verò quę omnia adscribere vni libero arbitrio, illę ignauiam nostram excitare studuerunt, non etiam gratię necessitatem excludere. Poterat enim malesanus quispiam exoriri, qui ita ratiocinaretur: Si nihil sum, si nihil valeo aut possum, sed gratia Dei vel Deus ipse per se facit omnia: cur ingrato labore me conficio? quorsum ante tempus me excrucio? Ne ergo in hoc vel illud extremum incideremus, Spiritus sanctus ea sapiētia & suauitate amanuensium suorum stylum moderatus est, vt & liberi arbitrij vires apertè palparemus, & diuinę nihilominus gratię munus nō ignoraremus.

Cęterùm quid liberum arbitrium ex se cum generali vel speciali Dei Opt. Max. auxilio possit, quid item cum gratia iustificante, vel inhęrente; & alibi explicatum est fusè, & in

& in disputationis huius initio indicatum est denuo succinctè; neque vlla iam noua ea de re instituenda est tractatio aut disceptatio. Nobis impræsentiarum sat sit, clarè hîc ostensum, quod hoc loco ostensum volebamus, nempe liberum hominis arbitrium per originis peccatum non penitus esse extinctum, ita vt sit inane tantùm nomen, aut titulus sine re: sed adhuc viuere & valere: ad malum quidem plùs satis, ad bonum autem morale minùs, quàm in statu naturæ integræ: ad bonum autem spiritale meritoriũ seclusa gratia, nihil omnino. Illi, qui liberum arbitrium suaque gratia sanat & tantùm in bono confirmat, sit honor & gratiarum actio in secula seculorũ, Amen.

Augustæ Vindelicorum Idibus Iunij, 1575.

LAVS DEO.



AD REVERENDVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM, D. AMBROSIVM MAIERHOVERVM, AD DIVVM EMMERANVM RATISBONAE ANTISTITEM, AVTHORIS PRAEFATIO.



VT de vulneris ratione, Pater in Christo admodum reuerende, quod Adami ſcelere naturæ noſtræ inflictũ eſt, magna iam olim inter Catholicos Catholicæque fidei hoſtes cõtrouerſia extitit, neque parua etiamnum ea ipſa de re inter hos & illos exiſtit: ita de inflicti vulneris huius medico, infuſique veneni antidoto, hoc eſt, de Chriſto, eiuſdemq; ſatisfactione & merito, non eadem quoque omnium fuit & eſt opinio. Quanuis enim Sectis addicti plerique omnes filium Dei ſalutis noſtræ cauſa hominem factum & mortuum non diffiteantur: Imò verò magnifica quædam de illius ſatisfactione & merito crepare ſoleant: reipſa tamen vtriuſq; virtutem & energiam inficiantur. In confeſſo eſt enim, Verbum Dei ob id potiſſimùm ad humanæ naturæ miſerias ſe demiſiſſe, mortemque deguſtâſſe, quô peccati regnum deſtrueret, cœleſtique patri per ſuum ſanguinem

nem verè nos reconciliaret. At illi, vel superbia dementati, vel malitia occæcati, vtrunque hunc effectum minimè obscurè negant. Docent nanque, Peccatum per Christi meritum non tolli, sed tegi: non aboleri, sed, ne in pœnam imputetur, dissimulari: non euelli, sed crescentium pilorum instar] exteriùs tantùm abradi. Docent nihilosecius, nullum mortalium per propriam iustitiam aut sanctitatem Christo incorporari, sed ipsammet Christi iustitiam & sanctitatem his, qui in illum credunt, accommodari, quadamque extrinseca ratione & denominatione imputari. Catholici porrò diuersam ab hac viam ingressi, certæque diuinarum Scripturarum authoritati innixi, vtrunque mortis Christi effectum integrè agnoscunt: Credunt enim publiceq; profitentur, Peccata per Christum non tegi, sed verè tolli: non abradi, aut dissimulari, sed aboleri, stirpitusque euelli. Tum non alienam his, qui idonei sunt, iustitiam infundi, sed suam cuique propriam: prout sua quoque cuique propria originis iniustitia cohæret.

Verumenimuerò licèt orthodoxè instituti vtrunq; beneficium, cæteraque omnia, quæ hæc consequuntur, vel his connexa sunt, per Christi meritum & satisfactionem nobis obtingere piè Catholiceque agnoscant: & vtrunque rursum magna cum gratiarum actione suscipiant: de ipso tamen satisfactionis modo & ratione nonnulli ex illis quæstionem mouent. persua-

ſum enim, neſcio quomodo, habent, debitum à nobis conflatum maius extitiſſe, quàm vt à quoquam omnino ad iuſtum diſſolui potuerit: atque adeò ſatisfactionem, quam Verbum incarnatum noſtri cauſa exhibuit, non tam operum menſura, numero, ac pondere niti, quàm cœleſtis patris liberalitate, gratuitaque eiuſdem acceptatione. Quia ergo iſthæc de iniquo ſatisfactionis pondere doctrina ita tolerata eſt hactenus, vt tamen Chriſti maieſtati & dignitati non ſatis videatur conſentanea: ſicut altera illa de imputata Chriſti iuſtitia imaginariaque peccatorum condonatione, apertè eſt hæretica: exiſtimaui rem non omnino inutilem, neque ab inſtituto meo alienam me facturum, ſi modeſta diſputatione contra vtroſque ſuſcepta, breuiter oſtenderem Chriſtum Deum non minùs verè ac propriè ſua nos gratia mundare, ſanare, & ſaluare, atque Adamus ſuo nos peccato verè commaculat, ſauciat, certæque damnationi & morti obligat: atque ideo Catholicos, qui id publicè profitentur, firmiterque, vt modò dicebamus, perſuaſum habent, multò plus citra vllam comparationem tribuere Chriſti merito & ſatisfactioni, quàm eiſdem tribuant Sectariorum gregi adſcripti. Tum rurſus Chriſtum Seruatorem noſtrum non ex parte, aut precariò pro peccatis noſtris feciſſe ſatis, vt opinati ſunt ex Catholicis pauci quidam: ſed cumulatiſſimè & perfectiſsimè. Tum denique rationes & argumen-

ta, quæ illi ipsi contra cumulatam incarnati Verbi satisfactionem adferunt, aut quouis quoque modo adferre possunt, neque firma esse, neque vlla ex parte digna propter quæ communis Theologorum sententia deseratur, aut quouis modo in dubium vocetur.

Quicquid autem operæ in hoc opere positum est, hoc totum secundùm Deum amplitudini tuæ dedicatum cupio. Neque enim video, quî ingratitudinis labem effugere queam, si nullo argumento singularem illam humanitatem & beneficentiam, qua R. P. T. ergame meosque collegas vsa est, gratam nobis extitisse testatum faciam. Enimuerò cùm nunquam me antea vidisset, neque vllam ante id tempus, vt equidem opinor, cum nostris consuetudinem habuisset, primo statim aspectu non aliter nos excepit complexaque est, ac proprios in Christo filios. Sed neque primo illo congressu tantùm effusum planéque paternum in nos animum declarauit, sed inde exorsa nunquam omni officiorum genere prosequi complectique nos destitit. Possem plurima euidentia eius rei testimonia in medium adferre, sed superuacaneum existimo: Sat sit, nulla apertæ beneuolentiæ indicia, nulla Christianæ charitatis officia vnquam hîc fuisse desiderata. Pro istis itaque minimè exiguis, non in acceptorum beneficiorum compensationem, (neque enim æs alienum in sacro hoc loco contra-

ctum

ctum tam citò diſſoluere cupio: neque, ſi cupiam facilè quoque id valeam) ſed in qualemcunque grati animi ſignificationem, accipe exiguum hunc libellum: & accipe eo animo, quo offertur, ſicut pro tua humanitate & charitate accepturum nihil quicquam dubito, hoc eſt, beneuolo & candido. Malui enim exiguum quippiam offerre, quàm omnino nihil: præſertim hoc tempore, quo propter noui honoris acceſſionem, cæteri quoque amici & familiares ſuum erga amplitudinem tuam ſtudium certatim declarare ſtudent. Ea enim R. P. tua ornata eſt prudentia, & in rebus adminiſtrandis induſtria; ea grauitate morumque ſuauitate prædita, vt grauiſſimo omnium iudicio digna apprimeque idonea cenſa ſit, quæ ad ſummum ampliſſimi loci huius magiſtratum eueheretur, magnaque omnium gratulatione ſummus ad diuum Emmeranum Antiſtes publicè renunciaretur. Quod quoque præſulatus munus nequaquam ambitum, ſed vltro oblatum, tanta ſapientia, fide, & religione adminiſtrat, vt meritò gaudeant, ſibique de ſua electione gratulentur tui omnes. Neque dubitare poſſumus, ex præclaris A.T. virtutibus cõiecturam facientes, quin eo ſtudio, fide, & diligentia in poſterum illud adminiſtratura ſit, vt iure de miniſterio ſuo conqueri poſſit nemo: ipſaque lætum illud frugi & fidelis ſerui eulogium: Euge ſerue bone & fidelis, quia in paucis fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam:

Oo 2 in-

intra in gaudium domini tui : lęta olim auditura ſit. Quod per ſuam gratiam faxit ille, qui te ſuper familiam gregemq́ue ſuum prudentem œconomum, vigilemq́ue paſtorem conſtituit : idemq́ue R. P. T. Religioſo Sodalitio ſuo in multos annos tueatur incolumem, Amen. Vale. Ratisbonę Anno M. D. LXXV. Idibus Octobribus.

R. P. & A. T. deditiſſimus

Theodorus Peltanus.

THEO-

THEODORI PELTANI, SOCIETATIS IESV THEOLOGI, DE CHRISTI SATISFACTIONE, ET MAIESTATE.

Quæ primi parentis noxa conciderant, ea Deum Opt. Max. per filium ſuum inſtaurare voluiſſe. Alia ratione inſtaurare potuiſſe: Conuenientiori, nobiſque ſalubriori modo redintegrare nequiuiſſe.

CAPVT PRIMVM.

IN priori volumine de eo parente à nobis diſputatum eſt, qui, & mortis, & rebellionis, & iniuſtitiæ, & dolorum, & ęrumnarum, & exilij, & omnium denique calamitatum ac miſeriarum author nobis extitit; In hoc porrò de eo diſſerere opportunũ viſum eſt, qui nos in ſordibus iacentes, humique miſerandum in modum proſtratos, clementię ſuæ dextera rurſum erexit, mortiſque concluſos carcere in lucem atque libertatem denuo extulit.

Author miſeriarũ Adam.

Libertatis noſtrę author Chriſtus.

Digni eramus ſanè, qui in contracto ſitu, ſqualoreque, & luctu perpetuo relinqueremur: vt qui, vitæ totiusque ſanctimonię fonte deſerto, ad impijſſimi hoſtis caſtra vltro deſciuiſſemus. Verùm miſericordiarum pater non ita, vel noſtra indignitate, vel primi parẽtis præuaricatione (huius nanque ſcelere primam mali labem contraximus, certumque ad omnem nequitiam gradum fecimus) à genere noſtro abalienatus eſt, vt ſtatim illud tanquam inſanabile, prorſuſque deploratum omnino abs ſe abijceret. Quin potiùs, quod primi hominis noxa malè quaſſatum, peneque euerſum fuerat, hoc ille pro ſua immenſa miſericordia, & in ſtirpem noſtram clementia;

Non noſtro merito in libertatẽ vindicati ſumus, ſed ſingulari Dei beneficio.

alterius virtute, ac meritis iterum sarciendum, nec non in integrum restituendum existimauit.

Angelus mortalium genus in locū, vnde deciderat, restituere nequibat.

Cuius, obsecro, alterius? Non Angeli profectò: Angelus enim, neque per se pati, neque naturam, in qua pateretur, assumere poterat: neque, vt id fortè potuisset, aut posset, in integrum quoque illud statim, quod collapsum erat, redintegrâsset: Longè enim maius erat contractum à nobis debitum, quàm λύτρον, quod is vel extrema conatus dependere valebat.

Homo hominem redimere nō poterat

Nec hominis rursum: Siquidem homo in quamcunque partem, aut formam se verteret, eò sanctitatis euadere non poterat, vt naturæ vitium, quo obligatus tenebatur, ex vniuerso animæ regno integrè profligaret. Nec eò fortitudinis, vt mortem, quam debebat, expugnaret. Nec ad eam animi ἀπάθειαν tranquillitatēque, vt nullos vnquā illicitos motus intra viscera sua grassantes sentiret. Nec eò demum felicitatis, vt earum miseriarum, quas præsens hæc vita secum adfert, expers viuere posset.

Dæmones humanæ saluti infesti.

Nec mali dæmonis tandē: Dæmon nanque seipsum damnationis vinculo expedire non valet, nec studet, nedum homines, quos ille infestissimè alioquin odisse solet.

Solus Christus Iesus perfectè sanare & liberare nos potuit.

Cuius ergo? Illius vtique, qui solus inter omnes & omnia nulli debito obstrictus tenebatur, solusque debitum omne à nobis contractum integrè exoluere poterat; & integrè quoque dependere volebat.

Deus alia ratione, quā per filium suum, humanū genus instaurare poterat.

Poterat'ne secùs velle, aut secùs quoque facere? Poterat sanè: Quid enim obstaret, quô minùs id posset? Non potentia: potest nanque, quicquid vult, & quantum vult, & quando vult. Nec rursum sapientia: penetrat enim exploratáq; habet exactè omnia etiā intima. Nec deniq; iustitia: Quandoquidem vbi nihil adest, quod patitur iniustè, ibi communi lege nihil quoque adesse solet, quod agat iniustè: (sunt enim isthæc inter se inuicem veluti relata) Atqui si Deus Opt. Max. humanum genus absque vlla prorsus satisfactione in pristinam dignitatem adseruisset, nihil quicquam hinc ex tota rerum vniuersitate vllam omnino iniuriam accepisset. Non homo: nihil

hil enim aliâs debitum illi hac ratione ademptum fuiſſet: quin potiùs aliquid alioquin indebitum gratuita hac condonatione illi acceſſiſſet. Nec diabolus rurſum: quia nihil ille veri iuris in hominem allegare poterat, vt quem dolo ac fraude indignis modis circunueniſſet. Imò verò ob inſignem illam impoſturam ipſe nouum debitum ſibi conflârat. Nec Deus tandem: Siquidem nullus ſciens ac volens iniuſtum patitur.

Nullum ius diabolo in hominē conueniebat.

Sciens & volens nō patitur iniuſtum.

Mitto hîc, eiuſdem rationis eſſe inſigne aliquod munus gratis impertiri, & debitum aliquod inſigne liberaliter condonare. Si quiuis ergo ſui iuris exiſtens, ſalua per omnia iuſtitiæ lege, imò verò cum virtute & laude, poteſt alteri inſigne aliquod donum impertiri, vt reuera poteſt: & aliquod rurſum inſigne debitum condonare: poterit profectò hoc ipſum & Deus quoque, vt cuius potentia & miſericordia modum omnem excedat: & per conſequens quicquid vſquam debitorum extabat, totum hoc ille gratis, citra vllam omnino ſatiſfactionem, quæ, vel ab ipſo, vel alio quouis dependeretur, relaxare poterat. Quòd ſi Chriſtum pati oportuiſſe alicubi legatur, & ita intrare in gloriam ſuam, hoc ad abſolutam aliquam neceſſitatem neutiquam referendum eſt, ſed ad liberam Dei ordinationem: Voluit is enim liberè, & ſi non abſque ratione, vt ita fieret: & vt liberè voluit, ita liberè quoque per Prophetas ſuos olim id fore prædixit: Et quod liberè voluerat, libereque ordinauerat, & fore prædixerat, id tempore à ſe præfinito, per filium ſuum liberè quoque expleuit.

Eiuſdē rationis eſt munus impertiri, & debitū condonare.

Deus citra vllam ſatisfactionem ad regnum admittere nos poterat.

Luc. 24.

Verumenimuerò licèt nulla omnino lex, aut vis, aut neceſſitas præpotentem Deum ad illuſtre illud redemptionis noſtræ opus operiſve modum adigeret, nec vlla quoque adigere poſſet: Attamen ne, vel noſtram ſalutem, vel ſuam quoque iuſtitiam flocci facere videretur, voluit illud exhibere, & eo quidem modo, quo exhibitum eſt. Cur eo modo?

Nulla iuſtitiæ lex adigebat Chriſtum ad mortem.

Quia

Redēptionis nostrę modus prænobilis, nobisque salutaris. Quia vnus hic fuit omnium nobilissimus, nostræque saluti omnium conuenientissimus. Certum est enim multis partibus honorificentius id haberi, quod cum merito habetur, quàm quod citra meritum: at quod per iustam satisfactionem obtinetur, hoc vtique absque merito non obtinetur. Aequè certum est hominem per fidem, spem, charitatem, humilitatem, mentis corporisque castimoniam, aliasque id genus virtutes, virtutumque functiones satisfactionis huius participem effici: Atqui dum redemptionis nostræ modus accuratè expenditur, pioque animi affectu pertractatur, omnia isthæc vel oriuntur, vel antè iam orta, diuino afflante Spiritu, nouas vires & incrementa hauriunt.

Honorificentius habetur, quod cū merito habetur, q̄ quod citra meritum.

Quis enim Deo Opt. Max. proximè per se, & de se differenti fidem non habeat? Quis tantam eiusdem charitatem, tamque ardens & incensum benemerendi studium considerans, non omnia speret? non omnia bona de illius benignitate sibi promittat? non ardenter illum redamet? Quis naturam suam vsque adeò exaltatam cernens, omne studium, ne peccatis illam polluat, aut aliquid illa indignum committat, non adhibeat? Quis tandem tantam filij Dei humilitatem ac patientiam mente reuoluens, submissè de seipso non sentiat? iniuriasque omnes vndecunque allatas æquo patientique animo non ferat?

Christi œconomia omnium virtutum seminariū in se complectitur.

Voluit itaque filius Dei in hominis forma inter homines versari, tantumque laborum, cruciatuum, & incommodorum exantlare: Primò quidem, quô suū in nos studium multis, apertisque indicijs declararet: deinde verò, quô illis laboribus, illisque incommodis, atque supplicijs eos, quos rectos, innocentesque, ac omnis mali expertes initio condiderat, ab omnibus miserijs, in quas sese coniecerant, eriperet, ereptosque, & patri iam plenè reconciliatos, ad cœlestis regni hæreditatem transferret: postremò autem, quô viuam, perfectamque omnis iustitiæ, omnisq; sanctitatis imaginem se illis proponeret. Vtrunque enim necessariū nobis erat: nempe

Cruciatuum laborumque Christi plures extitêre causæ.

pe vt pœnis, præcellentibusque meritis nos patri reconciliaret, nostrumque in se amorem hac ratione excitaret; & illustri innocentissimę vitæ exemplo, & obedientia singulari ad virtutis studium incenderet.

Habuit sanè terrarum orbis Abrahamum, Moysen, Dauidem, & alios complures insignis pietatis & sapientiæ viros, quorum proinde doctrina & pietate erudiri, & ad omne virtutis studium poterat inflammari: Attamen omnis illorum iustitia, sanctitas, & obedientia, obscura, manca, multisque partibus imperfecta inuenitur, dum cum absolutissima illa & perfectissima Christi Domini nostri iustitia, sanctitate, & obedientia committitur. Quare etiam Apostolus Moysen, virum alioqui sanctissimum, mortaliumque omnium, vt Scripturę testatum faciunt, mansuetissimum, cum Christo Redemptore conferens, tantum inter hunc & illum intercessisse testatur, quantum interest inter seruum & filium: inter familiæ dominum eiusdemque administrum: inter domum tandem & domus architectũ. ait enim: « Moyses fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum quę dicenda erant: Christus verò tanquam filius in domo sua, quę domus nos sumus. rursum: Amplioris gloriæ ipse præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit illam.

Omnis iustitia & sanctitas, cũ Christi iustitia & sanctitate collata, est imperfecta

Num. 12.

Heb. 3.

Latum inter Christum & Moysen cæterosq; Sanctos discrimẽ

Et vt maximè Moyses, Abrahã, Dauid, cæterique illius ordinis integritatisque viri, ea secundùm genus vel speciem pręstare potuissent, quę pręstitit Christus: adhuc huius iustitia & obedientia cùm in ratione meriti, tum in ratione quoque satisfactionis tantum illorum, cęterorumq; omniũ iustitiam, & obedientiam excelluissent, quãtum Deus excellit hominem. Missum hîc facio, Abrahamum, Moysen, cæterosque virtute & sanctimonia pręstantes heroas illos, non ita rectum semper vitæ cursum tenuisse, vt non interdum à via aberrarent: (nam & ipsi quoque iure meritoque dicere poterant: « Dimitte nobis debita nostra. rursum: » Si dixerimus, quoniam peccatum non habe-

Christi meritum in infinitum excedit aliorũ omnium meritum.

Matth. 6.

1. Ioan. 1.

» habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. item: » In multis offendimus omnes.) solus aũt Christus inter omnes extitit, quem nulla tentationis vis, nulla dęmonis aut mundi potestas à patris voluntate vnquam dimouit, nec vnquam dimouere valuit: Qui proinde solus quoque absolutum, omnibusque perfectum numeris & partibus sanctitatis, ac perfectionis exemplũ proponere potuit: sicut & reipsa quoque proposuit.

Iacob. 3.

Inter homines solus homo Christus ἀναμάρτητος.

Christum Iesum sua efficaci voluntate, perfectaque obedientia tantum construere potuisse, quantum Adamus sua peruersa voluntate & inobedientia euerterat.

CAPVT SECVNDVM.



Enè hęc habent, ais. at nondum clarè satis video integre'ne id totum per Christi virtutem, & obedientiam instauratum sit, vel instaurari quoq; potuerit, quod Adami noxa & inobediẽtia cõciderat. Sanè plus'ne generi nostro prodesse potuerit Christus, q̃ eidem obfuit Adamus, id ex ijs, quę hactenus, tametsi obiter, exposita sunt, haud difficulter dijudicare licet. At euadet hoc interim nõ parum illustrius, si persona cum persona, causa cum causa, effecta cum effectis breuiter cõmittantur, hoc est, si Adamus cum Christo: Adami rursum fastus & inobediẽtia cum Christi Domini obedientia & humilitate: Mala tãdem, quę hinc nata sunt ex vnius pręuaricatione, cum bonis, quę inde orta sunt ex alterius obtemperatione, paucis conferantur.

Adamúsne plus potuerit, an Christus, ex triplici capite colligi potest.

Et quidem ad personas quod attinet, dubium nullũ est, quin multò plus in hanc partem posset Christus, si vellet, quàm poterat Adamus in illam: Quandoquidem voluntas illius multò citra omnẽ controuersiam efficacior erat ad quoduis bonum promerendum, & quoduis rursum malum propulsandũ, quàm volũtas Adæ, aut alterius cuiuscunq; rei creatę ad quodcunq; malum

Volũtas Christi ad quiduis promerendũ.

malum conflandũ, vel ad bonũ quodcunq; euertendũ. Erat enim creata Christi volũtas,(de hac enim p̃cipuè est hîc sermo) propter personę humanã naturã sustentantis vnitatẽ,veri Dei voluntas, quanuis ob id hominis voluntas esse non desineret. Quia ergo Dei erat,potentissima erat: quia rursum sanctissimi hominis erat, Deo gratissima, & ad quiduis, quod petere vellet, impetrandum efficacissima erat: Adami autem voluntas nihil non humanũ,fuisq; limitibus præfinitum continebat. & propulsandum efficacissima.

Aequè certum est, Christum Dominum sua illa potentissima efficacissimaque voluntate ex instituto salutem nostram procurare voluisse,totumque,quod, vel operabatur,vel patiebatur,ad vnicum hunc scopum retulisse: Adamum autem legis mandatum ita pręuaricatum esse, & pręuaricari quoque voluisse, vt ea tamen præuaricatione seipsum, ac cæteros omnes, qui olim ex eo nasciturі erant, destinato animi proposito perdere non voluerit,imò, si lex non obstitisset, oppositum potiùs voluisset. Christus ex instituto procurauit nostrã salutem.

Cùm ergo Deus Opt.Max.pronior,vel certè æquè pronus sit ad parcendum & miserendum, quàm ad feriendum, vel occidendum; cumque Christum Deum ac Dominum nostrum,qui quicquid fecit vnquam aut pertulit,studio dataque opera nostri causa fecit ac pertulit, incensiùs dilexerit, quàm Adamum,qui pręter voluntatem suam, & quasi per accidens grandi nos debito onerauit, oderit: dubitare non licet, quin hic multò plus commodi adferre potuerit, quàm ille incommodi. Verùm de eximia Christi Domini excellẽtia,operùmque eiusdem vi & energia,suo postea loco ex professo. Deus incensiùs diligebat Christum, q̃ odio habebat Adamum.

De proximis porrò perditionis,salutisque nostrę causis,eadem penè est ratio.Siquidem conatus operisve quantitas consequitur intensionem, vel magnitudinem voluntatis. Vbi enim incensa adest volũtas, ibi magnus consurgit conatus, & magnum item opus, si per externum aliquod impedimentum non steterit. Cùm igitur Christi Domini voluntas fuerit rectissima,eademque ad benè de nobis merendum,patrique per Conatus volũtatis intensionem ęmulatur.

omnia obsequendum incensissima, consequens fit illius conatum, obediendique studium fuisse summum.

Et quanuis hoc apud pios & eruditos quęstionem nullā habeat, ipsum tamē externum opus, quo internam animi promptitudinem ad viuum expressit, adeò potenter id persuadet, vt difficilioribus quoque iustus inficiandi locus reliquus nullus fiat. Constat enim vnum hunc salutis nostrę vindicem dum vitæ, quam amiseramus, beneficium nobis procurat, exactéq; cœlestis patris voluntati morem gerere studet, nullum laborem aut molestiam, nullum dedecus aut ignominiam subterfugisse vnquam. Et quî, quęso, vllam ille molestiam, aut ignominiam, aut aliud quodcunque externum, internumq́ue incommodum, dum patri obediat, nosq́ue in eum locum, vnde decideramus, restituat, subterfugiat, qui ardē tissimo obsecundandi studio incitatus, flagrantissimoq́ue ex inferorum faucibus eripiendi nos desiderio incensus, ne acerbissimū quidem ac probrosissimum illud crucis supplicium abnuit? Factus est enim obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Externū opus certissimus voluntatis Christi index

Christus salutis nostrę causa nullā molestiam, nullam recusauit crucem.

Phil. 2.

Qui amicorum causa mortem oppeterent, vel ad mortem sese offerrent, reperti sunt nonnulli; qui verò inimicorū gratia promptè, & ex animo id facerent, maximè si æternum viuere possent, absque peculiari Christi Spiritu nulli vnquā. At vnigenitus Dei filius, qui plenam vitæ mortisq́ue potestatem habebat, quiq; corpus, quod nostri causa assumpserat, in omne æuum floridum, incorruptumq́ue cōseruare poterat, nulla vi, nulla legis necessitate compulsus, sed nostri tantùm, qui inimici eramus, redimendi studio inflammatus, vltroneæ morti inuicto imperterritoq́ue animo sese obiecit.

Christus pro inimicis crucis suppliciū subijt.

Eximiam hanc Christi Seruatoris charitatem & obedientiam, cùm Prophetæ & Apostoli passim, tum ipse quoque Christus non vno in loco nobis insinuat, paterneq́ue commendat. ait enim: Non veni, vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me patris. Alibi idem ardens illud promptumq; parendi studium non alio quàm cibi nomine designat. Cibus, inquit,

Perceleberis Christi obedientia in Scripturis.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

inquit, meus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui misit " me, & perficiã opus eius. Tandem cùm impendente iam mor- " te partis illius, quæ suapte natura, dura & aspera quęque auersari solet, patrocinium suscepisset, huncq; in modum precatus esset: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, statim quasi " Matth.26. sententiam retractans, hæc subiungit: Veruntamẽ non mea, " sed tua voluntas fiat. Hęc autem & alia multa his cognata, quæ " passim occurrunt, apertè indicant, vnum hoc illius votum studiumque extitisse; vno hoc desiderio incensum arsisse; vnum hoc, vt paucis dicã, sitienter appetiuisse, nempe vt per omnia, & in omnibus promptè alacriterque paternis obsecundaretur iussis. Multis itaque partibus illustrior, multoque maior extitit Christi obedientia & humilitas, quàm Adami inobedientia & fastus.

Maior illustriorq; Christi obedientia quàm Adami inobedientia.

Habuit sanè Christus Dominus magna virtutum præsidia. Nam & sanctus erat, & Deus erat, & sanctitatem, vt & deitatem quoque, amittere non poterat: attamen quòd vltro in nostras miserias se deiecisset, communibusque carnis infirmitatibus, excepto peccato, obnoxius esset, non minùs illustris, imò verò multò illustrior huius extitit submissio & obedientia, quàm fœda & turpis illius elatio & inobedientia: Fuit hæc tamen insigniter fœda. Quo id ostendis? Iam dudum antè ostensum est, & ex peristaseon vtriusq; antithesi denuo, quod dictum est, ostendi & illustrari potest. Enimuerò Adamus in primo illo mundi flore, summaque paradisi amœnitate, nec non in rerum omnium affluentia constitutus, omnibusque naturæ opibus egregiè munitus, primum infirmi iam tum adhuc hostis impetum non sustinuit: Christus verò in summa rerum omnium perturbatione positus, magnaque rerum necessariarum penuria pressus, ac communibus naturæ miserijs, vt modò dicebamus, circunseptus, eiusdem illius hostis latè iam tunc dominantis, vniuersumque mortalium genus tyrannide sua grauiter obsidentis insultum, non solùm infracto animo excepit, sed vires quoque eiusdem perfregit, potentiamque

Adamus primum hostis impetum nõ sustinuit.

Adamum nō hostiũm minæ, sed vxoris blanditiæ in peccatum deiecerunt.

debellauit. Adamum rurſum non minæ, non cruces, non terrores, non aliud quodcunque eiuſmodi, ſed nuda vxoris blandimenta ad legis præuaricationem abduxerunt: Christum verò nulla hoſtium importunitas, aut rerum difficultas, aut cruciatuum diritas, aut communis humanę naturæ imbecillitas, impedire potuit, quô minùs omni ſtudio, omniq; alacritate ac contentione paterna decreta, eiuſdemque imperata perficeret. Adamus tandem cùm ſeruus eſſet, Domini imperium, ſi non abſolutè contempſit, turpiter certè neglexit: Christus autem cùm & hęres, & Dominus, paternique ſplendoris imago, ac rerum omnium moderator potentiſſimus eſſet, ſerui forma ſumpta, eò ſe demiſit, vt nō patris tantùm iuſſis obtemperaret, illique vel ad nutum in omnibus obſecundaret, verùm etiā vt hominibus miniſtraret. Filius hominis, inquit ipſe de ſeipſo, non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Patet ex his ergo, quàm diſſimilia vtriuſque parentis extiterint ſtudia.

Adamus ſeruus Domini ſui imperium violat: Christus hæres & Dominus homini ſeruo miniſtrat.

Matth. 20.

Et quia vtriuſque conatus ac ſtudia extiterunt diuerſa, fructus quoq; hinc orti fuerunt admodũ diſſimiles. Etenim Adamus ſua rebellione & faſtu vniuerſum hominum genus è vita in mortem, ex iuſtitia & ſanctitate in iniuſtitiam & immunditiam, ex ampliſſimo felicitatis & dignitatis gradu in miſeriam & ignominiam, ex libertate in ſeruitutem, ex ſumma pace & tranquillitate in perpetuam luctam & virium inter ſe ſeditionem, ex amœniſſimo tandem paradiſi horto in hoc ſentibus vepribusque obſeptum ſolum eiecit: Christus contrà dum non Deo tantùm, ſed homini quoque promptè ſeſe ſubmittit, fidelisque ſerui munera fideliter obit, ac in ſpontaneam mortem ſeſe contradit, perditum illud ærumnoſumque mortalium genus, quod ad ſe quidem attinet, de morte tranſtulit in vitam, de peccato & iniuſtitia ad gratiam & iuſtitiam, de ſeruitute & condemnatione ad gloriam & libertatem, de pugna & lucta ad tranquillitatem & pacem; de miſeria denique, varijsque vitæ huius afflictionibus & crucibus, ad cœleſtę gaudium,

Diſſimiles Adami & Christi conatus, diſſimilesque eorundē fructus.

dium, ęternamque felicitatem. At de obedientiæ & inobedientię vtriusque parentis fructibus effectísve aliquanto explicatiùs dicendum est. nam maior de his, quàm de vtriusque conatu, est disceptatio.

Christum Redemptorem nostrum sua illa præpotenti voluntate, expeditaque & prompta obedientia non modò tantùm commodi adferre potuisse, quantum Adamus sua inobedientia attulit incommodi, sed reipsa quoque tantum attulisse.

CAPVT TERTIVM.

ADamum sua inobedientia magnam bonorum vim generi nostro ademisse, magnamq; eidem malorum cumulũ adduxisse, id extra omnem quęstionem est. Nam vt alia nulla omnino adessent, præter ea, quæ in oculos aliosque sensus quotidie incurrunt, quæ tamen minimam eorũ partem in se vix complectuntur: adhuc amplissimus iustæ querelę locus extaret. Insignium calamitatum author Adamus.

Verumenimuerò vniuersam illã malorum miseriarumque segetem, ad quatuor membra veluti ad summa quędam rerum capita reduci posse existimamus: Nempe ad peccatum vel maculam, quę ex illa inobedientia ad nos dimanauit: siquidem ipse præuaricationis actus, quòd personalis esset, ad nos non transijt, neque transire potuit: Ad æternæ damnationis reatum: Ad carnis viriumque inferiorum contra superiores contumacem rebellionem, rebellemq; contumaciã: Ad corporis demum interitum, cæteraq; incommoda, quæ hunc, vel comitantur, vel certo quodam ordine antegrediuntur. Quadruplex malorum genus ex Adami pręuaricatione in nos exundauit.

De his membris, membrorumq; appendicibus, in controuersia de originis peccato disputatũ est fusè: nec sunt isthęc hîc nunc denuo repetenda, maximè cùm ex sacris literis singula sint nota. Quis enim, vel non legit, vel certè aliquando non audiuit illud Apostoli: « Per vnum hominem peccatum Rom. 5.

intra-

» intrauit in hunc mundum. & illud rursum: Iudicium ex vno
Ephes. 2. » in condemnationem. & illud item: Eramus natura filij irę. &
Rom. 7. » illud eiusdem iterum: Video autem aliam legem in membris
» meis, repugnantem legi mentis meę. & illud tandem irati nu-
Genes. 3. » minis ad Adamum: Quia audiuisti vocem vxoris tuę, & co-
» medisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, male-
» dicta terra in opere tuo: In laboribus comedes ex ea cunctis
» diebus vitę tuę: Spinas & tribulos germinabit tibi: & come-
» des herbas terrę. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec
» reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in
» puluerem reuerteris.

Nullum malum per Adamum allatũ, contra quod Christus non administrârit antidotum.

Contra omnia hęc singulaque capitalia mala ex primi hominis inobedientia orta, per Christi crucem, summamque eiusdem obedientiam allatum est antidotum, non solùm sufficiens & efficax, sed multis quoque partibus exundans. Scriptum est enim: V bi abundauit delictum, superabundauit
Rom. 5. » & gratia. rursum: Iudicium ex vno in condemnationem, gra-
» tia ex multis delictis in iustificationem. denique: Si vnius deli-
» cto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gra-
» tiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per
» vnum Iesum Christum.

Vt Adamus nulli obest, nisi ex illo nascatur: ita Christus nulli prodest, nisi ex illo renascatur.

At verò vt nemo omnium Adamicæ pręuaricationis damna sustinet, nisi secundùm seminalem rationem ex Adamo nascatur: ita nemo quoque fructuum, quos Christi Seruatoris obedientia ex se fundit, fit particeps, nisi ex Christo, & per Christum renascatur. Nam vt ille ex carne & sanguine generans, originis vitio, & illo solo, coinquinat: ita hic ex aqua & Spiritu sancto regenerans, coinquinatos ab omni omnino peccati labe, vndecunq; illa accesserit, expiat. Rursum vt nullus eorum omniũ, qui ex carne & sanguine nascuntur, quicquam omnino ad ortum suum confert, sed quicquid ad generationem faciens hîc agitur, id totum progenitorum opera agitur, & absoluitur: ita nullus quoque ex illis, qui ex aqua & Spiritu interiùs regenerantur, per propriam virtutem, aut actio-

Vt nemo seipsum generat, ita nemo quoq; seipsum regenerat.

actionem regeneratur, ſed per alterius Spiritum, & miniſterium. Nec enim aliud quicquam depoſcitur à renaſcituro, quàm vt diuinæ gratiæ obicem nullum ponat.

Tandem vt omnes & ſinguli, quotquot naturaliter ex Adamo proſeminantur, primęuæ illius inobedientiæ reatu & macula, non imaginariò, aut nuda tantùm inputatione contaminantur, ſed verè, & propriè; ita vt verè, & propriè, & intrinſeca denominatione peccatores denominentur, & peccatores ſint: ita qui Chriſto per Baptiſmum incorporantur, aut ex ipſo regenerantur, non ſola δοκήσει inani've opinatione, aut tantùm in partem à peccato, quod contraxerant, emundantur, ſed verè, & integrè; ita vt iam toti ſint innoxij & puri, toti Deo Opt. Max. accepti & grati, toti regni hæreditatis've capeſſendæ idonei. nec iſthuc citra errorem in dubium vocare licet. Nam niſi verè renati hęc omnia eſſent, infantes vtique, vel etiam adulti, qui poſt ſuſceptum regenerationis lauacrum mox hinc excedunt, non rectà ſtatim ad cœleſtes illas beatorum ſedes euolarent. Nec Scripturę quoque, quę eiuſmodi ablutos, iuſtificatos, ſanctificatos, ab omnibus inquinamentis enundatos, omnis damnationis expertes, Chriſtoque συσσώμους prædicant, ſatis ſibi conſtarent. Nec veteres illi Patres, Clemens, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Innocentius, Baſilius, Chryſoſtomus, Epiphanius, Heſychius, Arnobius, & alij prętcrea quàm plurimi tanta conſtantia, tanta've concordia iſthuc docerent & prędicarent, docuiſſentque & prędicâſſent ſemper.

Vt ij omnes, qui ex Adamo oriuntur, verè contaminantur: ita qui ex Chriſto regenerãtur, omnes verè expiantur.

Ep. 3. De ablu. pe. In Apol. Dauid. Lib. 6. cap. 5. cont. Iul. Lib. 9. ep. 39. Ep. 25 ad concil. Carth. In ſer. de Bap. Ad c. 9. Act. Tom. 3. cont. hæreſ. Ad c. 9. Leui. Ad pſal. 104.

Quanuis ergo peccandi facultas per Baptiſma non tollatur, tollitur tamen per illud omne omnino peccatum, tam origine contractum, quàm propria voluntate conflatum, & per conſequens multò plus commodi adfert natiuitas ſecunda, quàm incõmodi attulerat generatio prima. Hæc enim vnum duntaxat peccatum adducit, & illud non admodum magnum, imò inter lethalia omnium minimum: illa verò nullum non tollit, & certiſſimam nihilominus ad bonorum omnium fon-

Baptiſmus nulli adimit peccandi facultatem.

tem viam munit. Constat enim Baptismi Sacramentum ritè susceptum conferre gratiam: hæc autem vitæ æternæ, omniumq́ue prêterea virtutum ac spiritalium donorum certissima radix existit.

Quicquid tollit reatũ mortiferæ noxæ, simul quoque tollit debitũ mortis æternæ.

Iam si ad vnum omnes, qui Christo per Baptismum incorporantur, ab omni mox peccato & vitio, tam naturę, quàm personæ, verè, perfecteq́ue repurgantur, & expiantur: consequens fit vt statim quoque à damnatione, æternæ've mortis reatu, cui propter peccatum antè obnoxij erant, absoluantur. Sunt enim duo hęc ita inter se apta atque connexa, vt à se inuicem diuelli nullo modo queant. Nam vt nulla vi fieri potest, vt quis inambulet, vel obequitet, & tamen motus exors existat: ita nullo quoque casu contingere valet, vt quispiam ab omni omnino crimine immunis ac liber existat, & tamen damnationis aut ęternæ mortis vinculo obstrictus adhuc hæreat: Vel contrà vt lethalis peccati contagione animum infectum gerat, & tamen damnationis vel mortis legi non subiaceat. Et hîc rursum euidenter apparet excessus beneficij Christi super maleficium Adæ. Huius enim peccatum solius damni pœnæ reos nos constituit: illius autem Sacramentũ ab omni prorsus pœnæ debito integrè nos absoluit.

Et vt maximè gratia & immunitas ab ęterna pœna necessariam inter se connexionem nullam sortirentur, sed alterum semoto altero existere, adesse've posset: adhuc damnatio vel mors illa, quam secundam appellant, nullum in renatis verum ius, nullam ditionem propriã obtineret. Siquidem innocentissima Christi Redemptoris vita, quam ille nulla iustitiæ aut necessitatis lege coactus, sed infinita charitate motus & incitatus pro mortalium omnium salute, certaq́ue eorundem à morte & damnatione liberatione, impendit, omnes mortalium omnium vitas infinitis partibus excedit. Atque huc spectat illud Apostoli: Cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestrę, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod

Vnius Christi vita mortalium omnium vitæ præstat.

Colos. 2.

quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens "
illud cruci, & expolias principatus & potestates, traduxit con- "
fidenter palàm, triumphans illos in semetipso. & illud rursum "
eiusdem: Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit " Colos. 1.
in regnum filij dilectionis suę, in quo habemus redemptio- "
nem, & remissionem peccatorum. & illud item: Christus nos " Gal. 3.
redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictū (quia "
scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno) vt in "
gentibus benedictio Abrahę fieret. & illud tandem: Deus mi- " Rom. 8.
sit filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato "
damnauit peccatum in carne. "

At quo, inquis, modo, quo've iure, vel arte ille peccatum in carne sua damnauit? aut mortis chirographum è medio tulit? aut de tenebrarum potestate nos eripuit? aut à legis maledicto redemit? Aequissimo sanè, & planè admirabili. Nam cùm sęua illa truculentaque mors, quę soli peccato, vel, vt veriùs dicam, quę solis peccatoribus debebatur, iniustè in eum irrueret, quem nulla peccati labe contaminatum, sed carne tantùm vestitum compererat: Rursum cùm legis maledictum per iniuriam in illum quoque sese effunderet, per quem vnum benedicuntur omnes, quicunque cœlesti benedictione potiuntur: Cùm denique mortis damnatio per summum nefas in vitæ authorem, in quem nullum omnino ius, nullum prorsus imperium habebat, vt qui nihil quicquam vnquam, vel in Adamo, vel in alio vllo deliquisset, importunè insurgeret: accidit, prout aliter accidere nō poterat, nec aliter quoq; accidere debebat, vt & mors, & legis maledictum, & damnatio omnem vim, omnemq; authoritatem, & potestatem, qua dudum antè potiebantur, iustissimè amitterēt. Dignus est enim, vt omni potestate exuatur, qui potestate sua abutitur.

Æquo iure, admirabiliq; modo è tenebrarum potestate erepti sumus.

Iustè potestate exuitur, qui potestate sua abutitur.

Hac igitur ratione innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus, nullique debito obnoxius, in mortem crucisque damnationem, & maledictum contraditus, mortis, damnationisque, & maledictionis debitum pro sonte, pro polluto, pro

peccatore, pro mortis damnationisque ac maledictionis debitore exoluit. Et quidem cò cumulatiùs perfectiusque illud exoluit, quò damnatio, vel mors insontis est durior, atque ideo efficacior morte damnatione've nocentis. Constat hinc ergo pientissimum Redemptorem nostrum non solùm à peccato nos liberâsse, & quidem plenè perfectéque inde nos liberâsse; verùm etiam à morte, damnatione, & maledictione, quas propter primi parentis præuaricationem incurreramus, vel proprio quoque scelere conflaueramus.

Mors insontis multò ad satisfaciendū efficacior, quàm sontis.

Ad virium porrò inferiorum contra superiores rebellionem, fomitémve vel carnis concupiscentiam, quod attinet, illam, vt quędam animæ facultas, aut innata quędam ad mollia carnique suauia propensio est, per Baptismum ille non abstulit, nec aufert: Abstulit autem, aufertque penitus, quatenus peccatum, vel peccati pœna est. Notum „ est enim illud Apostoli: Nihil nunc ergo damnationis his, „ qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem am„ bulant. & illud: Quicunque baptizati estis, Christum indu„ istis. & illud: Et hęc quidem fuistis, sed abluti estis, sed „ sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini Iesu „ Christi.

Baptismus nō tollit concupiscentiam, vt vis animæ, anima've ꝓpensio est: tollit autem vt peccatum, vel pœna peccati est.

Rom. 8. Gal. 3. 1. Cor. 6.

Et illud rursum Augustini: Gratia perfectè nouum hominem facit. & infrà: Dicimus Baptisma dare omnium peccatorum indulgentiam, & auferre crimina, non radere. & illud Ambrosij: Dum homo exterior abluitur, immutatur interior, & fit noua creatura. & illud Gregorij: Si qui sunt, qui dicunt peccata in Baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac prędicatione infidelius, in qua ipsum fidei Sacramentum festinant soluere? & illud Cypriani: De secretissimo Spiritus sancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans, quos parētalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula sui post ablutionē illā vestigia derelinquat. & illud Basilij: Baptismus est debitorum remissio, mors peccati, rege-

Lib. 6. c. 5. & c. 13 cont. Iul.

Epist. ad Demetriadem.

Lib. 9. ep. 39.

Ser. de lot. pe.

Ser. de Bapt.

regeneratio animæ.& illud Chryſoſtomi: Perfectè purgantur à peccatis,qui baptizantur.& illud tandē Cyrilli: Quid Naaman Syrus ſepties in Iordane ablutus, & à lepra mūdatus nobis innuit, niſi Baptiſmo Chriſti lotos, ab omni prorſus animæ lepra,peccatoque purgari? Hæc illi. Quod ergo antè hîc offendebat,quod iram merebatur,quod peccatum,& propria peccati pœna erat, hoc totum per Baptiſmū aufertur: Si quid autem aliud pręter hęc relinquitur,hoc integrè,ait Auguſtinus, ad certamen, & coronam relinquitur: nec poteſt illud obeſſe baptizato,ſi nullum ipſi regnum permittitur. Ad c.19. Act.

Et quemadmodum Deus Opt.Max.carnis concupiſcētiam per Baptiſmum non extinguit, ſed ab omni peccati inquinamento repurgatam ad virtutum exercitiū, & meritum relinquit: ita idem quoque vitæ huius miſerias, cruces,atque calamitates per gratiam ſuam non tollit,tametſi tollere poſſet, ſi vellet, ſed in meriti & ſatisfactionis materiam ſuauiter ſapienterque conuertit. Proſunt hæc enim non parum, ad retinendam animi ſubmiſſionem, ad virtutum culturam, ad otij fugam. Conſeruant pios in obedientia, & ſalubri quodam timore: prouocant ſceleratos ad pœnitentiam,& melioris vitæ frugem: vel certè iuſtè eoſdem, ſi fortè contemnant, flagellant. Fit enim non infrequenter, vt ijs fideles exerceantur ad meritum, quibus obſtinatè ſcelerati præparantur ad ſupplicium.

Baptiſmus vitæ huius miſerias nō tollit:ſed in virtutum exercitiū relinquit, meritique & ſatiſfactionis materiā conuertit.

Porrò autem ęrumnarum omnium metam,hoc eſt,corporis mortem, graues ob cauſas, quas alibi attigimus,iam nunc non profligat,neq; eneruat, ſed præſente hoc ſeculo currente patienter tolerat: profligabit autem atque adeò regnum illius omnino euertet in vltima tandem carnis reſurrectione. iuxta illud Apoſtoli: Nouiſſimè aūt inimica deſtruetur mors: " tum nimirum, cùm mortale hoc induerit immortalitatem, & " corruptibile incorruptionem. Planum eſt ergo, quicquid ma- " lorum per prioris Adami inobedientiam ac faſtum generi noſtro allatum fuerat, hoc totum per poſterioris obedientiam,

Graues ob cauſas Chriſti gratiā corporis mortē hoc currente ſeculo non tollere.

1.Cor. 15.

ſubmiſſionemque, vel omnino è medio ſublatum, vel in certam ſalutis materiam conuerſum eſſe: Atque adeò Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum damna, quæ ex Adami ſcelere acceperamus, non ſolùm integrè ſarcire potuiſſe, ſed re ipſa quoque ſarciuiſſe, & quidem cumulatiſſimè ſarciuiſſe.

Sectarum duces plus virium largiri parenti primo in vulnerando, quàm ſecundo in ſanando: Eoſdem rurſum multò minus tribuere Chriſti merito & ſatisfactioni in amoliendo peccati malo, quàm eidem tribuere ſolent Catholicæ Eccleſiæ doctores.

CAPVT QVARTVM.

Eſai. 28.



Erùm qui nouitatibus ſtudent, ac mendacium ſpem ſuam conſtituerunt, non parum aliter de horum malorum vi, eorundemque interitu concionantur. Sentiunt enim, magnaque contentione paſſim inculcant, originis peccatum, quod inſana illorum opinione non vnum aliquod vitium in ſe complectitur, ſed omnia, quæ in hominem quouis modo incidunt, per Chriſti meritum, aut Baptiſmi Sacramentum (per hoc nanque illius communicatio ordinaria lege obtingit) non elui, non tolli, non extirpari; ſed tantùm radi, aut tegi, aut velari, aut, ne in pœnam imputetur, diſſimulari. Quare ſi iſti vera prædicant, qui Baptiſmi myſterio initiantur, non verè regenerantur, nec verè mentis ſpiritu innouantur, nec verè à contractis ſordibus repurgantur, nec verè tandem ab inflictis per peccatum vulneribus ſanantur; ſed mentis tantùm cogitatione regenerati, vel innouati, vel à ſordibus expiati, vel à vulneribus in priſtinam ſanitatem inſtaurati confinguntur. Atque ita inter profanum, & initiatum nullum reale, nullum poſitiuum, vt in Scholis loquimur,

Quid originis peccatum Sectariorũ ſententia.

Baptiſ. Sectariorũ opinatione peccatũ non tollit, ſed tantùm radit, vel tegit.

mur, diſcrimen intercedet, ſed quoddam tantùm imaginarium, ac commentitium.

Iam ſi Baptiſmi Sacramento initiati non verè regenerantur, nec verè innouantur, nec verè à vitiorũ ſordibus emundantur: hoc eſt, ſi peccatum per regenerationis lauacrum reipſa non tollitur, non extirpatur, non abolctur, ſed tantùm raditur, vel tegitur, vel impunè inhærere ſinitur: ergo nec mortis quoque, nec condemnationis chirographum, quod nobis aduerſum erat, verè etiam proſcinditur, aut abrogatur, ſed ſolùm premitur, vel ab vſu ſuſpenditur. Nam ſi in regenerato vera propriaque mortis condemnationiſque cauſa verè ac propriè adhuc hæret, non poteſt profectò ipſum damnationis chirographum, vel ipſa mortis ſententia, non verè ac propriè contra ipſum adhuc non ſtare. Quid aliud enim eſt, hominem damnabili peccato manere obſtrictum, quàm morti & condemnationi manere obnoxium?

Mortis chirographũ Antagoniſtarum ſententia per Chriſtũ non aboleri.

At dicere ſolent: Eſto, dum ſpiritum hîc ducimus damnabili peccato verè ſemper hæreamus obſtricti, hactenus tamen rectè ab eo liberari, vel emundari cenſemur, quatenus per Chriſtum, & propter Chriſtum à pœna illius abſoluimur. Verùm dum hoc dicunt imprudentes inter peccatum mortis've chirographum & iratum Deum Chriſtum quodam modo medium conſtituunt. Nam ille propter inhærens peccatum chirographi ius contra falsò renatum exercere vellet; & tamen propter filij ſui interceſſionem, ciuili quadam ratione, vel inducias concedere, vel certè ab vſu illius abſtinere compellitur. Et ipſum nihilominus damnationis, mortiſque chirographum ſecundùm ſe integrum intactumque relinquunt: & quod omnium eſt abſurdiſſimum, Spiritum ſanctum propemodum inuitum in vitiorum ac ſcelerum omnium ſentinam contrudunt. Fatentur enim illum renatis, tametſi in incredulitate, in Dei verbique illius contemptu, in deſperatione, in iudiciorum eiuſdem odio, in omni tandem inobedientia ac rebellione adhuc iaceant, certò obtingere:

Sectarij inter mortis chirographũ & iratũ Deũ Chriſtũ quodammodo mediũ conſtituunt: ipſumq; Spiritum ſanctũ in vitiorum ſentinam ſua ſententia cõtrudunt.

tingere: quò nimirum externo illius præſidio armati, contra illud remanẽs peccatum, & mortis decretum tota vita depugnent,& ad vitę nouitatem vſque contendant.

De concupiſcentia poſt Baptiſmũ Aduerſarij præposterè, Christique ſanguine indigne ſentiunt.

De concupiſcentiæ malo ac fomite æquè præpoſterè, & Chriſti ſanguine indignè ſentiunt. Negant enim illud vllo omnino ſacramentali præſidio, aut Chriſti merito, aut hominis ſtudio à peccati infectione in hac mortali vita poſſe repurgari: atque ideo non ſolùm ante, ſed poſt Baptiſmum quoque verę propriæque rationis culpam eſſe, morte, æternaque damnatione, ſi per Dei miſericordiam propter Chriſtum non ſtaret, verè dignam. Nomine autem fomitis, vel concupiſcentiæ, quam ipſummet originis peccatum exiſtere plerique ex illis contendunt, complectuntur non vulgarẽ aliquem næuum, ſed horrenda planeque nefaria crimina. Verba Philippi ſic habent:

Melanchthonis iudicium de concupiſ. quæ in renatis fit reliqua

Quòd ſi contenderint aduerſarij fomitem eſſe quiddam ἀδιάφορον, reclamabunt non ſolùm Scripturæ, ſed tota planè Eccleſia. Quis enim vnquam auſus eſt dicere hæc eſſe ἀδιάφορα, etiamſi perfectus conſenſus non acceſſerit? dubitare de ira Dei, de gratia Dei, de verbo Dei, iraſci iudicijs Dei, indignari quòd Deus non eripit ſtatim ex afflictionibus, fremere quòd impij meliori fortuna vtuntur quàm boni, incitari ira, libidine. &c. Et ne cui obſcurum foret, de quibuſnam iſthæc tam dira, tamque capitalia aſſereret, paucis interiectis ſubdit: Et hęc agnoſcunt in ſe homines pij, vt apparet in Pſalmis, & Prophetis. Eructat eadem & Bucerus quoque.

In reſp. cont. iud. Cleri Colon.

Bucerl ſententia de concupiſcentia.

Quo modo, inquit Bucerus, in nobis non eſt iniquitas, & peccatum, quod in nobis reluctatur legi Dei? quod concupiſcit aduerſus ſpiritum, Verbum Dei contemnit: Deum creatorem ſuum, neque agnoſcit verè, neque amat. Quam miſeriam omnes Sancti in ſeipſis experiuntur, & deplorant. & infrà: Hoc eſt, vt cernis Chriſtiane lector, quod Dominus ipſe ſuo verbo de reliquijs peccati poſt Baptiſmũ teſtatur: quod Apoſtoli, & omnes ſancti Patres faſſi ſunt, & docuerunt: quod inſuper

ſuper omnes veri Chriſtiani in ſeipſis experiuntur, & conqueruntur. Nimirum quòd iaceant adhuc in graui ignorātia & Dei contemptu: vnde Deo in verbo ſuo tam promiſſionis, quàm fidei, non integrè credunt: ac propterea nō ex corde, nec fiducialiter inuocāt, nec ex toto corde timent, & amant. Sunt difficiles ac tardi ad obedientiam Dei: proni verò & expediti ad id, quod caro aduerſus Deum concupierit. Hęc Bucerus & Philippus, quos ſequuntur alij minorum gentium magiſtri.

Significant autem hi clareque citra vllas omnino ambages ſe credere declarant: innatam illam concupiſcentiam non vnum aliquod leue peccatum in ſe complecti, ſed plurima, eademque grauiſſima ſcelera. Tum eādem rurſum nō ſolùm ante ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum, ſed poſt illud quoque ſuſceptum veri proprijq; nominis peccatum eſſe: atque ideo non in certamen & coronam relictam eſſe fidelibus, vt vniuerſa credit ac profitetur Eccleſia Catholica, credi ditque & profeſſa eſt ſemper: ſed in perniciem, ſed in laqueum, ſed in condemnationem. Quo modo enim pernicioſiſſimum id meritò non cenſeamus, quod tam pernicioſos, tamque acerbos fructus continuò ex ſe fundit? nec fundit ſolùm, ſed reipſa quoque, vt illis placet, in ſe includit?

Concupiſcētia nō in virtutis exercitium, ſed in condemnationē & mortis laqueū relinquitur, ſi Sectarij vera prædicant.

Ad externas tandem calamitates, corporiſque afflictiones, quod ſpectat: (ſiue illę ſponte ex naturę noſtrę corruptione, vt plerę que ſolent, oriantur: ſiue vltro in pœnā, & carnis mortificationem aſſumantur: ſiue propter occultam aliquā cauſam diuinitus irrogentur) non impediunt illi, quô minùs ciuilis cuiuſpiam exercitationis materia eſſe queant: At verò in meritum, aut ſatisfactionis partem cedere poſſe, id cōtra communem Orthodoxorum omnium ſenſum atque conſenſum obſtinatè pernegant. Conſtat ergo, quàm parum, & penè nihil ſit, quod cruci Chriſti, eiuſdemque merito in amoliendo peccati malo tribuunt Antagoniſtæ, quamque prępoſterè, planéque peruersè eidem illi, nō ſolùm de ipſo originis peccato ſecundùm ſe, ſed de peccati quoque huius remedijs loquātur & ſentiant.

Vitę huius miſerias virtutis aut ſatisfactionis materiā eſſe poſſe, Sectarij negāt.

ſentiant. Sed neque obſcurum eſt quoque, quanto rectiùs de tota hac controuerſia & cauſa diſputent ac ſtatuant Catholici, quàm noui illi Euangelici, eorumq; magiſtri. At clarius aliquanto iſtuc euadet, ſi breui quadam antitheſi vtrorumque ſententiam ob oculos hîc ponam.

Catholici lõge honorificẽtius de Chriſti merito & ſatisfactione ſentiũt, quàm hæretici.

Catholici igitur vni vnicum originis peccatum aſſignant, idque comparatione aliorum leue: Sectarij vni omnia, eaque grauiſſima. Catholici vnicum illud, & quicquid pœnarum illi debebatur, in Baptiſmo & per Baptiſmum prorſus aboleri & extirpari credunt: Sectarij totum illud vitiorum ac ſcelerum chaos integrè in renatis reliquũ fieri contendunt, tametſi Dei miſericordia quaſi velo quodam extrinſecus obnubatur & cõtegatur. Catholici ex aqua & Spiritu ſancto regeneratis veram innocentiam pollicentur: Sectarij nudam tantùm impunitatem. Catholici mortis chirographum per Chriſti gratiam proſcindi, planeq; abrogari, ac è medio tolli profitẽtur: Sectarij per Chriſti interceſſionem tãtùm ſuſpendi, vel ſolùm à legitimo vſu ſuo prępediri nugantur.

Catholici carnis concupiſcentiam ab omni peccati næuo per Baptiſmum prorſus abſolui, & expiari tradunt: Sectarij à peccati ratione in hac mortali vita exui poſſe contumaciter inficias eunt. Catholici eãdem illam à peccato iam abſolutam ad certamen & coronam valere aſſerunt: Sectarij ad hoc tantùm conducere ineptiunt, vt homo quoquò ſe vertat ſemper peccet. Catholici carnis concupiſcentiã à deliberatis & ſemideliberatis eiuſdem facultatis actibus, vt fructus ab arbore, ſapienter ſecernunt: Sectarij actus cũ potentijs, & potentias rurſum cum actibus imperitè confundunt. De originis peccato, eiuſdemq; peccati remedijs ita tandẽ diſceptãt Aduerſatij, vt hinc Manichęis, inde Pelagianis multò inſaniores ſeſe oſtẽdãt.

Sectarij inter animæ vires, earumq; habitus & actus nihil ſecernunt.

Sectarij Pelagianis & Manichæis ſe inſaniores oſtendunt.

Minùs enim abſurdè defenditur paruulũ baptizari, vt Chriſto incorporetur, etiamſi peccatum nullum habeat, vt docebant Pelagiani, quàm defenditur paruulũ, aut quemlibet etiã alium Chriſto per Baptiſmum verè incorporari, & vero nihilominus

lominus damnabiliq́ue peccato obstrictum adhuc teneri: hoc enim defendere, aliud nihil est, quàm lucem & tenebras, Christum & Belial simul in vna sede collocare. Minùs quoque durè asseritur peccatum omne à dęmone proficisci, quod dicebant Manichæi, quàm asseritur quicquid homo quouis modo molitur, id propter concupiscentiæ virus suapte natura lethale crimen esse semper: tametsi non omne eiusmodi, propter Dei misericordiam, in noxam semper imputetur.

Catholicos doctores non solùm in amoliendo peccati malo, quod ostensum est hactenus; verùm etiam in impertiendo virtutis, iustitiæque & gratiæ bono multò plus tribuere Christi liberatoris merito, quàm eidem tribuăt communes Sectarum magistri. Confirmatur rursum, eosdem illos errorum magistros multò plus roboris admetiri Adamo infundenti venenum, quàm Christo adhibenti antidotum.

CAPVT QVINTVM.



Orrò autem, vt Sectarij diuinam gratiam Christiq́; meritum & satisfactionem in profligădo peccato, semouendoq́; pœnę malo ex peccato nato maiorem in modum eneruant, & tantùm nō omnino negant: ita ijdē illi in procurando impertiendoque iustitiæ bono, quod peccato opponitur, plurimum quoque vtrique derogant. Cōtendunt enim nullam omnino veram iustitiam, aut veræ iustitię partem homini ex Christo obuenire, quę ipsum verè formaliterq́ue iustificet, aut sanctificet, aut Deo plenè absoluteq́ue reconciliet.

Vt Sectarij plurimū derogăt merito Christi in amoliĕdo peccati malo, ita nō parū quoque eidĕ detrahūt in impertiĕdo virtutis bono.

At ne nihil tamen omnino (quod impium prorsus absurdumq́ue videbatur) cruci Christi tribuere censeantur, Christi iustitiam per fidem nobis imputari comminiscuntur. Hęc illi perfidè quidem & in Christi sudores omnino contumeliosè, ijs tamen principijs ac fundamentis, quibus nituntur, oppidò consentaneè. Nam si peccatum, si iniustitia, si impuritas, si incredulitas, si desperatio, si odium Dei, si cœlestis verbi con-

Sectarij ex vniuersis Christi sudoribus nudam iustitiæ imputationem reliquā nobis faciūt.

temptus, si cętera, quę ipsi formali originalis peccati rationi includunt, aut ipsum originis peccatum esse definiunt, per Baptismi Sacramentũ & Christi gratiam ex animæ regno reipsa non exiguntur, sed tãtùm tecta, vel rasa, vel dissimulata isthìc perpetuò hęrere sinũtur: fieri sanè nullo modo potest, vt iustitia, vel puritas, vel fides, vel spes, vel charitas, vel aliquid aliud istiusmodi istuc ingrediatur. Quandoquidem vt vnum ad numerum secundùm idem non potest simul nigrũ esse & candidum, intensè frigidum & calidum, humidũ & siccum, dulce & amarum: ita idem quoque animus, vel eadem mens, vel idem homo non potest simul & semel iustus esse & iniustus, mũdus & immundus, spe bona erectus, & desperatione pressus, Dei amore incensus, & eiusdem odio inflammatus, gratia tandem perfusus, & lethalibus criminibus contaminatus.

Sectarij nullã veræ iustitiæ partem admittunt.

Dicebamus Sectarum Antesignanos nullam omnino veram aut propriam iustitiam, nec vllã rursum veræ aut proprię iustitiæ partem renatis per Christi beneficium cõcedere: Nam cùm vera consummataque iustitia in se complectatur fidem, spem, & charitatẽ, & reliquas prętera virtutes, citra quas tres illę primariæ suis numeris perfectę esse nõ possunt: imò ne esse quidem satis propriè & commodè possunt: illique fidem suam plenis semper buccis iactent, ac prędicent, nihilq; non per vnã hãc effici impetrariq; posse cõtendant, iure meritoq; ita quispiam apud se cogitare poterat: Etsi noui illi didascali charitatem, reliquamq; virtutum πανοπλίαν formali iustificationis rationi non includant, includent saltem fidem. Sed nec isthuc quoque, si rem rectè expendamus, faciũt. Docent nanq; fidem tantùm methodum quandam esse, qua ad iustitiam deuenitur: aut vncum, vel hamum, vel manum, qua Christi iustitia, quæ aliàs extra nos posita est, illique vni ac soli inhærens est, appręhenditur: menteque & cogitatione tanquam manu quadam appręhensa ad nos rapitur, vel extrinseca quadam imputatione in nos transfunditur, aut imaginaria quadam ratione nobis communicatur.

Theologicæ virtutes reliquarum præsidio destitutæ, infirmæ & penè nullæ.

Fides Sectariorũ sententia vncus tãtùm, vel manus, qua Christi iustitia appræhenditur.

Sectarij

Sectarij itaque non ſolùm ſpem,& charitatem, cæteraſque virtutes à formali iuſtificationis ratione excludunt,ſed ipſam quoq; fidem,ſiue ſuam illam inanẽ fiduciam:Catholici autem nihil horum omnium à vera iuſtitia ſecludunt, ſed omnia hæc illi includunt.Imò verò iuſtitiam,qua intrinſecè formaliterque iuſti ſumus,ab illis virtutibus diuelli poſſe conſtanter negant. Siue illa ſit idem quippiam reipſa cum illis, quaſi totum quoddam integrum ex illis partibus conflatum, quod non eſt prorſus improbabile: (Nec enim aliud eſſe videtur iuſtitia noſtra, quàm fides,ſpes, charitas &c. aut fides charitate perfecta.Vnde tanta & non maior, nec etiam minor ſolet eſſe noſtra iuſtitia,quanta ſunt hęc tria: & tanta rurſum hęc tria, quanta eſt noſtra iuſtitia) ſiue quiddam re & ratione ſimul ab illis diſtinctum: ita vt tria hæc inchoata ad perfectam iuſtitiam viam muniant; perfecta verò & conſummata ex ipſa proximè fluant, quod alijs magis probatur.

Fides, ſpes, charitas, cæteræque virtutes à vera iuſtitia non auelluntur.

Quanuis ergo certum ſit, Chriſtum Dominum noſtrum ſua illa perfecta obedientia,iuſtitia,& ſanctitate, omnem noſtram iuſtitiam,& ſanctitatem promeritum eſſe: nuſquam tamen, neque in Scripturis, neque in Patrum monumentis, neque in Synodorum decretis proditum comperitur,eandem ad numerum iuſtitiam, qua ipſe formaliter & intrinſecè iuſtus eſt,noſtram formalem intrinſecamque iuſtitiam exiſtere. Imò verò ſua illa inhærens iuſtitia noſtra formalis iuſtitia citra apertum miraculum eſſe non poteſt. Nec enim vnum ad numerum accidens diuerſis numeroque inter ſe diſtinctis ſubiectis naturaliter inhærere contingit.

Chriſtus iuſtitiæ & ſanctitatis noſtræ cauſa meritoria.

Non eadem formali iuſtitia caput & membra iuſti ſunt.

Vnum ad numerum accidens non informat diuerſa ſubiecta.

Dicunt illi: Agnoſcimus & nos quoque ordinaria lege id fieri non poſſe. Quare ne aliquod eiuſmodi incommodum admittere cogamur,docemus publiceque profitemur Chriſti iuſtitiam nobis non inhęrere: ſed extrinſecus tantùm imputari. Audimus, boni viri,quæ dicitis, publiceque docetis. Verùm dum hoc docetis & dicitis,omnem nobis veram iuſtitiam adimitis, & ex tantis Chriſti vigilijs, ſudoribus & pœnis

Sectatiorum iustitia nuda relatio, fundamento destituta.

Lutherani Hosiandrizant.

nudam tantùm relationem, & illam adhuc fundamento destitutam: vel quandam extrinsecam tantùm denominationem reliquam nobis facitis, & in insanum nihilominus Hosiandrinorũ errorem incauti incidistis. Concionamini enim fidem simul Christi obedientiam, & Dei misericordiam apprehendere, & dum vtrunq; simul apprehendit, simul vtrunque in apprehendentem transfundere; ita vt vtrunq; iam illi in iustitiam, & sanctitatem imputetur. Certũ est autem diuinam misericordiam à diuina essentia formali ratione non secerni: sed re formaliq́ue ratione eandem esse prorsus cum illa.

Commẽtum de imputatiua iustitia pugnat cum inani Sectatiorum gloriatione.

Pugnat preterea hoc imputatæ iustitię commentum cum insulsa, inaniq́ue vestra gloriatione non parum. Gloriabundi nanque iactare soletis vos Christi satisfactionem & meritum (quod humanis traditionibus antè fœdè obscuratum peneq́ue sepultum iacebat) cœlesti vestra doctrina mirificè illustrâsse: Et tamen vestra nequaquam cœlesti, sed apertè scelesta imputationis doctrina vehementissimè, si vlli alij, illud extenuatis & obscuratis. Nam si nullam veram, inhærentemq́; iustitiã nobis promeritus est Christus, vt vobis nugari lubet: tam exiguum profectò, & reipsa tenue, vel etiam nullum est, quod ille nobis promeritus est, vt mercedis meritíve nomẽ vix promereatur. Constat enim Christũ Deum ac Dominũ in hunc mundum venisse, non vt sibijpsi aliquam iustitiã, aut sanctitatem, aut vllam omnino internam perfectionem emereretur. Meruit sanè corporis & nominis exaltationem, sed illa sunt quædam externa potiùs, quàm interna.

Christus non suæ, sed nostræ iustitię causa in hunc mundum ingressus est.

Christus nullam sanctitatẽ aut internam animæ perfectionẽ sibi meruit, sed neque vllam quoque mereri potuit.

Sed neque quicquam quoque mereri sibi poterat: Quandoquidem secundùm naturam æternã patri per omnia ęqualis erat: nec mereri valebat, vt qui omnia, quæ sub meritũ quouis modo cadere possũt, naturaliter & essẽtialiter in se cõtineret: nec vllũ, à quo mereretur, superiorẽ haberet. At secũdùm naturã assumptã omnẽ iustitiã, & sanctitatẽ, & mẽtis perfectionem primo statim cõceptionis suæ instãti cõsequutus est, ita vt postea in gratia & sanctitate nihil quicquã creuerit, nec crescere

ſcere potuerit. Deſcendit autem in ſublunarem hunc orbem, quô ſua doctrina, ſuaque morte, & vita id inſtauraret, quod per peccatum conciderat, hoc eſt, quô nobis perfectam iuſtitiam, veramque apud Deum reconciliationem obtineret.

Quam ob rem ſi nulla eiuſmodi iuſtitia nobis adeſſet, qua verè, propriè, ac formaliter, coram Deo cenſeremur iuſti, & ſancti, & à grauioribus peccatis liberi, ſed quędam tantùm aliena, vel extrinſecus imputata nobis ſuppeteret: profectò neq; nos verè iuſti, neq; Chriſtus vllam omnino veram, aut perfectam iuſtitiam nobis promeritus dici poſſet: Siquidem quod nobis reipſa non ineſt, neque ineſſe, aut inhęrere poteſt, ſed mente tantùm, & cogitatione adeſſe, vel ineſſe confingitur; hoc verè, proprieque eiuſmodi nos non efficit, cuiuſmodi eſſe dicimur: ſed tantùm ſecundùm quid, puta extrinſeca quadam denominatione. Mitto hîc, Chriſtum Dominum noſtrum illam, quæ nobis extrinſecus imputari falsò aſſeritur, nequaquam promeritum eſſe: vt qui primo mox incarnationis ſuæ momento gratis illam acceperit. Niſi quis fortè dicat illum per ea, quæ poſtea fecit & pertulit, illam promeritum eſſe: Cuiuſmodi quippiā de felicibus illis mentibus quidam commentantur. Sed hoc ineptum eſt: omne enim proprię rationis meritum præmiū tanquā cauſa ſuū effectū antegreditur.

Imputata iuſtitia non verè iuſtificat.

Chriſtus eam iuſtitiam, quę nobis imputari falsò aſſeritur, non promeruit.

Dicent fortè, Chriſtum Seruatorem ſua perpeſſione & morte, neque ſuam, neque noſtram iuſtitiam promeritū eſſe: per iſthęc tamen extrinſecā illam denominationē vel imputationē nobis promeritū eſſe. Noui quoſdā huc cōfugere ſolere: ſed ſanè indignū, imò verò aptè blaſphemū eſt dicere, filiū Dei hominē factū, ea ſolùm de cauſa tantum laborū hauſiſſe, tantumq; cruciatuū ꝑtuliſſe, ac precū ſupplicationumq; fudiſſe, quô quandam ſolùm externam denominationem, aut nudam tantùm rationis relationem nobis promereretur. Conſtat enim externam illam imputationem, vel denominationē nullum in nobis reale fundamentū, nullā realem cauſam habere: ſed quicquid cauſę, vel fundamenti habet, hoc totū in Chriſto habet.

Perabſurdè aſſeritur Chriſtum ſolā iuſtitię imputationem nobis promeritum eſſe.

habet. In ipso enim iustitia est: in ipso obedientia est: in ipso meritum est: in ipso misericordia est: in homine autem, qui iustus ab illis prędicatur, nihil horum omnium quicquam est. Sicut nec in columna quoque vlla omnino dexteri, aut sinistri ratio vel basis est.

Tota Sectariorum iustitia merum ens rationis est.

Quapropter si illa imputatio omnino aliquid est, solùm ens rationis est. Atque ita qui egregios meritorum Christi præcones sese venditant, huc suo illo imputatitio phanaticoque commento euadunt, vt vniuersum Christi meritum ad inane quoddam rationis ens redigant. Neque hoc ipsi, quum rationum pondere adacti vera interdum loqui compelluntur, inficias eunt. Profitentur enim imputationem illam non esse formam aliquam realem, sed tãtùm rationalem; hoc est, ens quoddam rationis, quod subiectiuè vel inhęsiuè nusquam est, obiectiuè autem tantùm in mente, vel intellectu est.

Illyric. cont. Tilet. c. 6. de iust.

Regenerati ea ratione Sectariorũ sententia dicuntur iusti vel mundi, qua Christus peccator.

Profitentur ijdem quoque regeneratos non aliter iustos, aut mundos, aut sanctos dici, quàm Christus peccator, vel debitor dicitur. Christus autem cùm peccatum nullum fecerit, nec dolus vllus in ore eius inuentus fuerit, nõ est peccator verè, sed, vt ipsi loquũtur, potentissima tãtùm patris imputatione. Appellatur sanè Christus peccatum in Scripturis, nõ quòd ratione sui, aut verè peccator, aut verè quoque debitor quispiam sit, sed quia peccatorum nostrorum pœnas pertulit, veraque hostia, & sacrificium pro peccatis nostris extitit.

Sectarij minorem vim tribuũt Christi obedientiæ, quàm Adami inobedientiæ.

Quæ hactenus exposita sunt planum faciunt, Sectarios longè minorem vim & energiam largiri Christi Redemptoris nostri submissioni & obedientię, quàm primi parentis fastui & inobedientiæ: Fatentur enim Adamicę præuaricationis reatum non tantùm in pœnam nobis imputari, sed verè, formaliterque inhęrere. Inhęrere autem non quouis modo, aut gradu, aut spatio: sed ea pertinacia, vt nulla vi, durante hac mortali vita, inde euelli queat. Ea rursum virulentia & vehementia, vt totam hominis naturam non tam peruertat, quàm in peccati materiam planè conuertat. Aiunt enim hoc animi

Orig. peccatũ Sectariorum sententia indelebiliter animæ inhæret.

morbo

morbo infectos,nihil quicquam ex sese fundere, sed nec fundere quoque posse,nisi peccatum,etiam tum, cùm ad optima quæque nituntur.

Patet ex ijsdem quoq; Catholicos omnes longè maiorem efficiendi vim tribuere Christi satisfactioni & merito, quàm eidem illi tribuunt Sectis dediti. Catholici nanque non externam tantùm,vel imputatiuam solùm,vt illi; sed veram,inhęrentemq; iustitiam nobis per Christum conferri credunt. Si quis dixerit, inquit Synodus Tridētina, homines sine Christi iustitia,per quam nobis meruit,iustificari: aut per eā ipsam formaliter iustos esse,anathema sit.rursum: Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi,vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quę in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur,atque illis inhæreat: aut etiam gratiam,qua iustificamur,esse tantùm fauorem Dei, anathema sit. Hæc Ecclesię Catholicę de nostra iustificatione est confessio,quæ vtique tantum distat à Sectariorum doctrina, quantum lux à tenebris, dies à nocte,candidum à nigro.

Catholici plus tribuunt Christi merito & satisfactioni, quàm Sectis dediti. *Sess.6.Can.10* *Can.11.* *Aliud Catholici sentiunt & statuunt de nostra iustificatione, aliud Hæretici.*

Porrò autem fundamenta,quibus suam illam imaginariam imputatiuamque iustitiam stabilire nituntur,huc in medium adferre, allataq; refellere,nullum est operępręcium.Nec enim ex instituto de hominis iustificatione, aut iustificationis eiusdem ratione ac modo hîc disputamus: sed de plenitudine tantùm, & perfectione satisfactionis Christi. Hanc etenim, vt nunc ostensum est dilucidè,Catholici omnes vnanimi sententia agnoscunt, & pręedicant, & quantis possunt præconijs & laudibus euehunt: Sectarij contrà multis nominibus & modis eandem obscurant & eleuant, Imò totam penè eneruant & abnegant. Et cùm hæc illi faciant, & quidem apertè faciant, tanta tamen impudentia, ne grauius quid dicam, laborant,vt publicè prędicare audeant,Christi satisfactionē, & meritum iam olim apud Catholicos extinctum, obliuionique contraditum, sua se denuò industria & opera in lucem extulisse,pri-

Quantum Orthodoxi Christi satisfactionem extollunt, tantum eandem Hæretici depriment.

ſtinoq; ſplēdori & integritati reſtituiſſe, & alia præterea multa æquè inepta & ſplendidè conficta, quę in illorum commentarijs, & εἰκαιολογίαις nuſquam non ſunt obuia. At hęc vetus diaboli ars eſt: cùm enim ille vero deſtituitur, falſitatem & nequitiam, qua ipſe laborat, per calumniam & mendacium in alios transferre ſatagit.

Diaboli & miniſtrorū eius conſuetudo.

Sed valeant illi, habeantque ſuam illam imaginariam iuſtitiam, ſuam imaginariam peccatorum remiſſionem, ſuā imaginariam fidem, ſpem, & charitatem, ſuum imaginarium cœlum & paradiſum, (imaginarium enim infernum, niſi illā imaginationem exuant, habere non poterunt) cæteraque omnia imputata & imaginaria: nobis interim relinquant veram iuſtitiam, veram peccatorum remiſſionem, veram fidem, ſpem, & charitatem, & cętera omnia realia & vera. Nam ſi imputatiuè, vel imaginariè tantùm, & non verè eſſemus iuſti, vel à peccatis abſoluti, vt iſti apertè profitentur: ex conſequenti nec verè eſſemus Chriſtum induti, nec verè redempti, nec vera Chriſti membra, ſed omnia hęc eſſemus imputatiuè, & imaginariè. Et quoniam effectus æmulatur naturam ſuæ cauſæ: ſi non eſſemus verè iuſti, aut verè à peccatis abſoluti, nullum verum iuſtificatorem, neque vllum verum redemptorem, aut Saluatorem, aut ſalutis noſtrę aſſertorem haberemus. Quandoquidem veri redemptoris, veri ſeruatoris, veri liberatoris eſt, verè redimere, verè ſaluare, verè liberare, non imputatiuè, aut imaginariè.

Imputatiuè iuſtificatus, non eſt verè iuſtus, nec verum Chriſti membrū, nec verè à peccatis abſolutus.

At pluribus hæc vrgere non attinet: piè enim beneq; affectis dictum eſt plus ſatis: alienos autem, & iam olim in reprobum ſenſum cōtraditos nullę dictorum, aut rationum, aut authoritatum Iliades ſanent, aut ad ſanam mentem reuocent. Vnum hoc ſolùm epilogi loco addiderim: nempe maiori iniuria, atrocioriique contumelia Chriſtum, eiuſque meritum affici non poſſe, quàm ſi dicatur ipſum non verè iuſtificare, nec verè peccata condonare, nec verè nos Deo reconciliare, ſed tantùm imputatiuè, vel imaginariè. Nam, ſi rem rectè, vt par

Maxime afficiunt Chriſtum iniuria, qui dicunt eū non verè iuſtificare, nec verè peccata dimittere, ſed tantùm imaginariè.

par est, expendamus, hoc dicere, aliud nihil est, quàm vniuersam crucis illius vim penitus euacuare, aut certè ipsummet Christum peccati ministrum & consotorem sacrilegè confingere. Nam aut Christus Dominus reatum sua gratia verè abolere & tollere potest, & non tantùm radere, aut tegere, aut dissimulare: vel illud gratiæ suæ prȩsidio præstare non potest. Si verè peccatum auferre non potest, profectò infirmum & penè nullum est, quod sua ille morte, & cruce nobis promeritus est. Sin autem id potest, & tamen non vult, magna sanè fit coniectura illum peccati sordes non odisse, non execrari, non auersari. Quomodo enim, si auersatur, si odit, si detestatur, illud non tollit? nisi forsan ex parte peccatoris quippiam extet, quod vim illius impediat, aut sistat: at ponimus nihil eiusmodi hîc intercedere.

Statuere Christum solùm imputatiuè iustificare, aliud nihil est, quàm dicere integrè iustificare nō posse, vel certè non velle.

Similem & de ipsa quoque iustificatione, vel iustitia ratiocinationem instituere licet. Aut enim salutis nostrȩ author veram nobis iustitiam impertiri potest, aut illud non potest. Si non potest, vtique debilis, vel impotens est. Si eiusmodi autem quippiam impertiri potest, & tamen non impertit, ergo, quod absit, inuidus censeri potest. Statuimus hîc enim per eum, qui iustificationis beneficio potitur, non stare, quô minùs veram perfectamque, & inhærentem iustitiam, perfectamque & veram peccatorum remissionem consequatur. Liquet ergo vtrunque euidenter: nimirum posteriorem Adamum, hoc est, Christum, id integrè instaurâsse, quod collapsum erat per priorē: & Catholicos rursum multò plus citra vllam omnino comparationem tribuere Christi merito & satisfactioni, quàm eidem illi tribuant quinti Euangelij mystæ.

Citra fidei errorem satisfactionis Christi modum in quæstionem vocari posse.

CAPVT SEXTVM.

Quæ primi hominis noxa conciderant, per Christum in meliorem statum euecta sunt.



Væ hactenus explicata sunt, perspicuè demonstrant, quæ primi parentis culpa labefacta conciderant, ea per Christum, alterum vtique generis nostri columen ac stirpem, non solùm in integrum instaurata, verùm etiã nouis quibusdam luminibus illustrata, & accessibus aucta, ad statum pristino non parum nitidiorem, nobilioremque euecta atque promota esse.

In mortali hac vita nondum apparet, quantum per Christum nobis collatum sit.

At fatendum est tamen istiusmodi incrementa & lumina veteris Adami reliquijs, quasi caligine quadam obducta atque impedita, in hac mortali vita obscuriùs lucere, suamque vim & energiam remissiùs exerere. Lucebunt autem & coruscabunt radijs tum demum puris, totamque vim suam explicabunt integrè, cùm inimica morte destructa penitusque abolita, mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem. Sumus sanè iam nunc filij Dei, si boni sumus: at necdum id sumus, quod tunc erimus, vel necdum eiusmodi nunc sumus, cuiusmodi tunc erimus, quum altera quoque stola potiti eum, in quem nunc credimus, & spem nostram reijcimus, amoreque & desiderio ferimur, facie ad faciem, hoc est, coràm & clarè contuebimur.

1.Cor.15. 1.Ioan.3. 1.Cor.13.

Verumenimuerò licèt certum sit ibi superabundâsse gratiam, pacem, iustitiam, & sanctitatem, vbi dudum antè abundauerat peccatum, iniquitas, & certa pernicies: non omnis tamen quęstionis difficultatisque expers est apud omnes: An, quemadmodum filius Dei homo factus cumulatè perfectęq; debitum illud dependit, quod ex Adami scelere contractum vnà cum ipsa natura in nos transfunditur: ita plenè quoque copioseque totum illud dependerit, aut etiam dependere potue-

Rom.5.

Quosdam in quæstionem vocare, sáne copia satisfactum sit pro personalibus, qua satisfactum est pro originali.

tuerit, quod primario postea adiunctum est, aut quouis modo, aut temporis spatio, aut hominũ numero adiungi adhuc potest: An verò accessorium illud tantùm secundùm legis iustitiam, aut gratuitam Patris acceptationem exoluerit: non etiam secundùm rei in debiti contracti solutionem impensæ æqualitatem.

Quæstio hæc de satisfactionis Christi qualitate, & modo, non est omnino nulla, nec omnino etiam noua: Exercuit enim doctorum hominum ingenia ante multos annos non parum, alijs hanc, alijs illam partem non contemnenda prorsus rationum vi & authoritatum pondere vrgẽtibus. Nam cùm controuersia isthęc ex sacris literis non esset omnino manifesta & euidens, neque certò quoq; ab Ecclesia definita: citra fidei iniuriam licuit illis Scholæ iure & foro hîc vti, rationesq́; & argumenta, quæ in vtranque partem adferũtur, inter se committere, quantaque vi singulæ pollerent, discutere, ac tum demum in alteram, quæ pluribus & validioribus nixa videbatur, pedibus abire. Et quod veteribus Theologis fas ea in re fuit, hoc ipsum recentioribus vel hac ipsa quoque tempestate nefas fortassis non fuerit: quippe cùm eædem prorsus, & dubitandi, & disputandi quoque causæ nunc vrgeant & obtineant, quę tunc vrgebant & obtinebant. Quandoquidem vt ante mille annos nihil certi ea de re cautũ, definitúmve extabat: ita nec hac nostra memoria quoque quicquã omnino in hanc vel illam partem ex instituto ab Ecclesia cautũ, aut definitum extat. Sed neque in vna hac controuersia solùm eiusmodi rationem inire inculpatè licet, sed in cæteris quoque omnibus, quarum obiectum non est ipsa fides, aut aliquod fidei dogma, sed fidei tantùm modus.

Satisfactionis Christi modus ex sacris literis non est euidens.

De satisfactionis Christi modo nihil hucusque definitum ab Ecclesia.

Exẽplo, quod dicimus, vno aut altero illustremus. Torqueantur'ne sceleratorum spiritus apud inferos, id tanquam rem dubiam in disputationem adducere nequaquam licet: est enim id exploratissimæ fidei, & veritatis certæ: At citra vllũ omnino sacrilegium, aut fidei præiudicium, rationibus hinc

Torqueantúr'ne damnatorum spiritus apud inferos, in dubiũ vocare nõ licet: inquirere autem licet, quo modo, vel medio torqueantur.

inde collatis disquirere licet, corporeo'ne igni solo torqueantur, an & alio modo, vel medio: Et si solo corporeo, qua via, aut ratione eiusmodi ignis in substantias corporis expertes agere queat, vel etiam agat. Pari modo, Christus'ne ex virgine matre natus sit: Clausis'ne ianuis ad Apostolos introierit: Totus'ne secundùm vtranque naturã in sacrosancto Eucharistię Sacramento pręstò adsit: Eadem'ne ad numerũ, quæ posuerãt, corpora omnibus olim restituturus sit, istuc tanquam quiddam adhuc pendens ac dubium in controuersiam arcessere neutiquã licet. sunt enim hęc omnia ex Scripturis euidentia. At verò, quo modo hoc vel illud factũ sit, aut fieri potuerit, aut olim futurum sit, id argumentando & conferendo peruestigare adeò non est illicitum, vt verę quoque in sacris philosophandi rationi quàm maximè sit consentaneum.

Salua religione in dubiũ verti non potest, damnentúr'ne, qui obstinato animi sẽsu in Lutheranismo, vel Caluinianismo, vel alia quacunque hæresi moriuntur.

Sic tandem, Anilli, qui obstinato animi sensu in Arrianismo, aut Caluinianismo, aut Lutheranismo, aut Anabaptismo, aut alio quocunque istiusce modi errore, aut Secta vita hac mortali defuncti sunt, sempiternis Gehennæ flammis addicti, æternum moriantur, & viuant tamen semper, id salua fide in dubium vocari non potest. Constat enim ex Scripturis, vt vnus est Deus, & vnum item Baptisma; ita vnam quoque orthodoxam Catholicamq́ue fidem esse. Constat hinc nihilosecius nulli omnino citra eiusmodi fidem salutem contingere posse. Constat denique cùm ex his ipsis Scripturis, certisq́ue Spiritus sancti oraculis, tum ex diserta quoque Ecclesiæ Catholicę definitione, perpetuaq́ue eiusdem Ecclesiæ traditione, eiusmodi orthodoxam, Catholicam, & Apostolicam fidem non esse penès Lutheranos, aut Caluinistas, aut Anabaptistas, aut alios quoscunque ab Ecclesia proscriptos hęreticos: Attamen disputare, Ecquænam ex ijs Sectis erret absurdiùs, & per consequens apud inferos ardeat vehementiùs: istuc cum nulla labe, Christianæ've religionis discrimine coniunctum est.

Ad rem propositam: Satisfecerit'ne Christus Dominus pro

pro totius mundi peccatis, illud tanquam adhuc inexploratum & incertum in diſceptationem adducere nulli omnino mortalium licet. Scriptum eſt enim: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. item: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. rurſum: Verè languores noſtros ipſe portauit. & alia plurima in hunc ſenſum alibi. At verò de ſatiſfactionis ratione & qualitate, (puta an ex operis dignitate ſatisfecerit, an alio gradu, vel modo) modeſtam ac ſobriam diſputationem inſtituere neutiquam nefas fuerit. Imò verò propter recèns natos cadere errores cumprimis vtile exiſtit.

Certa fide tenendum eſt, Chriſtũ pro totius mũdi peccatis ſatisfeciſſe.
1.Ioan.1.
1.Ioan.2.
Eſai. 53.
Modus ſatiſfactiõis Chriſti non cadit ſub fidem.

Quanuis autem vtraque opinio, & ea, quæ ſecundùm rei æqualitatem; & ea rurſum, quæ ſecundùm legis præſcriptum tantùm Chriſtum Seruatorem pro ſcelerum omnium ratione, numero, & pondere ſatisfeciſſe contendit, ſuos authores, ſuasque rationes, & firmamenta habeat: prior tamen Scripturæ ſacræ, veterumque doctrinæ, & rationis quoque lumini eſt multò conformior, & in ſummam illam Chriſti Domini maieſtatem ac excellentiam multò conuenientior. Decet autem pectus pium, & in diuinis liberaliter inſtitutum, vt omnem Chriſto Redemptori gloriã, efficiendique vim, & energiam admetiatur, quam ſalua fidei veritate admetiri eidem valet: Et tota rurſum animi contentione id omne ab eo ſemouere, ac amoliri ſatagat, quod ampliſſimæ illius dignitati, maieſtati, excellentiæ, ac celſitudini quacunque ex parte aduerſari cognoſcitur: hoc præſertim tempore, quo Sectis addicti propter Chriſti meritum & ſatisfactionem Orthodoxos multis grauibus calumnijs onerant.

Id totũ Chriſto eſt largiẽdũ, quod ſalua fide eidẽ largiri poteſt.

Hæc igitur cùm ita habeant, planum facere conabimur, & illo, cuius cauſa hîc agitur, & gloria propugnatur, planum omnino & euidens faciemus, vnigenitum Dei filium noſtræ ſalutis cauſa carnem factum, cæſum, cruci confixum, mortuum, ac tertio demum die ex mortuis exuſci-

exuſcitatum non quouis modo pro omnibus mortaliũ omnium peccatis, quocunque tandem nomine illa cenſeantur, feciſſe ſatis, ſed cumulatiſſimè, modiſque omnibus perfectiſſimè: Neque illorum rationes, & argumentationes, qui alteram huic aduerſam quæſtionis partem acriùs, quàm fortè par eſt, vrgere, ac propugnare ſolent, oppoſitum euincere. Aſpiret ille pijs conatibus, qui hæc tanta, cùm nulla iuſtitiæ lege ad id obſtringeretur, noſtri cauſa perpeti, tantumque pro redemptione noſtra λύτρον pro ſua infinita miſericordia ac clementia impendere non recuſauit: imò vltro offerre voluit, & quidem ardenter voluit.

Minùs reuerenter agunt, qui cumulatã Chriſti ſatisfactionem acriùs impugnant.

Purum hominem humanæ ſalutis cauſa id præſtare non potuiſſe, quod eiuſdem gratia præſtitit Chriſtus. Potuiſſe id tamen, & quiddam eo etiam amplius, ſi ponatur non ad exactam iuſtitiæ rationem, ſed tantùm ſecundùm legis præſcriptum, vel Patris acceptationem feciſſe ſatis.

CAPVT SEPTIMVM.



Vòd igitur benigniſſimus parens, certiſſimuſque ſalutis noſtræ vindex Chriſtus Dominus non vulgari modo, & quaſi precariò pro totius mũdi ſceleribus Deo patri fecerit ſatis: ſed ea plenitudine, eaque perfectione, menſura, & pondere, vt ex parte ſatisfactionis, vel ſatisfacientis, nihil amplius exigi poſſit, etiamſi Deus ſummo iure cum genere noſtro agere velit, illud ex ſolo œconomiæ illius opere, vt cætera deeſſent, non omnino obſcurè colligi queat.

Ex ſola Chriſti œconomia ſatisfactionis eiuſdem plenitudo cõſtitui poteſt.

Etenim ſi labores, ſi moleſtiæ, ſi cruces, ſi ignominiæ, ſi cætera omnia, quæ admirabile illud incarnationis opus conſecuta ſunt, & noſtri cauſa ab incarnato Verbo ſuſcepta atque perfe-

perfecta sunt, non erant satisfactoria ex iustitia absolutè, sed tantùm ex lege, aut liberali creditoris acceptione: Si, inquam, quæ Christus Deus & homo, siue operaretur, siue pateretur persoluebat, debitum ab vniuerso humano genere contractum non exæquabant simpliciter, sed hactenus tantùm, quatenus vt paria vel iusta clementer admittebantur; eò nimirum, quòd plura, quæ dependi possent, in virium vel facultatum illius thesauris nulla extarent: nulla necessaria ratio apparet, cur, quod filius Dei homo factus præstitit, purus homo vel Angelus integrè præstare non potuerit.

Si Christus plenè nō satisfecit, nulla apparet ratio cur homo vel Angelus satisfacere nō potuerit.

Etenim vt Deus Trinitas Christi Seruatoris nostri satisfactionem secundùm se finitam, vt isti dicunt, suisque limitibus circunscriptam, atque ideo contracto debito imparem, veluti parem in communem omnium salutem ac redemptionem liberè liberaliterque admisit: ita cuiuslibet quoque puri hominis opus tanquam sufficiens in iustum totius humani generis λύτρον admittere potuisset, etiamsi illud, quod Christus impendit, multis partibus maius extitisset. Statuit nanque contrariæ partis opinatio, opera filij Dei, neque ex se, neque ex eo, quòd diuinæ hypostaseos pignora erãt, ad iustitię amussim fuisse satisfactoria: sed tantùm ex diuina liberalitate, & acceptatione. Atqui consectarium hoc, nempe purum hominem pro omnibus mortalium omnium peccatis satisfacere potuisse, veluti absurdum, & in Christi œconomiam planè contumeliosum à veneranda antiquitate omnino reijcitur. Omnes nanque concordibus suffragijs decernunt purum hominem, neque pro peccatis omnium satisfacere, nec omnium salutem promereri vlla ex parte potuisse: sed ad vtrunque filij Dei incarnatione opus fuisse. Non quidem absolutè (poterat enim Deus alio modo & medio mundum sibi reconciliare) sed quò exactè & plenè diuinæ iustitiæ fieret satis. Sed agè, vnum aut alterum ex pluribus ea de re differentem audiamus.

Vt homo in integrum restitueretur, Deum hominē fieri oportuisse, tradit venerãda antiquitas.

De Verb. incarn. In incarnationis mysterium neutiquã curiose inquirendum.

Athanasius: Suademus vobis, vt traditam fidem retineatis, & auersemini profana vanitatis verba. Et reliquis præcipiatis, vt exhorreant tanti mysterij inquisitionem. Et vt Deum in carne manifestatum esse secundùm Apostolicam traditionem ad iustitiam confiteantur, quam habet Dominus in Spiritu, hoc est, non humano more, sed diuina puritate. Alioqui impossibile est puritatem & innocentiam in humana natura exhiberi, nisi Deus credatur in carne fuisse, qui iustitiã omni peccato liberam in mũdum introduxit: cuius quia participes facti sumus, viuemus, & saluabimur.

Nisi Deus homo fieret, humana natura innocentiam consequi non poterat.

Homil. 13. in psal. 48. Homo redimere nos non poterat.

Basilius Magnus: Si frater non redimit, redimet homo? Si verò homo nos redimere non potest, qui nos redemit, non est homo.

Gregorius Nazianzenus: Indigebamus omnino vt Deus carnem assumeret, & mortem subiret.

Homil. 10. in Ioan.

Chrysostomus: Cecidit natura nostra eo casu, vt nullo modo restitui posset. Nec enim resurgere poterat homo, nisi qui eum effinxerat à principio manum porrigeret.

Lib. 3. c. 1. fid. Redemptorẽ ἀναμάρτητον esse oportebat.

Damascenus: Etenim qui redempturus erat, oportebat prorsus ἀναμάρτητον, & nulli per peccatum morti obnoxiũ esse. At solus Deus suapte natura ἀναμάρτητος existit.

Quicunq; statuunt Deũ incarnari oportuisse, ex cõsequenti statuunt ad exactam iustitiæ rationem pro homine satisfecisse. Athan. Basil. Greg. Naz.

En omnes hi Patres diserta oratione exponunt, ad exhibendam eiusmodi satisfactionem, cuiusmodi Deus ab homine exigebat, opus fuisse viribus humanis maioribus: Et ex consequenti clarè ostendunt incarnatum Verbum debitum à nobis contractum non ex parte, sed integrè dependisse. Nam quomodo iustitiam omni omnino debito liberam exhibuit: aut hominem fieri necessum fuit, si ad iustum, quod debebatur, non exoluit? Quomodo homo hominem redimere non potuit, si Deus homo factus æs alienum ab homine conflatum ad rei æqualitatem non dissoluit? Quomodo indigebamus, vt Deus mortem subiret, si tantùm precariò, & ex legis

gis præscripto satisfecit? Quomodo homo resurgere non poterat, nisi qui eum finxerat, manum porrigeret, si quod per hominem conciderat, per filium suum inhumanatum integrè restituere nequibat? Quomodo Redemptorem ἀναμάρτητον esse oportuit, si non ad iustitiæ legem, sed tantùm ad legis iustitiam ab eo factum est satis? Similes de necessaria diuini Verbi incarnatione, copiosaque eiusdem satisfactione sententias, & apud Latinos quoque Scriptores comperias. Chrysost. Damasc.

Leo huius nominis primus: Minùs mirum est hominem ad diuina proficere, quàm Deum ad humana descendere. Hoc autem nisi facere dignaretur omnipotens, nulla quenquam spes iustitiæ, nulla forma sapientiæ à captiuitate diaboli, & profundo æternæ mortis erueret. & infrà: Nisi Verbum Dei caro fieret, & habitaret in nobis, nisi in communionem creaturæ creator descenderet, regnaret mors ab Adam vsque in finem: & damnatio super hominem insolubilis permaneret. & alio rursum Sermone: Talis natiuitas decuit Dei virtutem & sapientiam Christum, qua nobis, & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset verus Deus, nō adferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum. Ser. 4. de nat. Nisi Deus ad humana descēderet, nulla forma sapiētiæ hominē à captiuitate diaboli liberaret. Ser. 5. de nat. Ser. 2. de nat.

Augustinus: Quæ est igitur iustitia qua victus est diabolus? Quæ nisi iustitia Iesu Christi? & infrà: Nunquid isto iure diabolus vinceretur, si potentia Christus cum illo agere, non iustitia voluisset? Sed postposuit quod potuit, vt priùs ageret quod oportuit. Ideo autem illum esse opus erat, & hominem, & Deum. Nisi enim homo esset, non poterat occidi: Nisi & Deus, non crederetur noluisse quod potuit, sed nō potuisse quod voluit. Lib. 13. c. 14. de Trinit. Diabolus iustitia victus est, non potentia.

Ambrosius: Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei filius pro nobis moreretur debitoribus mortis. Sed sic dignos fecit Testamenti & promissæ hæreditatis. & alio rursum loco idem: In ep. ad He. Non poteramus saluari, nisi vnigenitus Dei filius ꝓ nobis moreretur.

In epist. ad Roma.

Decreuerat Deus propter primum peccatum non intromittere hominem in paradisum, nisi in vno homine tanta existeret humilitas, quę omnibus suis proficere posset: sicut in primo homine tāta fuit superbia, quæ omnibus suis nocuit. Non est autem inuētus inter homines aliquis, quo id posset impleri, nisi leo de tribu Iuda, qui aperuit librum, & soluit signacula eius: implendo in se omnem iustitiam, hoc est, consummatissimam humilitatem, qua maior esse nō posset: Nam omnes alij homines debitores erant, & vix vnicuique sua sufficiebat virtus & humilitas.

Solus leo de tribu Iuda omnē iustitiā implere potuit.

Lib. Cur Deus hom.

Anselmus: Nihil est quod super omne sit, quod Deus non est, nisi Deus. B. Verum est. A. Non ergo potest hanc satisfactionem facere nisi Deus. B. Sic sequitur. A. At nec facere illam debet, nisi homo. B. Non videtur aliquid iustius. A. Si ergo, sicut constat, necesse est vt de hominibus perficiatur illa suprema ciuitas, nec hoc fieri potest, nisi fiat prædicta satisfactio, quam, nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est vt faciat illam Deus homo.

Plenè pro homine satisfacturū, Deum & hominem esse oportuit.

Et hi quoque, & alij præterea quàm plurimi, quos breuitatis studio missos hîc facimus, purum hominem pro mortalium omnium peccatis satisfacere potuisse disertè negant. Atqui si Christus Dominus secundùm exactam iustitiæ rationem patri non satisfecit, neque satisfacere potuit: nihil profectò obstabat, quô minùs alius, qui Deus non esset, id præstaret, quod ipse præstitit.

Si Christus iustè non satisfecit, nihil præstitit, qđ purus homo præstare non potuit.

Imò verò si Christus Redemptor noster debito contracto par non reddidit, neque vltima conatus par, vt isti dicunt, reddere valuit; sed id tantùm, quod secundùm paternæ legis præscriptum redditum oportuit: consequens fit hominem vel Angelum non solùm æquè perfectè ac copiosè, atque Verbum ipsum in carne satisfacere potuisse, sed illo ipso quoque Verbo aliquanto perfectiùs & cumulatiùs. Nam cùm Deus homo, vt istis placet, neque per singula seorsum, quæ vel operatus est nostri causa, vel eadem de causa perpessus est: neque

Si Christus ad exactā iustitię rationem nō satisfecit, homo vel Angelus æquè copiosam vel etiam copiosiorem satisfactionē adferre potuit, ac attulit Christus.

neque per omnia simul aliquid dependit, quod in meriti, vel satisfactionis ratione esset infinitum: sed quicquid dependit, aut quouis modo dependere potuit, id totum, & in genere rei, & in genere satisfactionis, & in genere meriti fuit finitum, & limitatum: & omni finito dependi possit aliquid maius: licuit sanè præpotenti Deo, potẽtia saltem absoluta, gratiam vsq; adeò excellentem alicui homini, vel Angelo impertiri, vt & maioris meriti, & maioris quoque satisfactionis officia ederet, quàm edidit filius Dei. Sed quis hęc tã absurda, salua Christiana pietate, concedere audeat, aut asseuerare quoque non horreat?

Potentia absoluta Deus maiorẽ gratiam conferre potuit homini vel Angelo, quàm contulit Christo.

Quòd si nulli omnino creatæ naturæ tantum gratię præsidium conferri posse contendant, quantum Christo collatum credimus: atque ideo id, quod sumebatur, inficias eant: certè cum ratione inficiari non possunt quin, vel tertia, vel decima, vel centesima, vel millesima tantę illius gratię portio vni alicui homini, vel Angelo potuerit infundi. Hoc autem posito, consequens mox fiet tres, aut sex, aut decem, aut centum, aut mille homines, vel Angelos, par cum Christo satisfactionis pondus, aut etiam maius in medium adferre potuisse. Sic quoque (nisi quis fortè studio proteruire velit) negari non potest, quin Deus Opt. Max. si suæ imperscrutabili sapientiæ ita visum fuisset, opus hominis communibus Christi operibus impar, hoc est, minori ex charitate ac spiritus feruore natum, quàm erant ea, quæ ex eiusdem Christi Redemptoris voluntate prodibant, in omnium cùm hominum tum dęmonum quoque salutem, pro sua infinita potentia & misericordia admittere potuerit. Hoc autem dato, sicut ex assignata hypothesi dari necessum est, efficietur vt puri hominis meritum vel satisfactio, Christi meritum & satisfactionem multis partibus excedant: vt quæ iam non in hominum tantùm salutem sese extendant, verùm etiam in tartareorum spirituum liberationem. Atqui omnia hæc mera sunt paradoxa, iam olim, vt absurda, maiestateque Christi prorsus indigna, ex sobrijs Catho-

Negari cum ratione non potest quin Deus tantam gratiam conferre potuerit pluribus hominibus vel Angelis, quãtam contulit vni Christo.

Potuit Deus communis hominis opus in omniũ hominum & dęmonum salutem admittere.

licorum Scholis meritò explosa. Patet ergo ex prima hac argumentatione Christum Dominum par debito contracto precium dependisse.

Christum Redemptorem nostrum integrè pro omnibus mortalium omnium peccatis fecisse satis, ex integræ satisfactionis conditionibus, alijsque Scholæ rationibus, & argumentis in eundem scopum collimantibus demonstratur.

CAPVT OCTAVVM.



Quatuor perfectæ satisfactionis partes.

Deo ad iustũ satisfacturus, & iustus sit, & integra satisfactionis causa existat, & ex proprio satisfaciat, & aliàs indebitum soluat, oportet.

PRimæ huic rationi, quæ prępotens est, adde, si lubet, communi Theologorum sententia, Satisfactionem numeris omnibus & partibus perfectam quatuor duntaxat conditiones, vel qualitates deposcere. Harum prima est, vt is, qui satisfacit, sit iustus. Nam etsi Deus iniustorum officia in solutionem, aut certè in aliquam solutionis partem admittere queat, & interdum fortè admittat, nulla tamen lege ad id obligatur. Altera est, vt satisfaciat ex proprio, non ex alieno. Neque enim seruo aut œconomo ius est damnum, quod domino vel alteri cuicunque intulerat, ex herilibus facultatibus resarcire. Tertia est, vt integra satisfactionis causa existat. Nam etsi verè & integrè satisfaciat, qui totum illud exoluit, quod creditori debebat: attamen si, vel ipse creditor, vel alius quiuis æris soluti partem gratis donet, citra quam gratiam vel cõdonationem aliâs plenè satisfacere non potuisset, profectò eiusmodi debitor non potest integra satisfactionis causa verè dici, sed tantùm partialis: iuuit enim alter, qui precij partem contulit. Quarta & postrema est, vt, quod satisfactionis nomine persoluit, nullo id alio titulo creditori debeat. Nam qui id numerant, quod alio alioqui titulo vel nomine debebant, non tam à contracti debiti vinculo sese liberant, quàm debi-

biti modum, vel qualitatem demutant. Hęc autem omnia & singula absolutissima ratione comperiuntur in eo satisfactionis genere, de quo hîc disserimus.

Primò nanque, qui satisfaciebat, sanctissimus, Deoque, cui satisfaciebat, gratissimus erat: vtpote omni gratia, scientia, veritate, & diuinitate plenus. Verbum, inquit Ioannes, caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratię & veritatis. & Paulus: In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. & cœlestis pater: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Christus satisfaciens erat iustus, ac Deo prę omnibus gratus.

" Ioan. 1.
" Colos. 2.
" Matth. 3. 17.
"

Mox quod in conflati debiti solutionem dependebat, non ex alieno dependebat, sed ex proprio: Siquidem gratia, qua satisfaciebat, non erat ipsi aduentitia, vt creaturæ solet, sed ob singularem illam naturarum inter se vnionem, & ἰδιωμάτων κοινωνίαν, erat ipsi propria: Vnde & naturalis ipsi extitisse dicitur. Et quidem verè & propriè id dicitur: non ob id solùm, quòd à natiuitate, vel ab ipso conceptionis momento hoc habuerit humana natura, vt singularis gratiæ dono secundùm animam prę omnibus alijs ornata esset: Verùm ob id maximè, quòd à persona vel natura diuina tanquam à principio ipsi Christo penitus interno in naturam humanam dimanaret. Erat sanè natura, vnde vis illa dimanabat, tribus diuinis hypostasibus communis: attamen vt ipsa naturæ acceptio non constituit filium debitorem, (accepit enim illam non precariò tanquam alienam, sed naturaliter ac necessariò tanquam propriam, sibi've debitam: vnde & ex proprio operari dicitur) ita nec gratia quoque, quę ex eiusmodi communi natura profluit, alteri ipsum obnoxium reddit, ita vt verè dici possit illum eiusmodi gratiæ pręsidium ab altero mutuari, & non ex proprio, vel à seipso petere.

Gratia Christo naturalis & propria, nō aduentitia.

Gratia Christo duplici de causa naturalis.

Tertiò Seruator noster non erat satisfactoriæ actionis causa ex parte, sed integra simpliciter. Nam cùm satisfactoriæ actionis,

Christus totalis satisfactionis causa.

actionis, ſicut & meritoriæ quoque, duæ aſſignari ſoleant cauſæ, vel duo principia: videlicet liberum arbitrium, & gratia, vel Spiritus ſanctus per gratiam mentem excitans: hęc vtraque in Chriſto interna extitit. Quandoquidem cùm vnus idemque ſimul eſſet Deus, vnius eiuſdemque eſſentiæ & potentiæ cum Patre & Spiritu ſancto, & ſimul nihilominus verus eſſet homo mente & libero arbitrio præditus, fiebat, vt quicquid is in ſatisfactionem adferret, id totum integrè, & in ſolidum ex ſeipſo, & quaſi ex proprio peculio adferret.

Duo meritoriæ actionis principia, gratia, & liberũ arbitrium.

Quicqd perſoluebat Chriſtus, id totũ tanquam indebitum perſoluebat.

Tandem quicquid idem perſoluebat, hoc totum tanquam indebitum perſoluebat. Nec enim vllum omnino debitum, aut vlla omnino iuſtitiæ ratio Chriſtum vrgebat, vt id dependeret, quod in morte dependit. Peccatum enim nullum omnino deſignauerat, propter quod tam dira, & tam immania ſupplicia expenderet. Pro beneficijs autem in humanam naturam, quam aſſumpſerat, imò verò in vniuerſam mortalium naturam collatis, citra mortem, tantorumque ſudorum exantlationem, & cruciatuum perpeſſionem abundè ſatisfacere, vel gratias agere poterat: tum quia ſingulę illius actiones propter ſummam illam perſonę, quę ſatisfaciebat, vel gratias agebat, excellentiam infinitam quandam vim & energiã ſortiebantur: tum maximè, quia pro eiuſmodi beneficijs nihil quicquam debebat ex diuino pręcepto, ſed ſi quid hîc debebat, hoc ſolùm debebat ex morali quadam gratitudine: Atque ita mors, & quæ illam anteceſserunt, quod ad illum quidem attinebat, erant ſimpliciter indebita, & per conſequens poterant alteri ſecundùm totam ſuam vim, & meritoria, & ſatisfactoria quoque eſse.

Singulæ Chriſti actiones in ratione meriti infinitæ.

Sed ponamus officia illa fuiſse debita, & conflata debita in partem quoque infinita: (Nam inter cætera & vnionis gratia, hoc eſt, eſse perſonale Verbi humanæ naturæ communicatum continebatur quoque) adhuc citra vllam mortem, aut vllum omnino cruciatum pro ſe ſatisfacere potuiſset. Nrc enim Verbum incarnatum plus debebat, quàm acceperat, vel quàm

quàm ipſummet ſecundùm ſe totum erat. Offerendo itaque ſe totum ad patris beneplacitum, totum vtique quod debebat in ſolidum exoluiſſet. Nihil enim maius, nihil melius acceperat ſeipſo toto. Chriſtus itaque non precariam aut imperfectam, ſed plenam perfectamque ſatisfactionem æterno patri exhibuit.

Qui totum, quod acceperat, integre reddit, integrè pro omnibus acceptis ſatisfacit.

Quin & alia quoque ratione probari id poteſt. Nam ſi filius Dei homo pro homine factus & mortuus ſecundùm impenſi operis dignitatem, vel rei çqualitatem pro ſceleribus noſtris non ſatisfecit, neque ſatisfacere potuit, ſed tantùm ſecundùm legem à patre præfinitam: ſequitur id vnum tantùm in ſatisfactionis rationem dependiſſe, quod iuxta factam virium eiuſdem æſtimationem, & debebatur abſolutè, & à creditore depoſcebatur ſimpliciter, & nihil quicquam amplius. Iam ſi hoc verum eſt, falſum erit vulgatiſſimum illud, & apud omnes receptiſſimũ axioma, quo cõſtanter aſſeritur, quodq́; fideliter quoq; creditur, Chriſti merita non pro hoc tantùm mundo ſat eſſe potuiſſe, ſed pro alijs quoq; innumeris, ſi innumeri extarent, vel alicubi extare poſsent. Nam ſi per ſe abſolutè pro vno hoc mundo verè & propriè ſat non ſunt, quo modo pro infinitis mundis ſat erunt?

Non rectè ſatis dicitur & creditur, Chriſti merita pro innumeris mũdis ſat eſſe potuiſſe, ſi ne pro vno q. dem ſecundũ iuſtitiæ rigorem ſatis fuerunt.

Sed & vanum quoque & commentitiũ videri poterit, quod de Eccleſiæ theſauro prędicatur, & certa fide in vniuerſa Eccleſia tenetur. Nam ſi incarnati Verbi ſatisfactio non eſt exundans, multò minùs diuorũ ſatisfactiones exundãtes erunt. Atque ita nihil ſuppetet Eccleſiæ, vnde vt pia mater filiorum ſuorum inopiam per modum condonationis ſubleuare interdum valeat. Et per conſequens Indulgentiarum vſus per ſe, nec vtilis erit Chriſti fidelibus, nec ſalutaris. Quod etſi Sectis adſcripti vltro concedant, Catholica tamen fide ſalua concedi omnino non poteſt: Conſtat enim poteſtatem condonandi peccata à Chriſto Eccleſię cõceſſam eſſe, ipſamque eiuſmodi poteſtate diuinitùs ſibi tradita iam inde ab initio ſemper vſam eſſe, & quidem ſalubriter vſam eſſe.

Derogant Indulgentiæ fidei, qui ſatiſfactiõis Chriſti iuſtitiam impugnant, vel negant.

Deus non ita seuerus est in plectẽdis peccatis, sicut liberalis est in remunerãdis actibus studiosis.

Eò vnũquodque opus magis est meritorũ, quò ortum fuerit ex maiori charitatis feruore: eò rursum vnumquodque peccatũ grauius, quò ex maiori contemptione fuerit natum.

Prętetea certum, & apud omnes orthodoxè institutos indubitatum est, misericordiarum patrẽ æquè propensum promptumq; esse ad pẽsandum opus aliquod, ex vera charitate perfectaque obedientia natum, atq; ad plectendum scelus quodcunque ex inobedientia legísve contẽptione profectũ. Quare paribus hinc inde gradibus assignatis, maius, aut certè non minus erit prȩmium charitatis & obedientiæ, quàm supplicium contemptionis ac inobedientiæ. Quòd si obedientię vel charitatis gradus inobedientię vel despicientię gradibus ampliores intensioresve extiterint, meritum charitatis & obedientię citra vllam controuersiam multis partibus excedet peccatum rebellionis & inobedientiæ. Siquidem meriti ac demeriti quantitas sequitur quantitatem & excellentiam principij. Eô nanque vnumquodque pietatis officium magis apud Deum est meritorium & satisfactorium, quô maiori illud ex charitate, & perfectiori obedientia fuerit natum: Sicut versa quoque vice cô vnumquodque peccatum & scelus cæteris exęquatis censeri solet grauius & sceleratius, quô ex maiori legis contemptione, acriori ve rebellandi studio dimanauerit. Atqui in nullo vnquam mortalium tanta comperta est animi rebellio, aut legis contemptio, quanta in Christo Redemptore obedientia & dilectio, cùm quo ad affectum, tum etiam quo ad effectum, hoc est, non solùm secundùm internum feruorem, animę ve contentionem, verùm etiam secundùm efficientiam, & opus ipsum externum.

Charitas Christi maxima, cùm quo ad affectum, tũ quo ad effectum.

Erat, inquam, charitas incarnati filij Dei, qua ille ob patris vnicè dilecti honorem in generis nostri salutem ferebatur, secundùm feruorem, internamque animi affectionem maxima: vtpote tota voluntatis vi, totoque reliquarum virium nixu expressa; ac per vniuersum vitę decursum eodem semper ardore, contentione, atque perfectione continuata. Nec enim incarnatum illud Dei Verbum mortalium salutem aliquando sitiebat ardentiùs, aliquando remissiùs, minúsve ardenter, sed nun-

nnnquam non ardentissimè. At verò secundùm efficientiam & opus ipsum externum Christi in genus nostrum dilectio & studium fuit tantum, quantum nulla cogitatione consequi possumus. Neque enim contentus is erat patibili carnis nostræ natura assumpta, communes vitę huius miserias & calamitates nostri causa experiri, multisque & magnis laboribus atque vigilijs delassari: tum varijs quoq; contumelijs affici, & iniurijs onerari: Verùm omnem dilectionis modum longè prætergressus, ne nos inimici illius moreremur, aut in morte, quam iam incurreramus, perpetuò iaceremus, ipse immanissimo mortis genere è medio tolli, publicumque pro nobis maledictum ac probrum fieri voluit.

Secũdùm efficientiam opusq; externum Christi in nos dilectio summa.

Non inficiamur compertos esse quandoque, qui vitam fortunasq; omnes impendere maluerint, quàm fidem fallere, aut officium negligere, aut aliquid turpe in se admittere: Imò verò, qui reipublicę, vel priuati amici causa mortem non dubitarent oppetere: Attamen vt omnes mortalium omnium vitæ in vnum conflentur, conflatæque ac simul omnes sumptę in mundi precium impendantur, adhuc multò minus impendetur, quàm Christus salutis nostrę causa solus impendit. Vita nanque, quam is ex flagrantissimo charitatis ardore pro nobis ad mortem obtulit, ipsi rerum vniuersitati multis partibus præstabat. Erat enim vita veri Dei, hominisque sanctissimi, & innocentissimi, nec non omnibus Spiritus sancti donis cumulatissimè locupletati.

Vita Christi mortalium omnium vita præstantior.

Mitto hîc, qui, vel amici, vel officij, vel reipublicæ causa vitam contemnunt, vel impendunt, non tam vitam amittere, vel mortem oppetere, quàm aduentanti morti, quæ nunquam procùl abest, paululùm obuiàm procedere, hoc est, aliquanto maturiùs, quàm à natura constitutum erat, vita defungi. Nam vt hac vel illa ciuili causa impulsi non morerentur, paulò pòst alia vel inuiti morituri erant, cùm non essent immortales. At verò Christus, qui in infamem illam crucis mortem vltro propter nos sese

Qui amici vel officij causa moriũtur, nõ tam moriuntur, q̃ morti paululùm obuiàm procedunt.

Christus, si voluisset, æternum viuere poterat. Ioan. 10.

contradidit, æternum, si voluisset, viuere poterat. Ego, inquit, pono animam meam, & iterum sumo eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatē enim habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.

Omne depēdens & imperfectū pendet ab aliquo perfecto & independente.

Addiderim hisce rationibus & argumentis & hoc quoque, nempe omne omnino dependens & imperfectum ab aliquo absolutè perfecto & independente dependere solitum esse. Neque enim datur hîc progressio nullis circunscripta limitibus: alioqui enim nullum vnquam imperfectum perficeretur, aut aliunde dependens firmaretur. Cùm igitur nostra satisfactio sit infirma, & debito contracto impar, omnemque, qua pollet, vim & robur à Christi satisfactione mutuetur, eidemque tota quanta est vt fundamento innitatur: fit, vt vna hęc absolutè perfecta, & independens censenda sit. Nam si huius quoque vis & energia, vel à diuina acceptatione, vel ab alio quocunque principio externo dependet, nihil omnino erit causę, cur nostram illi veluti basi incumbere tueri debeamus.

Nostra satisfactio totum suam robur & vim mutuatur à Christi satisfactione

Aut nemo, quod dici nō debet, aut Christus conflatum à nobis debitum ad exactam iustitiæ rationem dissoluere potuit.

Denique, aut nullus conflatum ab homine debitum ad exactam iustitię rationē dissoluere, gratiamq; & gloriam ex condigno nobis promereri potuit, (id quod defendi non debet, neq; citra aliquam temeritatis notam defendi quoque potest. Quis enim credat plus apud Deū posse noxam, quàm gratiam? mortem, quàm vitam? prauam peruersam've voluntatem, quàm piam, rectam, ac sanctam?) aut Christus vtrunque excellenter potuit. Imò sola illius mors totum illud iustè promerebatur, quod nobis, vel in hac, vel in altera vita exoluēdum erat. Tanti nanque erat mors illa, quanti erat vita, quæ per illam interimebatur. Ea autem, vt nuperrimè dicebamus, precij erat infiniti, vtpote vita veri Dei.

Dignissimus Christus, qui exaudiretur, quicquid tādem peteret.

Quòd si & morte, & cęteris omnibus, quæ fecit, vel passus est, seclusis, solam precum ac supplicationum, quas fundebat, iustitiam & energiam spectes, nullum, neque in cœlo, neque in terra, neq; infra terrā, vno hoc, qui exaudiretur, digniorem com-

comperias. Erat enim ille innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus, maiestate cœlis altior: humilitate, singulariq; animi submissione inferno profundior: charitatis ardore mari terraque diffusior. Sed nec quicquam omnium, aut expeti potuit honestius, aut concedi iustius, atque illud, quod ille assidua animi contentione vrgebat, ardentibusque votis vsque expetebat. Neque is enim efflagitabat mundi gloriam, aut opum copiam, aut vulgi fauorem, aut inimicorum vindictam, aut aliquid aliud eiusmodi: sed paterni honoris & nominis amplificationem, maiestatisque ac potentiæ eiusdem notitiam & venerationem, ac nostram tandem cum Deo pacem, & reconciliationem. Vnde etiam in diebus carnis suæ preces, & supplicationes offerens pro sua reuerētia exauditus traditur. Constat hinc ergo, & nisi vehementer fallimur, euidenter & clarè constat, Christum Deum, ac Dominum nostrum nō solùm sufficienter pro omnium sceleribus fecisse satis, verùm etiam copiosè & affluenter. Extat nanq; apud ipsum non quęuis misericordia, aut propitiatio, aut redemptio, sed copiosa, & plena, & cumulata, & superabundans.

Heb. 7.

Nihil peti potuit honestius, nihil cōcedi iustius eo, quod efflagitabat Christus.

Cuiusmodi extitetint Christi vota, qualiaq; petere solitus erat.

Heb. 5.

Psal. 129.

Eadem illa copiosa Christi Seruatoris redemptio, meritorumque eiusdem magnitudo graui quorundam Patrum authoritate demum statuitur, & confirmatur.

CAPVT NONVM.

POterant sanè hæ rationes, cæteræque, quæ ex mutua vtriusque parētis inter se comparatione petuntur, & iam antè allegatæ sunt, lectori non omnino moroso sat esse. Verùm quòd sententiam hanc pio Christianoq; pectore apprimè dignam, omnibus persuasum vehementer cupiam: alteram verò huic oppositam omnino explosam, æternęque obliuioni consecratam, Patrum sententijs, Sancto-

Explodenda sententia, quę Christi satisfactionē cōntracto debito imparē fuisse propugnant.

Sanctorumque testimonijs, quibus suprà demonstratum est, vt homo in integrum restitueretur, oportuisse Deum hominem fieri, pati item, ac mori, ac tertio demũ die ex mortuis exuscitari: paucas quasdam alias, quę de Dominicę satisfactionis plenitudine, & perfectione ex instituto agant, adijcere hoc loco visum est.

Lib. de Verb. incar.

Athanasius: Cùm certum haberet Verbum Dei, corruptionem non aliter desituram esse in hominibus, nisi omnes morerentur, & se mortis capax non esse, ideo corpus, quod mori posset, assumpsit: vt illud rationis particeps effectum, & pro omnibus morti traditũ, ad plenã satisfactionẽ pro omnibus sufficeret. Obserua hîc Christũ Redemptorẽ non ad quamlibet, aut precariam satisfactionem mortem degustâsse, sed ad plenam. At quomodo plena est, si perfecta non est? aut quomodo perfecta est, si contracti debiti quantitati par non est?

Corpus Christi pro omnibus morti traditum ad plenam satisfactionẽ faterat.

Ser. de Christi natiuit.

Cyrillus: Obtulit semetipsum immaculatum sacrificium Deo, & patri in odorem suauitatis. Ingens pro vita nostra precium, vtpote proprium sanguinem impendit. Vnus hic nanque cunctis præstabat. Imò vniuersam creaturã multis partibus excellebat. & alio rursum loco: Quo pacto autem vnus pro omnibus mortuus iustum pro omnibus precium exoluere potuit, si perpessionem illam puri cuiuspiam hominis fuisse dicamus? Quòd si verò Verbum secundùm humanam naturam passum propriæ carnis perpessiones quasi proprias in se transtulit, sibique vendicauit, tunc demum vnius mortem secundùm carnem omnium hominum vitæ præpõderâsse rectissimè asserimus. His nihil clariùs dici potest: disertè enim asserit vnius mortem secundùm carnem omnium vitæ præponderâsse: tum precium pro vita nostra depensum vniuersæ creaturæ valorẽ multis partibus excelluisse.

Christi sanguis vniuersam creaturã multis partibus excellebat.

Orat. cont. Nestor.

Vnius mors secũdùm carnem omnium hominũ vitæ præponderat.

Orat. de Christi natiuit.

Proclus Episcopus Cyzicenus: Alterutrum necessum erat, aut vt omnes propter condemnationem præcipites abirent in mortem, omnes enim peccauerant: aut certè vt eiusmodi precium in solutionem dependeretur, quod exactum, con-

contractumque debitum ad iustitiæ amussim exæquaret. Atqui homo, quòd peccati debito subiaceret, saluare non poterat: Angelus verò, quòd tanto redemptionis precio destitueretur, humanum genus redimere nequibat. Supererat ergo vt ille pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat; atque vnica hęc restabat mali solutio. & paucis interiectis rursum: Eiusmodi nullus vnquam fuit, nec est, nec erit, nisi vnus ille, & solus ille, qui secundùm diuinam dispensationem ex virgine natus Deus simul & homo est. Nec enim eam solùm vim obtinet, quæ redimendæ culpæ obnoxiorum multitudini par sit, sed eiusmodi, quæ multis modis excedat. Hæc de profusa Christi satisfactione Proclus Cyzicorum Antistes.

Solus Christus ad iustitiæ amussim satisfacere poterat: quia solus Deus & homo peccati expers erat

Basilius Magnus: Quid potest inuenire homo tantum, vt det pro redemptione animæ suæ? Sed inuentum est vnū omnibus simul comparandum, quod datum est in precium redemptionis animarum nostrarum: nimirum sanctus & preciosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro omnibus nobis effudit. Quapropter etiam magno precio redeēpti sumus. At quomodo vnū omnibus simul sumptis ritè comparari potest: si vnū illud non omnibus par, aut etiā maius est? Nam si vnum illud omnibus minus extitit, neutiquā tanta illa impensa opus fuit. Minus enim, non solùm in Angelo comperiri potuit, verùm etiam in homine.

Hom. 13. in psal. 48.

Sanguis Christi cum omnibus debitis nostris comparari potest.

Clemens eius appellationis sextus: Vnigenitus Dei filius de sinu patris in vterum dignatus est descendere matris, in qua & ex qua nostræ mortalitatis substantiam diuinitati suæ, in suppositi vnitate, ineffabili vnione coniunxit: id quod fuit permanens, & quod non erat assumens: vt haberet, vnde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo patri. & infrà: Non corruptibilibus auro & argento, sed suijpsius agni incontaminati & immaculati precioso sanguine, nos redemit: quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum

c. Vnigenitus in extrauag. De pœnit. & remiss.

1. Pet. 1.

Vna sanguinis Christi gutta ad totius humani generis redēptionem satis erat.

Verbum pro redemptione totius humani generis sufficeisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse, ita vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis, nulla sanitas inueniretur in ipso. Et ne tanta illa sanguinis vis nullo fructu, aut temere profusa videri queat, subdit:

Ecclesiæ thesaurus ex redundantibus Christi meritis conflatur.

Luc.19.

Quantum ergo exinde, vt nec superuacua, inanis, aut superflua tantę effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis filijs thesaurizare pius pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum cœli clauigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum: Ex proprijs & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. & paucis interiectis: De cuius thesauri consumptione aut imminutione non est aliquatenus formidandū, tam propter infinita Christi (vt prędictum est) merita, quàm pro eo, quòd quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Merita Christi infinita.

Nō ob aliquā pactionē, aut patris acceptationē, sed ob psonæ patientis dignitatem Christi sanguis infinitę virtutis erat.

En solidum veniarum Ecclesiasticarum fundamentum: En luculentum assertę veritatis testimonium. Definitur hîc enim claris disertisque verbis, vnicam duntaxat Dominici sanguinis guttam, non ob aliquam pactionem, aut gratuitam patris acceptationem, aut aliam quamcunq; causam externam, sed ob admirabilem illam humanę naturę cum Dei Verbo coniunctionem, in totius mundi redemptionem sufficere potuisse. Tum meritorum Christi thesaurum non esse angustum, exiguis've cancellis circunscriptum, sed infinitum, modisque omnibus inexhaustum. ait enim: Quantumcunque indè hauriatur, ob sui infinitatem exhauriri nūquam posse. quæ omnia vanè planeque præposterè dicerentur, si redemptionis nostrę λύτρον secundùm se, vt isti dicunt, finitum esset. Tum demum Christi

Christi meritum non solùm per Sacramenta, sed extra Sacramenta quoque fidelibus communicatum efficax esse. Atque vnum hoc solum Sedis Apostolicę oraculum ad dirimendam hanc litem sat esse poterat. Nec enim hęc obiter, & quasi per transennam inter aliud agendum attinguntur, sed ex instituto definiuntur, & ex cathedra pronunciantur. Scopus enim Pontificis fuit vtrunque planum facere, nempe Indulgentias Christi fidelibus vtiles, ac salutares esse: easdemque non vulgari, sed validissimo solidissimoque fundamento niti, puta inexhausto infinitorum meritorum Christi thesauro: disputat ibi enim de plenaria illa Indulgentia, vel remissione, quę anno Iubileo concedi solet.

Anselmus: B. Si omne bonum tam bonum est, quàm mala est eius destructio, plùs incomparabiliter est bonum, (esse, vel vita Christi) quàm sint ea peccata mala, quę sine existimatione superat eius interemptio. A. Verum dicis. Cogita etiam quia peccata tantum sunt odibilia, quantum sunt mala: & vita ista tantum amabilis, quantum est bona. Inde sequitur, quia vita hęc plùs est amabilis, quàm peccata odibilia. & addit: Putas'ne tantum bonum, tam amabile posse sufficere ad tollendum, quod debetur pro peccatis totius mundi? B. Imò potest plus, quàm infinitum. A. Vide ergo quomodo vita hęc vincat omnia mundi peccata, si pro illis detur. His Anselmianis an de plenitudine satisfactionis Christi clariùs aliquid dici possit, non video. Lib. 2. Cur Deus homo. Vitæ Christi bonitas in infinitum excedit malitiam omnium peccatorum.

Thomas Aquinas: Vita corporalis Christi habebat quendam infinitum valorem ex coniuncta diuinitate, inquantum non erat vita puri hominis, sed Dei & hominis. Et ideo potuit esse sufficiens recompensatio vitæ spiritalis, & pręcipuè ratione eximiæ charitatis, ex qua offerebatur. & alio rursum loco idem: Ille propriè satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æquè vel magis diligit, quàm oderat offensam. Christus autem ex charitate & obedientia patiẽdo, maius aliquid Deo exhibuit, quàm exigeret compensatio totius offensæ humani 3. d. 20. 3. Vita Christi ex coniuncta diuinitate habebat infinitũ valorem. 3. p. q. 48. 2.

generis: Primò quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundò, propter dignitatem suæ vitæ, quam pro satisfactione ponebat, quę erat vita Dei & hominis. Tertiò, propter generalitatem, & magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solùm sufficiens fuit, sed etiam superabundans pro peccatis humani generis, secundùm illud Ioannis: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Passio Christi pro humani generis peccatis non solùm sufficiēs fuit, sed superabundans.

In Breuilo. p. 4. cap. 7.

Bonauentura: De Christi merito sentiendum est, in ipso fuisse omnem meriti perfectionem, & plenitudinem. Primò, quantum ad eum, qui merebatur, quia nō tantùm fuit homo, verùm etiam Deus. Secundò, quantū ad tempus, in quo merebatur, quia ab instanti conceptions suæ vsque ad horam mortis. Tertiò, quantum ad id, per quod merebatur, quia per perfectissimum habitum charitatis, & perfectissimum excitium virtutis, in orando, in agendo, in patiendo. Quartò, quantum ad eum, cui merebatur, quia non tantùm sibi, verùm etiam nobis: imò omnibus iustis. Quintò, quantum ad illud, quod merebatur nobis, quia non tantùm gloriam, verùm etiam gratiam, & veniam: & non tantùm gloriam spiritus, sed etiam stolam carnis, & apertionem ianuæ cœlestis. Sextò, quantum ad id, quod sibi merebatur: quia licèt sibi non mereretur glorificationem mentis, quam iam habebat, merebatur tamen glorificationem corporis, & accelerationem resurrectionis, & clarificationem sui nominis, & dignitatem iudiciariæ potestatis. Septimò, quantū ad modum, quo merebatur. Cùm enim tripliciter dicatur aliquis mereri: vel de indebito faciendo debitum, vel de debito faciendo magis debitum, vel de debito vno modo faciēdo debitū alio modo: omnibus istis modis meruit nobis, tertio autem modo tantùm sibi. Hæc illi, qui propter eximiam vitæ sanctimoniam, singularemque eruditionem, inter Scholæ Theologos principem locum facilè obtinent. Cæteros iuniores, quòd plerique omnes horum sententiæ subscribant, lubenter missos hîc facimus.

In Christo fuit omnis meriti perfectio & plenitudo.

Trifariā contingit aliquē aliquid mereri.

facimus. Subſcribit eidem & Romana Catecheſis quoque ex ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ decreto ſuperioribus annis edita.

Seſſ.vlt.

Prima, inquit illa, & præſtantiſſima ſatisfactio eſt illa, qua pro ſcelerum noſtrorum ratione, etſi Deus ſummo iure nobiſcum agere velit, quicquid à nobis debebatur, cumulatè ſatiſfactum eſt. Hæc verò eiuſmodi eſſe dicitur, quæ Deum nobis propitium ac placatum reddidit: eamque vni Chriſto Domino noſtro acceptam ferimus, qui in cruce precio pro peccatis noſtris ſoluto, pleniſſimè Deo ſatisfecit. Neque enim vlla res creata tanti eſſe potuit, quæ nos tam graui debito liberaret. & paucis interiectis: Hæc igitur plena & cumulata ſatisfactio eſt, ſcelerum omnium rationi, quæ in hoc ſeculo commiſſa ſunt, pariter æqualiterque reſpondens, cuius pondere hominum actiones apud Deū plurimùm valēt, & ſine ea nulla prorſus æſtimatione dignæ haberentur. Hęc de controuerſia hac Catecheſis Romana, cuius authoritas etſi nō eſt tanta, quanta Concilij generalis, eſt tamen non omnino parua.

Tit. de Satiſ.

Quicqd Deo à nobis debebatur, cumulatè per Chriſtum ſolutum eſt.

Chriſtus in cruce pleniſſimè ſatisfecit.

Licuiſſet multò plures Patrum ſententias in hunc locum allegare, ſed cenſuimus paucas haſce in rem præſentem ſat eſſe. Quòd ſi qui tamen ſunt, qui plures deſiderant, legant hi Origenem, Chryſoſtomum, Theophylactum, Euthymium, Theodoretum, Ambroſium, & alios præterea quàm plurimos ſacrarum literarum interpretes ad caput quintum Epiſtolæ ad Romanos, & præcipuè ad illum locum, Non ſicut delictum, ita & donum: Tum ad illud Hebręorum quinto rurſum, Exauditus eſt pro ſua reuerentia: Tum ad illud Pſalmiſtæ demum, Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. & comperiet permulta ſententiam, quam hîc defendimus, validè corroborantia.

Qui authores quove loco de plena cumulataque Chriſti ſatiſfactione agant.

Christum Deum ac Dominum nostrum cumulatè id totum, quod debebatur, exoluisse, sacras quoque Scripturas non prorsus obscurè testatum facere.

CAPVT DECIMVM.



Væ hactenus ex Patrum monumentis, humanæque rationis thesauris in medium attulimus, ea Christum Redemptorem nostrum nõ vulgari imperfectóve modo pro scelerum nostrorum ratione satisfecisse ostendunt, sed perfectissimo absolutissimóque: Atque ideo, si omnes eiusdem essent animi, aut ad verum capessendum æquè parati, alijs firmamentis nullis opus hîc esset. At quia non desunt, qui Spiritus sancti oraculis, Scripturæque testimonijs quanquam minùs euidentibus, & magis mouentur, & faciliùs quoque persuadentur, quàm Scholę argumentis, vel Patrum sententijs: non erit ab instituta disputatione alienum, si ad propositam hîc controuersiam nonnihil lucis & authoritatis ex sacris quoque literis adiunxerimus. Agunt sanè Scripturæ, quemadmodum & multi quoque Patres, & veteris Ecclesiæ doctores, de ipsa Christi satisfactione secũdùm se familiariùs, q̃ de satisfactionis modo: Veruntamen vt ex ijs, quę hoc loco subijcere visum est, liquet, ipsum quoq; modũ nõ prorsus dissimulant.

In rebus pręcipuè cõtrouersis nõ idẽ omibus sensus, nec eadẽ omnium ad capessendum verum promptitudo.

Scripturæ & Patres familiariùs agunt de ipsa Satisfactiõe secundùm se, quàm de satisfactionis modo.

Cap. 53. Matt 8.

» Esaias: Vidimus eum despectum, nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum: & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus: & posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. His cognata sunt hęc Apostolorum principis:

Chri-

Christus, ait, passus est pro nobis, vobis relinquens exem- « 1.Pet. 2.
plum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fe- «
cit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cùm maledicere- «
tur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: «
tradebat aũt iudicanti se iniustè. Qui peccata nostra pertulit «
in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ vi- «
uamus: cuius liuore sanati sumus. & capite proximè præce- « 1.Pet. 1.
dente: Non corruptibilibus auro vel argento redẽpti estis de «
vana vestra conuersatione paternę traditionis, sed precioso «
sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. & «
hæc rursum discipuli dilecti: «

Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis « 1.Ioan.2.
peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Chri- «
stum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, «
non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mun- «
di. & infrà: Scitis quia ille apparuit, vt peccata nostra tolle- « 1.Ioan.3.
ret, & peccatum in eo non est. & alio item loco: Sanguis Iesu « 1.Ioan.1.
Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. & in sua reue- «
latione: Dilexit nos, & à peccatis nostris lauit nos in sanguine « Apoc. 1.
suo. & in Euangelio: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata « Ioan. 1.
mundi. & hęc tandem Apostoli Pauli: «

Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, ho- « 1.Tim.2.
mo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro «
omnibus. & ad Hebræos: Christus assistens pontifex futuro- « Heb. 9.
rum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non «
manu factum, id est, non huius creationis, neque per sangui- «
nem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem «
introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. & ad «
Romanos: Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, iustifica- « Rom.3.
ti gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in «
Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem «
in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitię suæ in hoc tempo- «
re. & infrà: «

Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mor- « Rom 5.

» tem filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in vita
» ipsius. & paucis interiectis: Sed non sicut delictum, ita & do-
» num. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis
» gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in
» plures abundauit. Et non sicut per vnum peccatum, ita & do-
» num. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem,
» gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim
» vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abun-
» dantiam gratiæ & donationis & iustitię accipientes, in vita re-
» gnabunt per vnum Iesum Christum. Et contentionem illam
» inter Christum & Adamum absoluens, hæc subdit: Igitur sic-
» ut per vnius delictum in omnes homines in condemnatio-
» nem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificati-
» onem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis pec-
» catores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iu-
» sti constituentur multi. Lex autem subintrauit, vt abundaret
» delictum. Vbi autem abundauit delictum, ibi superabundauit
» & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia
» regnet per iustitiam in vitam ęternam, per Iesum Christum
» Dominum nostrum.

En quę de iusta plenaque Christi satisfactione hucusque asserta sunt, ea cum diuinis Scripturis adeò non pugnare, vt valida quoq; firmamenta inde colligant. Nam si vnigenitus Dei filius homo factus ad iustitiæ legem pro peccatis nostris non satisfecit, neque satisfacere potuit, vt isti dicunt: quomodo, obsecro, pijssimus pater, qui mortē non fecit, nec delectatur in pœnis mortaliū, vnicū gnatū suum tam diris modis passus est concidi, vulnerari, cōspui, humiliari, atteri? An non sat erat posteaquam, quod debebatur, integrè exoluere non poterat, vt istis placet, vti bona fide, promptoq; animo id præstaret, quod commodè præstare poterat, citra tantam, tamque immanem, ac indignam vexationem, excarnificationem, despectionem? Certè principes, ciuilesque magistratus vades, vel obsides alioqui insontes, non ita excipere solent, etiam si

Sap. 1.

Si Christus ad iustitiæ legem satisfacere non potuisset, cœlestis pater diros illos cruciatus ab eo nō exegisset.

aliâs

aliâs feueriores extiterint. Quomodo rurſum omnes ille languores, dolores, ac iniquitates noſtras verè portauit, vt hîc clarè aſſeritur, ſi integrè perfectéque eas non portauit? nec enim aliud eſt verè portare, hoc eſt, pœnas debitas in corpore ſuo luere, quàm integrè perfecteq; luere. Sicut quoque aliud non eſt verè, quod debebatur, diſſoluere, quàm integrè perfectéque diſſoluere: nec aliud eſt verum aurum, aut verus homo, quàm perfectum aurum, aut perfectus homo. Eſa.53. Matth.8. Qui integrè non ſatisfaciunt, nec verè quoque ſatisfaciunt.

Quomodo cœleſtis pater non mirus rerum æſtimator eſt, qui maioris facit noſtram mortem, quàm filij ſui vitam? aut contrà maioris noſtram vitam, quàm filij ſui mortem? tantamque vſq; adeò nobilis, ac precioſi ſanguinis profuſionem? 1. Pet. 1. Sanè ſi vnam duntaxat ſanguinis guttam pro vniuerſo debito ab homine contracto, incarnatum Dei Verbum dependiſſet, c. Vnigenitus extrauag. multum per omnem modum dependiſſet, & fortè tantum, vel eo etiam amplius, quãtum erat totum illud, quod debebatur. Quanto ergo magis nunc totum illud integrè exoluit, cùm iam non vnam aut alteram tãtùm ſanguinis guttulam dependerit, ſed omnes ad vltimam vſque: imò verò ſeipſum totum in ſacrificium & holocauſtum tradiderit? Si ergo his omnibus nondum factum eſt ſatis ad iuſtum, profectò, aut vita mortalium æſtimatur nimis magno, aut certè vita & ſanguis Chriſti nimis paruo: eligant illi vtrum horum voluerint. Si Chriſti ſanguine pro peccatis noſtris nondum plenè eſt ſatisfactũ, aut Chriſti ſanguis & mors ducitur nimis paruo, aut certè vita noſtra æſtimatur nimiš magno.

Quomodo certa, vt Ioannes aſſerit, pro totius mundi peccatis propitiatio exiſtit, ſi ne pro vno quidẽ homine ad exactam iuſtitiæ bilancem ſatisfecit, neque ſatisfacere potuit? Siquidem rationes, quibus illi euincere ſe credunt ad iuſtitiæ æqualitatem mundum redimere non potuiſſe, ſi quid probant, probant etiam ne vnum quidem hominem ad iuſtum ſimpliciter redimere, aut ex peccato liberare potuiſſe. Quomodo omnis peccati expers, & innocens per omnia apparuit, quô peccata noſtra tolleret, ſi, vt quidam docẽt, peccata noſtra reuera non tollit, ſed tantùm radit? aut ſi non æquo iuſtoque precio, ſed congrui tantùm, à peccati & diaboli ſeruitute nos liberauit? 1. Ioan. 2. Si quid probant Antagoniſtarum rationes, probant Dei filium ne vnum quidẽ hominem ad iuſtũ redimere potuiſſe. 1. Ioan 3. Ioan. 1.

Quo-

1.Ioan.1. Apoc.1.

Quomodo ſanguis Ieſu Chriſti ab omni peccato nos emundauit, aut ſuo nos ſanguine abluit: ſi à peccatis non verè expiamur, aut emundamur, ſed expiati tantùm vel emundati cenſemur, cùm intus interim ęquè ac antè immundi maneamus? aut ſi ipſe Chriſti ſanguis ſua virtute, & merito nos non expiat, ſed patris tantùm acceptatio, gratuitáve eiuſdem condonatio? Quomodo vnus ille Dei & hominum mediator, homo Chriſtus Ieſus, ſemetipſum pro omnibus in redemptionem dedit: ſi nullum ex omnibus iuſtè redemit, aut redimere valuit?

1 Tim. 2.

Fruſtra Chriſtus ꝓ omnibus redemptionē ſe dedit, ſi nullum iuſtè redemit

Heb.9.

Quomodo non per hircorum, aut taurorum, ſed per proprium ſanguinem in ἀχειροποίητον illud tabernaculum ingreſſus, æternam redemptionem inuenit: ſi per ſe, aut ex ſe illam non inuenit, aut integrè non inuenit, ſed ex minima tantùm parte? Statuunt illi enim, quicquid Chriſtus exoluit, aut quouis modo exoluere potuit, totum illud ſimpliciter finitum extitiſſe: Debitum autem conflatum ſimpliciter fuiſſe infinitum. Clarum eſt autem finitum omne minimam infiniti partem vix in ſe complecti: quippe cùm inter hoc & illud nulla vera ac propria intercedat proportio. Certè Apoſtolus non
" ita abiectè de Chriſti ſanguine ſentit, & loquitur, ſed planè
" heroicè, ac magnificè. Si, inquit ille, ſanguis hircorum, & tau-
" rorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad
" emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per
" Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo,
emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortis, ad ſeruiendum Deo viuenti? quaſi dicat, nullæ animorum ſordes ſunt tantæ, nulla ſcelera tam nefaria, quę precioſus ille ſanguis integrè ac purè expiare & abolere non queat.

Heb.9.

Nullę ſordes, nulla ſcelera tāta, quas vel quæ precioſus Chriſti ſanguis integrè expiare & abolere nō queat.

Rom 3.

Quomodo Deus Chriſtum in ſanguine ſuo propitiatorem propoſuit ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, ſi per ſanguinem illum ne minima quidem parte ſuę iuſtitiæ factum eſt ſatis? Quomodo Deo per mortem filij ſui verè reconciliati ſumus, ſi mors illius non fuit vera & propria illius reconciliationis cauſa, ſed

Rom.5.

cauſa

causa tantùm sine qua non: Quia videlicet Deus Opt.Max. hoc medio ad salutem nostram vti voluit, non quòd sufficiens, aut per se idoneum esset, sed quòd præcęteris illud placeret? Quomodo tandem maius est donum, quàm delictum, aut vberior gratia, quàm culpa, si illud ipsum donum, vel illa ipsa gratia culpam non exæquat, sed multis partibus infra illã existit? Cùm ergo omnia hæc sint absurda, maiestateque, & charitate, qua erga nos vsus est filius Dei, prorsus indigna: simpliciter statuendum, publiceq; prędicandũ est, Christum Deum ac Dominum nostrũ, non manca, aut mutila, aut imperfecta mensura pro scelerum nostrorum ratione fecisse satis, sed conferta, sed coagitata, sed supereffluente, vt est in Euangelio. Luc. 6.

Rom. 5. Antagonistarum sẽtẽtia multa absurda, maiestateque & charitatẽ Christi indigna, includit.

Quæ contra confertam illam cumulatamque Christi Domini satisfactionem ab Antagonistis adferuntur, ea, quæ enixè illi obtinere contendunt, validè non obtinere.

CAPVT VNDECIMVM.

Primum ac præcipuum Antagonistarum argumentum.

Vę de absolutè iusta Christi Domini nostri satisfactione exposita sunt hactenus, ea illustriora euadent, si illorum rationes & firmamenta proposuerimus, propositaque refutauerimus, qui Christum Seruatorem nostrum non tam ad rei æqualitatem pro peccatis nostris satisfecisse arbitrantur, quàm secundùm legis iustitiam, liberalem've æterni patris acceptationem. Et primò quidem eiusmodi argumentationem instituere solent: Finitum & infinitum, neque inter se reciprocant, neque se mutuò exæquant, neq; inter se reciprocare, aut se inuicẽ exęquare vllo modo possunt: Atqui peccatum simpliciter est infinitum, meritum autem & satisfactio Christi simpliciter sunt finita, suisq; limitibus circunscripta. Christus itaq; non ex condigno promeritus est nobis gratiam, aut glori-

Antagonistarum arg. Debitum infinitum, redemptiõis nostræ precium finitum, non ergo iustum.

gloriam, aut peccatorum remiſſionem, aut aliud quodcunq; eiuſmodi, ſed tantùm ex congruo: hoc eſt, non ex ęqualitate rei impēſæ, ſed tātùm ex gratioſa Dei Opt. Max. acceptatione.

Quòd aūt quoduis mortiferū peccatū (nam de venialibus hîc non diſceptamus) ſimpliciter ſit infinitū, hoc eſt, nō ſolùm obiectiuè, & extrinſeca quadam ratione, ex eo nimirum, quòd infinitè bono, infiniteq; potenti ac ſapienti aduerſum exiſtat; verùm etiā ſecūdùm ſe, ac intrinſecè, id ex tribus vtcunq; perſpici colligiq; poteſt: nempe ex pœna, quā iuſtè ꝓmeretur, & qua iuſtè quoque, niſi per pœnitentiā aboleatur, apud inferos multatur: tū rurſum ex dāno, quod ſuo authori conciliat: tum demū ex malo, quod vitę authori, ſi quod malū in illum caderet, inferre natum eſt. Cōſtat nanq; vnumquodq; capitale flagitium infinita pœna ſecundùm ſe dignū eſſe. Infinita autem non tantùm ſecundùm morā vel extenſionem, verùm etiam, vt pijs quibuſdam & eruditis viris placet, ſecundùm acerbitatem, vel intenſionem, ſi quam eiuſmodi pœnam, iuſtus ſcelerum vltor Deus peccatori inferre vellet, vel homo peccator tantæ huius pœnę capax exiſteret. Sed neq; ſempiterna morte, immenſaq; illa pœna dignum ſolùm vnumquoduis mortiferum ſcelus ſecundùm ſe cenſetur: ſed reipſa quoq; eiuſmodi pœna apud inferos plectitur. Chriſtus autem, neque infinito tempore, neq; infinita quoq; acerbitate noſtri cauſa excruciatus eſt aliquando, neq; infinitè quoq; excruciari quandoque potuit. Quòd ſi pœna, quę vni dūtaxat ſceleri debetur, tantum excedit omnem pœnam & cruciatum, quem Chriſtus Dominus vnquam in hac mortali vita ſuſtinuit: quid nos de ijs pœnis ac ſupplicijs cogitare par eſt, quę omnibus mundi peccatis in vnum conflatis debentur? & iam vel actu peccatoribus irrogantur, vel olim in omnem æternitatem irrogabuntur?

Conſtat deinde vnumquodq; lethale peccatū tantum damnum ſuo authori adferre, quantū eſt cōmodū vel bonū, quo eundē orbat: At priuat illū bono modis omnibus infinito, nēpe Deo: tū ſempiterna illa cœleſtis regni hęreditate, iucundiſſimoque diuorum & Angelorum omniū conſortio, nec non

per-

Mortiferi peccati infinitatē ex tribus colligunt Antagoniſtæ: nimirū ex pœna, qua plectitur: ex dāno, qđ authori ſuo adfert: & ex detrimento, quod Deo inferre natum eſt.

Lethale peccatum infinita pœna dignum.

Peccatū mortale plectitur infinita pœna

Chriſti cruciatus non fuerunt infiniti, neque extenſiue, neque intenſiuè.

Tantū eſt damnum, quod peccatum adfert, quātum eſt cōmodum quo priuat.

Lethiferū peccatum orbat bono infinito

perpetua eorundem amicitia & familiaritate:tum ęterna tandem animæ & corporis vita. Nã etsi neutrũ horũ intereat vnquam simpliciter,iuris tamen fictione vtrunq; intermori dici potest. Quandoquidẽ in perpetuis miserijs,& cruciatibus miserum spiritũ trahere, aliud nihil est, quàm perpetua quadam morte,& internecione vrgeri:Vel quadam potiùs assidua animi contentione ad interitum festinare, & tamen ad vitæ terminum nunquam peruenire. At Christus nihil horum per se simpliciter attulit, neque adferre potuit, sed tantùm secundùm quid. Mors enim illius non est primaria, ac principalis tantarum opum causa,sed causa tantùm sine qua non.

In diris cruciatibus perpetuò viuere, est quoddam perpetuum mori.

Constat tandem quoduis peccatũ,per se, & quasi data opera malum quoddã infinitum prępotenti Deo intẽtare. Nam si vlla omnino tristitia animíve ęgritudo in illum caderet,profectò offensa in illum admissa non posset grauem illi animi molestiam non adferre, & per consequens interna beatitudine, totoque, quod habet, esse eundem non orbare: quippe cùm non aliud sit ipsi esse,& Deũ esse,& beatũ esse,sed vnũ idemq; prorsus.Christus autem per nulla omnino,quæ,vel ageret,vel pateretur, aliquod infinitum bonum, aut aliquod infinitum esse adferre ipsi potuit. Imò ne bonum quidem vllum,vt qui, neque per se, neq; per accidens maioris alicuius boni capax existat.Et vt maximè aliquod recèns natum gaudium in illum caderet, adhuc totum illud esset externum & aduentitium, & per consequens omnis felicitatis fontem per se beatum efficere non posset : Nec enim summa illa felicitas adest illi ab aliquo extrinseco,sed ab intrinseco : peccatum autem,vt modò ostensum est,intrinsecæ illius beatitudini exitium molitur: tametsi aliunde impeditum huc peruenire non queat.

Peccatum diuinæ beatitudini aduersum.

Peccatum intrinsecæ Dei felicitati aduersatur.

Et quod de mortifero peccato hoc loco asseritur,hoc ipsum & de originis vitio suo quoq; modo assertũ accipiatur. Nam & illud quoque ortum est ex malitia quadam infinita,nempe ex primi hominis scelere : & impellit ad malum quodammodo infinitum, puta ad quæuis flagitia, vel certè nunquam ad tam multa, quin semper velit & possit ad plura.

Originis peccatũ suo modo est infinitum.

Patet ergo peccatũ nõ solùm extrinsecè vel obiectiuè malum quoddã infinitũ esse, verùm etiã intrinsecè: Atq; ideo vim infinita minorem illius malitiam expugnare nequaquam posse.

Vis infinitâ minor mort. peccati malitiã expugnare non potest.

Quòd aũt, quæ Christus Dominus salutis nostræ causa fecit, vel pertulit, ex se nõ fuerint infinita, sed finita, suisq; cãcellis interclusa, illud eiusmodi ratiocinatiõe ostẽdi potest: Si incarnati Verbi opera in ratione meriti, vel satisfactionis fuissent infinita: (in genere enim rerũ finita fuisse nemo dubitat) aut eã infinitatẽ traxissent ex intrinseca ipsorum operum vi, perpessionum've natura: aut ex gratia, ex qua tanquã ex principio interno proximè dimanabant: aut certè ex personæ, quę operabatur, vel patiebatur, dignitate. Primum horum dici non potest: siquidem Christus homo eiusmodi opera edere potuisset, etiamsi à Verbo seiunctus ἀυτοπροσώπως substitisset. Imò verò id genus officia secundùm speciem, à quouis homine edi possent. Quid enim fecit, aut pertulit Christus, seclusis miraculis, quæ diuinæ virtutis opus erant, quod alius cœlestis gratiæ dono ornatus, secundũm genus aut speciem non fecerit, aut non pertulerit, aut certè perferre aut facere non potuerit? Ieiunauit Christus, ieiunârunt & alij quoque: orauit, & alij: docuit, docuerunt & alij: diros cruciatus pertulit, pertulerunt & alij: cruci tandem affixus mortem oppetijt, simili supplicio extincti sunt & alij: Et tamen nihil horum omnium ad iustum simpliciter pro omnium hominum peccatis, aut meritorium, aut satisfactorium erat.

Antagon. arg. Christi meritum, neque ex se fuit infinitum, neque ex parte gratiæ, neque ratione personæ, ergo simpliciter finitum.

Miraculũ diuinæ virtutis opus.

Sed neq; secundũ quoq; concedi potest. Nam etsi donetur Christi gratiã extitisse tantã, quantã pura creatura capere potest: communi tamen Theologorũ sententia non erat infinita. Peccata aũt in Deum commissa, & quę in eundem committi adhuc possunt, quanuis non numero, pondere tamen & malitia sunt infinita: Quare, vt paulò antè commonstratum est, & ex Scripturis quoque manifestum est, puniuntur tempore infinito. Prętereа si ex gratię magnitudine infinita illa satisfaciendi aut promerendi vis dimanâsset, solus homo (quod tamen

Christi gratia non fuit infinita.

Peccata mortaliũ non numero, sed põdere sunt infinita.

men antè negatum fuit, & rectè negatũ fuit) pro totius mundi sceleribus perfectè satisfacere potuisset. Quandoquidem integrum erat prępotenti Deo tantam diuo Petro, vel Paulo, vel alteri cuicunque homini gratiam infundere, quantam infuderat Christo. Opera ergo Christi Redemptoris ex gratię magnitudine non erant infinitè satisfactoria, aut infinitè meritoria.

Si qua ergo Christi Domini opera infinita merendi, aut satisfaciendi vi pollebant, eam vtique vim non aliunde, quàm ex hypostaseos, cui humana natura indissociabili vinculo cõiuncta erat, immensitate & maiestate, hauriebant. Sed neque hinc quoque infinitum aliquod robur hausisse putandum est. Nam etsi Christus verè fuerit Deus, pro nobis tamen non satisfaciebat vt Deus, sed vt homo. Nec enim orabat, aut ieiunabat, aut iter faciebat, aut defatigabatur, aut patiebatur, aut moriebatur vt Deus, vt nôrunt omnes, sed vt homo. Quandoquidem quod faciebat vt Deus, nõ solus faciebat, sed vnà cum Patre, & Spiritu sancto. Atqui secundùm hominem nõ solùm Patre & Spiritusancto, verùm seipso quoq; minor erat. Christus itaque, vt homo, non erat infinitus, sed finitus, suisq; cancellis ac limitibus circunscriptus. Solus enim Deus, vt Deus, simpliciter est infinitus.

Christus non satisfaciebat vt Deus, sed vt homo.

Quæ facit vel fecit Christus vt Deus, non solus facit, sed vnà cum Patre & Spiritu sancto.

Quæ de filij Dei secundùm naturam assumptam circunscriptione hoc loco dicuntur, ea illis, qui Apostolos legerunt, vel Christi œconomiam, quæ in Euangelijs & Symbolis nobis proponitur, accuratè expenderunt, ignota esse non possunt. Legimus hîc enim: Quid est homo, quia memor es eius? aut " filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronâsti eũ Domine. rursum: Eum, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus " Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. demum: Si " diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem: quia " pater maior me est. Certum est autem hîc illum de natura as- "

Christus secũdùm naturã assumptam patre minor. *Psal. 8.* *Heb. 2.* *Ioan 14.*

sumpta seorsum nō loqui, sed de persona, quatenus in eiusmodi natura subsistēs iam tum immolatum se ibat. Sed planiùs de hoc ipso Athanasius in Symbolo: Fides, inquit ille, recta est, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est. Deus ex substantia Patris ante secula genitus: homo ex substantia matris in seculo natus. Aequalis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secūdùm humanitatem. Hîc sanè non de hac, vel illa natura seorsum disserit Athanasius, sed de persona secundùm hanc, vel illam naturam. Hęc vna enim est, quę eadē ad numerum manens, modò æqualis, modò minor affirmatur.

Primi argumenti epilogus.

Cùm itaque Verbum incarnatum per mortem, & crucem, & cętera, quę paulò antè exposuimus, gratiam, & gloriam, & peccatorum remissionē, & cętera eiusmodi nobis promeruerit: consequens fit, opera illa ex se non fuisse infinita simpliciter: quippe cùm ipsamet persona operans secūdùm naturam assumptam non esset infinita absolutè, sed finita, vtpote patre minor: sed tantùm secundùm quid, nempe secundùm gratiosam æterni Regis acceptationē. Nam cùm hypostasis illa non solùm secundùm se, sed etiā secundùm naturam assumptam Deo esset gratissima, potuit is, salua iustitiæ suæ lege, Christi actiones, & perpessiones, tametsi contracto debito secūdùm se impares, veluti pares ac omnino sufficientes, in plenam satisfactionem admittere.

Dilucida primi huius argumenti solutio.

Ad hoc argumentum, quod, quanta potuimus vi & energia, in Antagonistarum gratiam proposuimus, (Sunt enim viri Catholici, & de Catholica Ecclesia benè meriti) paucis responderi posset: Totam hanc argumentationis seriem falso principio niti. Ponit enim tanquam certum, quod est planè incertum, imò verò manifestè falsum: puta quoduis lethale peccatum secundùm se absolutè & intrinsecè infinitum esse. Nam cùm quæuis in Deum offensa certo aliquo hominis

Primum Antagonistarum Arg. sumit tanquam certum, quod est planè incertum.

actu

actu constet, (Peccatum nanque omne, Augustino definitore, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei) fieri nullo modo potest, vt vlla omnino earum intrinsecè, hoc est, secundùm actus substantiam, actúsve eiusdem deformitatem sit infinita simpliciter. Siquidem tanta, & non maior est actus cuiusque vitiosi prauitas, deformitas, vel obliquitas, quanta est bonitas, hoc est, modus, species, & ordo: aut ea certè rectitudo, aut venustas, quos vel quas actui eiusmodi, adesse oportebat, & non aderat. Quippe cùm ex propria vi aliud sit nihil peccatum, quàm quædam voluntaria à legis præscripto exorbitatio: Vel certa quædam modi, speciei, & ordinis priuatio. Atqui eiusmodi bonitatē, modum, speciem, ordinem, rectitudinem, aut venustatem intra certos terminos contineri, ambigere non licet.

Nullum peccatum intrinsecè est infinitum.

Tāta est prauitas cuiusq; actus mali, quanta est rectitudo, vel bonitas, quā adesse oportuit, & non adest.

Mitto hîc, non vnum peccantium omnium scopum, nec eandem omnium malè agentium voluntatem esse, nec similem quoque scelerum omnium faciem: Siue rem, in quam illa cadunt, spectes: siue legem rursum vel præceptum, quod infringunt: siue virtutem tandem, cuius interitum moliuntur: sed aliam atque aliam. Et tamen si singula absolutè, hoc est, intrinsecè & extrinsecè essent infinita, difficile foret aliquod quantitatis discrimen inter adulterium & homicidium, cæteraque quæ mortifera appellantur, assignare. Nihil enim maius extat omni ex parte infinito.

Non idē peccantiū omnium scopus, nec eadē peccatorū omnium ratio.

Si qua ergo infinitas lethifero peccato cohæret, eam ex illo, in quem committitur, petere oportet. Dici enim solet, eò vnumquodque peccatum haberi grauius, quô id, in quod designatur, extiterit excellentius. Deus autem excellit summè. Verùm ad hanc peccati infinitatem infringendam, vel labefactandam haud magno opus fuerit molimine. Nam vt peccatum ratione obiecti, eius've, in quem committitur, consideratione censetur magnum, vel paruum, finitum, vel infinitum: ita eadem illa obiecti æstimatione obseruata, quoduis quoque studiosum opus, propter Deum

Vt peccatū ratione obiecti dicitur infinitum: ita bonū quoq; opus eadē ratione dici potest infinitum.

Deum summè dilectũ exercitum; & quoduis rursum supplicium, eiusdem præpotentis Dei causa æquabili animo toleratum, vel vltro etiam susceptum, infinitum viciſſim censeri poteſt. Et id quidem eò iustiùs, quò propensior est Deus ad exoluendum prǽmia benè merentibus, quàm ad irrogandum supplicia sontibus.

Perpauci ex absoluto contemptu in Deũ peccant.

Cui & illud quoque nõ iniuria adiungi queat: nempe perpaucos comperiri, qui ex absoluto contemptu in Deum peccent. Sunt enim, qui inter peccandum de Deo nihil quicquam cogitãt: vt vulgares maiori ex parte omnes. Sunt rursum, qui peccatum citra vllam Dei offensionem constare posse ex animo exoptent, & secùs constare non posse vehementer doleant: Cuiusmodi sunt nonnulli, qui etsi cætera sint non omnino mali, carnis tamẽ infirmitate victi, tentationum impetui malè plerunque cedũt. Sunt denique, qui sceleribus suis gratum se Deo obsequium præstare credunt: Vt quondam pagani in sanctos Dei martyres immaniter sæuientes: & hac ætate insani quidam hæretici omnia sacra profanantes. Et hæc quidem vel sola in propositi argumenti solutionem sat esse poterant. Verùm quia non minus studium est nobis in vtranque partem disputando materiã illustrare, & quæ suprà de cumulata Christi Redemptoris nostri satisfactione, & merito constituimus, confirmare, & viam nihilominus ad nostram satisfactionem paulatim munire, quàm rationes, quę in alterius partis subsidium adferri poterant, refellere: singula primæ huius argumentationis membra, ac partes seorsum discutere, & explanare visum est.

Cùm ergo allegant iure tantam censendam esse noxam, quãta est pœna, quam iustè promeretur; eiusmodi autem, nec breuem esse, nec leuem esse, sed infinitam, longeque atrociſsimam: cum grauibus quibusdam Theologis responderi potest, nullum omnino peccatum infiniti temporis pœna per se puniri, sed si quod eiusmodi pœna punitur, per accidens tantùm puniri. Vel, quod in idem redit: nullum omnino hominem,

Peccatum per accidens infiniti temporis pœna plectitur.

nem, vel Angelum, quantumlibet sceleratum, per se primò, & proximè propter quodcunque flagitium infinitæ pœnæ debitione constringi, sed tantùm per accidens, & secundariò, & quasi ex consequenti. Hoc autem quî fiat, aut cum ratione constet, paucis sic accipe.

Certum est, quicũque temere id violat, quod lege cautum extat, eum, & in legem, quam infringit, iniurium: & in proximum, quem malo exemplo grauiter lædit, & nonnunquam etiam perdit, iniquum: & in ipsum nihilominus legislatorem, non proximum tantùm, sed primum quoque supremumque, (ab hoc enim proximè, vel remotè fluit omnis omnino bona, & sancta, & vtilis, & necessaria lex) contumeliosum existere: vt qui honorem, & reuerentiam, nec non obedientiam quoque, quæ ab omni creatura summo iure illi debentur, nefariè ipsi deneget. Ex ea autem diuinę legis contemptione, denegatique vel violati honoris ac reuerentiæ scelere, quod legis præuaricationi perpetuò, ac necessariò coniungitur, nascitur odium, & animorum abalienatio. Ex animorum abalienatione porrò & odio consurgit certa quædam deliberataque vlciscendę rebellionis voluntas: duratque ac perstat illud voluntatis propositum immotum, donec illius, qui offenderat, vel contempserat, voluntate per pœnitentiam demutata, id in integrum restituatur, quod per contemptum, vel rebellionem ablatum fuerat. (Inimicus nanque & improbus domini sui contemptor, quousq; pertinaci animi studio in contemptionis ac rebellionis scelere perstiterit, puniri debet, & quidem in omnem æternitatem, si in cõcepto contemptu vel odio in omne æuum obdurauerit: id, quod in dęmonibus, ac cęteris damnatis locum habet. Hi enim conceptum semel in Deum odium, fastum, cõtemptum, nunquam exuunt, nunquam remittunt. Et quia peruersam mentem nunquam mutant, conceptumque animo odium ac fastum nunquam relaxant, fit, vt à pœnis, miserijs, ac cruciatibus, quibus obstricti tenentur, nunquam emergant.) Tandem ex efficaci puniendi

In legem temere peccãs, & in legem, & in legislatorem, & in proximũ iniurius est.

Improbus domini sui contemptor, nisi resipiscat à pœnæ debito absolui nõ debet.

Ex legis præuaricatione nascitur ira, vlciscēdique studium, hinc consequitur pœna parua vel magna ꝑ ratiōe delicti

voluntate infertur pœna, sed nunquam æterna, nisi per accidens: ex eo nimirum, quòd peccator à concepto contemptu, vel odio, vel rebellione nunquam desistit.

Quæ de obliqua, & quasi remota pœnarum debitione, earundemque condemnatione hîc exponuntur, ea ratione niti ex pœnitentię analogia perfacilè colligi potest. Constat enim pœnitentiā, si modò ardens, vereque incensa extiterit, omnem prorsus noxam, & pœnā abolere: sed hanc obliquè & quasi remotè, illam proximè ac per se. Primò nanque & proximè & per se antè reum, hoc est, inimicū & exosum, in offensi gratiam & amicitiam restituit: gratia autem & amicitia offensi numinis instaurata, statim è pœna æterna, quam peccator antè debebat, expungitur æternitas. Nam etsi amicus, vel filius puniri queat, & puniri quoque, ne peccata impunita maneant, interdum soleat, non tamen perpetuò: aliâs enim inter amicum vel filium, & capitalem hostem nihil discriminis intercederet. Quemadmodum ergo vera pœnitentia primò, & per se redintegrat amicitiam, per amicitiam autem perimit inferni pœnam, vel inde eximit æternitatem: ita actus vitiosus per se primò, & proximè, propter adiunctum formalem vel virtualem contemptum, diuinique honoris & obseruantiæ neglectum, progignit inimicitiam, & odium: Hęc deinde in offenso numine excitant puniendi studium, vindictęque voluntatem: hęc tandem, si nulla intercedente pœnitentia vitæ've emendatione impediantur, promeritas irrogant pœnas.

Incensa pœnitētia tollit omnē noxam & pœnā, sed non eodem ordine.

Contritio ex debita inferorū pœna expungit æternitatem.

Cùm ergo vnigenitus Dei filius hominum causa homo factus, honorem, & reuerentiam, quas Adamus per se, vel per posteros suos, quod ad se quidē attinebat, abstulerat, per summum obedientiæ ac reuerentiæ cultum excellentissimò modo restituerit: fit, vt pro omni pœnarum reatu, ex Adami, vel alterius cuiuscunque scelere nato, cumulatissimè fecerit satis: etiamsi animo concipiatur, tanquam qui nullam prorsus pœnam, aut molestiam toto vitæ decursu fuerit perpessus. Quem-

Vnigenitus Dei filius honorē per peccatū Deo ademptū restituens, sustulit pœnæ debitum.

Quemadmodum etiam vera pœnitentia absumit omnem omnino culpam, & omnem rursum infernalium pœnarũ reatum, etiamsi nullum omnino sensilem dolorem, molestiam, aut cruciatum secum attulerit: nam internus animi dolor à vera pœnitentia sciungi non potest.

Vera pœnitẽtia absq; interno dolore consistere nõ potest.

Et vt maximè peccati ratio per se primò & proximè offensi odium, aut inimicitiã, nõ respiceret, sed pœnam pœnæ've debitum tantùm, adhuc Antagonistarum argumentum causam non obtineret. Quandoquidẽ actionũ, perpessionúmve satisfactoriarum Christi vis non est spectanda ex pœnarum, quas pertulit, acerbitate, vel certè non ex ea sola: (Certũ est enim, si ipsos cruciatus, cruciatuúmve, qui ab extrinseco adferuntur, modos secundùm se spectemus, nõ illum, in quem cadunt, vel sæuiũt; viuum excoriari, lento igne torreri, membratim concidi, & alia multa eiusmodi, qualia permulti ex Martyribus perpessi sunt, non minùs dirum, immane, ac pœnosum esse, atque taureis cędi, vel clauis configi: & tamen omnes Martyres simul, nè pro vno quidẽ peccato integrè satisfacere potuissent, nedum pro totius mundi sceleribus) sed ex singulari personæ, quę patiebatur, excellentia. Erat enim illa infinita, infiniteq; grata. Eô aũt vnumquodq; pietatis officiũ, cęteris exęquatis, solet esse magis meritoriũ, & magis quoq; satisfactoriũ, quô is, qui illud edit, est sanctior, Deoq; per charitatẽ cõiunctior. Quamobrẽ licèt diros cruciatos, immanissimaq; supplicia experti sint Martyres, minima tamen Christi Domini perpessio, minimumq; eiusdẽ opus, maioris momẽti, maiorisq; meriti ac ponderis erat apud Deũ, q̃ Martyrum omniũ, qui sunt, fuerũt, vel futuri sunt, tormẽta, etiãsi innumeris partibus intendantur, vel extendãtur. Vno hoc paradigmate nõnihil illustremus.

Actionũ perpessionúmve Christi vis nõ est spectanda ex pœnæ illatę quãtitate, sed ex psonæ patientis dignitate.

Minima Christi pœna maioris roboris erat, quàm omnium Martyrũ pœnæ in vnum conflatæ.

Sit ciuitas, vel prouincia quępiã, quę insano furore percita, in legitimũ suũ principem, iustum illũ, optimeq; de se meritũ insurgat, apertoq; Marte in interitum illius sęuiat, atque ideo mortis meritũ iustissima ratiõe incurrat: quã ꝓinde princeps ille ęquissima indignatiõe lacessitus magna cũ seueritate exi-

gere obfirmato animi propoſito decernat. Filius autē, quem & vnicum habet, & vnicè quoque charum habet, tot hominum internecionem miſeratus, pro omnibus illis mortis debitoribus, propriam vitam offerat: quam compenſationem pater admittēs, inſontem illum crudeliſſimo probroſiſſimoq́ue mortis genere è medio tollat: quis dubitat, quin ꝓ omnibus pœnis, quas omnes illi rebelles ſubditi iure debebant, pleniſſimè hic ſatisfaciat? Nam etſi vnius mors vel pœna, cum tot hominum pœnis vel mortibus, in ratione pœnæ vel mortis cōparari non queat: iuſta tamen æſtimatione maioris precij erat vna illa iuſta & ſancta regiæ prolis vita, quàm omnium rebellium ſubditorum vitę ſimul in vnum conflatæ. Hic regię vitę ſuper communes ſubditorum vitas exceſſus, ex Scripturis euidens eſt: Legimus hîc enim pœnam, quæ propter numerati populi peccatū vni Dauidi debebatur, ſeptuaginta capitum millibus ægrè admodum redemptam fuiſſe. Quod ergo de pœnarum, quę peccato debentur, infinitate, vel atrocitate allegatum fuerat, id cumulatam illam Christi Domini ſatisfactionem nullo modo infirmat.

Maioris momenti eſt vna iuſti principis vita, q̃ mille rebelliū ſubditorum.

2. Reg. 25.

Vnius Dauidis vita ſeptuaginta capitū millibus redempta.

At multò verò minùs eandem infringit, quod de damno deinde ac bonorum iactura, quam quoduis capitale flagitium progignere natum eſt, in medium adferebatur. Nam vt quoduis lethale peccatum ex eo quandam infiniti rationem ſortitur, quòd infinitè bonum grauiter offendat, immenſoq́ue bonorum theſauro architectum ſuum, ſi tamen antè iuſtus erat, orbet, orbatumq́ue innumeris miſerijs ac cladibus inuoluat, & inter ea, quę malorum appellatione veniunt, primas facilè obtineat: ita quoduis quoque iuſti hominis opus, certa quadam ratione, infinitum cenſeri ſolet, & iure quoque infinitum cenſeri poteſt. Nam & ſempiterno illi infinitoque Spiritui Deo impensè placet, & effectori ſuo infinitum gloriæ pondus conciliat, & per conſequens ab infinita miſeria eundem liberat, & inter vera vitæ huius bona citra vllam controuerſiam principatum tenet.

Infinitatis rationes, quæ comperiūtur in peccato, comperiūtur in quouis quoque iuſto opere.

Sed

Sed dixeris: Si hæc solutio ratione fulta est, consequens fit purũ hominẽ ad exactã iustitię rationẽ Deo satisfacere potuisse? Istuc hinc nõ seqtur: siquidẽ boni opis infinitas non est ex homine, vel certè nõ tota ex homine, vt infinitas peccati; sed ex cœlesti munere, quod liberè, & gratis confertur. Accedit huc etiam, peccatum vtrinque infinitum esse: & ex parte obiecti, & parte rursum subiecti. Nam nõ eô solùm offensa est grauior, quô is, in quem peccatur, est dignior, sed eô etiam, quô is, qui offendit, est vilior: Atqui peccator Deum offendens à diuina illa maiestate & dignitate infinito interuallo distat: opus autem meritorium ex altera tantùm parte quandam infinitatem participat. Iam si studiosi hominis opus, ad modum iam expositum, infiniti rationem participat, peccatique malitiam suo modo exæquat, vndecunque tandem vim illam hauriat, hoc enim ad rem impertinens est: quid nos de earũ actionum perpessionumque vi, ac pondere sentire par est, quas filius Dei humana carne indutus, toto vitæ huius decursu edidit, ac pertulit?

Infinitas peccati est tota ex homine: boni operis autem infinitas ex cœlesti munere.

Peccatum vtrinque infinitũ, ex parte videlicet obiecti, & subiecti.

Eô vnaquęq; noxa est grauior, quô is, in quem peccatur, est dignior, & is rursum, q offendit, est vilior.

Quod tertio porrò loco de peccato diuinę beatitudini exitium intentante adducebatur, acriterque tanquam magnum quippiam vrgebatur, id nequicquam sanè adducebatur, & vrgebatur. Constat enim eam esse præpotentis Dei maiestatem, potentiam, & perfectionem, vt nulla prorsus rei creatę vis, aut machinatio, nedum peccatum, quod formaliter quædam tantùm priuatio est, quicquam omnino obesse illi possit: eam rursum illius sanctitatem, vt à nulla re, quantumlibet immunda, contaminari valeat: eam tandem eiusdem beatitudinem ac in seipso oblectationem, vt nulla ampliùs, neque per se, neq; per accidens ad felicitatis illius cumulum accessio fieri queat, nec vllus omnino doloris sensus in illum cadat. Veruntamen si ter maximum illud Numen mortalium more vtriusq; affectionis capax existeret, multò citra vllam dubitationem plus oblectationis ex Christi Domini nostri obedientia, incensaque eiusdem charitate hausisset, quàm ex Adami scelere, aut

Ea Dei Opt. Max. est potentia, vt à nullo lędi; ea puritas, vt à nullo contaminari; ea felicitas, vt nullo nouo gaudio, nec vllo omnino mœrore possit affici.

alterius cuiuſcunque præuaricatione hauſerat ægritudinis: Quandoquidem nullum vnquam, quantumlibet ſceleratum & impium, ita inuiſum exoſumq; habuit aliquãdo, ſicut charum ſemper acceptumq; habuit Chriſtum Dominum. Habuit enim hunc infinitè charum: nullum autem vnquam peccatorem infinitè exoſum habuit, ſed pro cuiuſq; improbitate ac merito, vnum plùs, alterum minùs. Atque ita poſita illa hypotheſi plus commodi attuliſſet meritum & obedientia Chriſti, quàm incommodi peccatum, & inobedientia Adami, aut alterius cuiuſcunque hominis.

Deus nullum vnquam ita exoſum habuit, aut habebit, vt Chriſtũ dilexit & diligit.

Sed & argumentum quoq; ſeipſum in partem iugulat. Nam hoc ipſo quòd peccatum, quantumlibet nefariũ, Deum contriſtare nequit, non leuis coniectura fit nõ eſſe malũ aliquod modis omnibus infinitum. Nam etſi infinitum ſimpliciter in infinitum ſimpliciter agere propriè non queat: (Debet enim omne illud, quod in alterum agit, eo, in quod agit, pręſtãtioris virtutis eſſe) attamen ipſe conatus, vel ipſe mutuus conflictus ingrati quippiam ſecum adferret. Includit tamen quoduis lethale crimen aliquam infiniti rationem, ſed ea interim infinitas nihil impedit, quô minùs filius Dei pro omnibus & ſingulis mortalium omnium & ſingulorum peccatis facere potuerit ſatis, & reipſa quoque ſatisfecerit. Denique ſi argumentum hoc, quod tanti faciunt, validè, quod iſti volunt, probaret: probaret etiã, quoduis veniale peccatum, non ſolùm extrinſecè & obiectiuè infinitè malum eſſe, ſed etiam intrinſecè. Siquidem nullum extat peccatum, quantũlibet leue, quod Deo non diſpliceat, nonnullamque triſtitiam illi adferre ex ſe natum non ſit. Punit enim ille & prohibet omne omnino peccatum: atqui non puniret, neque prohiberet quoque, ſi ipſi non diſpliceret, & per conſequens incarnatum Dei Verbum ne pro vno quidem veniali næuo ad iuſtum ſatisfacere valuiſſet.

Infinitũ ſimpliciter in infinitum ſimpliciter non agit.

Infinitas, quę in peccato cõperitur, nõ impedit iuſtã ſatisfactionem.

Non ſolùm mortale, ſed etiam veniale peccatũ ex ſe natum eſt Deo triſtitiã adferre.

Porrò autem ad originis peccatum quod attinet, fatemur ingenuè propagari illud poſſe in infinitum: At negamus ſua infinitate excedere Chriſti gratiam. Nam & illa quoque in infini-

finitum diffundi, ac propagari poteſt: & quidem multò maiori copia & vbertate, quàm originis macula. Neq; enim Christi Redemptoris noſtri gratia ſolam originis peccati labẽ expurgat: ſed omnem omnino noxam, quantamcunq; & qualemcunque compererit, & omnem pręterea pœnam peccato debitam. Hinc illud Apoſtoli: Non vt delictum, ita & donum: " ſed vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundauit & gratia. & " exceſſus rationem explicans, ſubdit: Nam iudicium quidem " ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis " in iuſtificationem. "

Christi gratia nõ minus eſt ppagabilis, quàm peccatum originis.

Rom. 5.

Conſtituto, peccati malitiã vtrinq; ſpectatã & agitatã ſecundùm ſe non eſſe ſimpliciter infinitã, (nam ex parte effectus quandam infinitatẽ ſortiri nemo negat) reſtat vt ea iam breuiter diluamus, & explicemus, quę contra immenſum Chriſti Domini meritum, copioſamque eiuſdem ſatisfactionem obiectabantur. Id quod eô minori negotio fieri poterit, quô minor hîc inter nos & Antagoniſtas noſtros controuerſia intercedit. Pugnamus enim de vno ſolo, in cęteris amicè conſpiramus. Agnoſcimus nanque vltroque illis concedimus Chriſti Redemptoris noſtri opera trifariàm potuiſſe & etiamnũ poſſe conſiderari: primoque & ſecundo modo cùm in genere rei, tum in ratione quoque meriti & ſatisfactionis fuiſſe finita, ſuisq; limitibus circunſcripta: certum eſt enim ex ſe, & ex parte gratię fuiſſe finita: At negamus tertia conſideratione, prout nimirum ex diuina hypoſtaſi dimanabãt, extitiſſe eiuſmodi. Erant enim ea cõſideratione infinita: quanuis nõ ſimpliciter: Quia nec Deus erãt, nec diuinitas erãt, ſed tantùm in ratione meriti, & ſatisfactionis. Erãt nanq; perſonę infinitæ, infinitoq; modo Deo gratę acceptęque. At quô vnaquęq; perſona, vel ſtudioſè agẽs, vel propter iuſtitiã iniuſtè patiens, Deo eſt acceptior, eô actio, vel perpeſſio illius ad merendum & ſatisfaciendum eſt efficacior, eiuſdemque oratio ad impetrandum potentior: modò tamen, qui patitur, vel operatur, in eo ſtatu verſetur, in quo mereri, vel ſatisfacere adhuc queat.

Peccatum ex parte effectus ſortitur quandam infinitatem.

Opera Chriſti ſecundùm ſe finita, in ratione meriti & ſatisfactionis infinita.

Et

Et quanuis illa ipsa persona secundùm diuinam naturam humana non operaretur, nec pateretur, sed tantùm secundùm humanam: verè tamen, & propriè operabatur, & patiebatur. Imò veriùs operabatur, & patiebatur, quàm ipsamet natura secundùm se sumpta: siquidem actiones & perpessiones suppositorum, hoc est, singularium per se subsistentium sunt veriùs, quàm formarum, aut naturarum in suppositis existentium, vel subsistentium: Quanuis & harum quoque sint. Nam & homo, & anima, & mens vel intellectus intelligere: & ignis rursum & calor calefacere, vel inflammare rectè dicũtur, tametsi id alia atque alia ratione, & modo. Vnde licèt vtrunque dici possit: nempe Deum, vel hominem nostri causa mortem degustâsse, gratiamque & gloriam, vel peccatorum remissionem promeritum nobis esse; & rursum humanam naturam hęc omnia, vel patrâsse, vel perpessam esse: eô tamen veriùs, magisque propriè alterum illud, quàm hoc dixeris, quô id, quod agit vel patitur, principalius est eo, quo agit vel patitur, hoc est, coniuncto vel separato instrumento.

Licèt filius Dei humana secundùm diuinam naturam nõ operaretur, nec pateretur: verè tamẽ ipse talia operabatur, & patiebatur, & quidem veriùs, quàm ipsa natura humana.

Quam ob rem sicubi legeris, vel audieris Christum Redemptorem nostrum gratiam, vel gloriam, vel peccatorum remissionem nobis promeritum esse, vel pro nobis fecisse satis, non vt Deus erat, sed vt homo erat: id ita admittas, vt tamen diuinam personam hinc non excludas, sed tantùm diuinam naturam. Tantundem est enim, ac si legeris, vel audieris filium Dei meritum esse, vel satisfecisse secundùm humanam naturam, non etiam secundùm diuinam. At hoc interim non impedit, quô minùs, qui operabatur vel patiebatur, verè ac propriè Deus esset: Erat enim non homo tantùm, aut humana natura tantùm, sed verè, per se, ac propriè Deus, in humana simul & diuina natura subsistens, non in diuina natura tãtùm. Et quanuis humana natura nihil obtineret, quod Deo obligatum non esset, atque ideo per se ad iustum satisfacere non posset: attamen persona, quæ satisfaciebat, nulli quicquam debet, ne ipsi quidem patri, vnde processerat: Quare vniuersum contra-

Idem est dictu, Christus satisfecit vt homo, non vt Deus, quod est, Satisfecit secũdùm humanam naturam, & non secũdùm diuinam.

Humana natura debebat omnia, filius Dei nihil omnino.

tractum debitum pleniſſimè dependere poterat.

Concluſum itaque & cōſtitutum ſit, Chriſti Domini noſtri perpeſſiones & opera fuiſſe infinita, nō quidē in genere rei, aut ſimpliciter, ſed in ratione meriti, & ſatisfactionis: Eamq́; infinitatē non proueniſſe ex operis natura, vel ex gratiæ, qua vel per quam merebatur, vel ſatisfaciebat, copia: quanuis & hinc quoq; ingentem vim traherent, & fortè tantam, quanta, vt iratum patrem placatum nobis redderet, ſat erat: ſed ex eius virtute & dignitate, quod ſatisfaciebat, vel merebatur, hoc eſt, ſuppoſiti, vel perſonæ. Perſona nanque, quæ noſtri cauſa ſudauit & alſit, erat infinitè ſancta, Deoq́ue infinitè grata: vtpote verus, naturalis, & vnicus illius filius exiſtens.

Opera Chriſti ingentem vim trahebāt ex gratia, ex qua dimanabant, ſed multò maiorē ex perſona

Aliud contra eandem Chriſti ſatisfactionem argumentum, ex eo, quod iam dilutum eſt, veluti ramus quiſpiam ex trunco, proximè enatum.

Sed inſtas: Si, quę filius Dei noſtri cauſa patrauit vel pertulit, ideo infinita ſtatuuntur, quòd perſona, quę operabatur vel patiebatur, erat infinitè grata, vel ſecundùm ſe abſolutè infinita: ergo omnia & ſingula Chriſti Domini noſtri opera non ſolùm erant infinita, ſed omnia quoque & ſingula erant inter ſe paria: Siquidem omnia ex vno illo ad numerum principio abſolutè infinito prodibant. Ergo tantum promeritus eſt primo abs ſe edito opere, quantum per mortem, & paſſionem, & cætera omnia, quę vtranque anteceſſerunt. Ergo ante ipſum paſſum & mortuum, imò verò ante ipſum natum, diuinę iuſtitię ad iuſtum erat ſatisfactum. Ergo totum, quod in morte, & ſub mortem impendit, fuit ſuperuacaneum, aut ſaltem non neceſſarium. Atqui omnia hęc non ſolùm contra ſacram Scripturam, communemq́ue ſanctorum Patrum ſententiam inferuntur, verùm etiam contra manifeſtam rerum experientiam. Conſtat nanque veteres illos heroas ac patres, qui ante Chriſti ortum in limbò detinebantur, non priùs lumine gloriæ fuiſſe perfuſos, inferorumq́ue è carcere eductos, quàm Verbum animam poſuiſſet in cruce. Nec vlla alia huius

Ante Chriſti mortē diuinæ iuſtitiæ nō erat ſatisfactum.

rei causa ab orthodoxis Theologis assignatur: sed neq; vlla alia quoq; assignari potest, quàm quòd redemptionis precium ante illud tempus nōdum erat persolutum. Neq; enim ęquissimus rerum meritorumq́; æstimator Deus electos suos vel ad vnam horam in obscuris illis ergastulis hęrere siuisset, si ante Christum passum ad plenum ipsi satisfactum fuisset.

Secundi argumenti, allatæ've infirmationis depulsio.

Sanè si hæc ratio necessariò concluderet, cōcluderet etiam omnia iustorum merita inter se paria, & suo quoq; modo infinita esse: vt quæ omnia ab vna voluntate oriātur, & in vnum obiectū omni ex parte infinitū tendant. Nam quicquid homo molitur, hoc totum, si non est cōtra, aut præter Deū, necessariò est secundùm Deum. Sed quid ad argumenti formam? Id quod modò insinuatum est, nempe eiusmodi consecutionem esse planè asystatam. Nam etsi cōcedi queat ex parte principij vel subiecti omnia inter se fuisse paria: Omnia nanque erant eiusdem personæ, eiusdem naturæ, eiusdē gratiæ: sicut omnia quoque opera Dei vnius eiusdemq́ue sunt potentiæ, essentiæ, & sapientię: Secundùm se tamen & ex parte rei inter se paria extitisse concedi non potest. Aliud enim secundùm se opus erat docere, aliud ambulare, aliud dormire, aliud cibo vel potu corpus reficere. Aliud item supplicij genus circuncidi, aliud vinculis constringi, aliud flagellis cędi, aliud spinis coronari, aliud tandem clauis configi. Paucis ergo & clarè dici queat personaliter quidem & ex parte principij inter se paria extitisse: quidditatiuè autem partim paria, partim disparia. Entitatiuè enim nobiliora erant, quæ erant nobilioris obiecti, vel genere suo perfectiora. Nobilior enim erat actus charitatis, quàm iustitiæ; iustitię rursum, quàm temperantiæ, & sic de reliquis.

Opera Christi personaliter erant inter se paria, quidditatiuè partim paria, partim dispa-ria.

Sed quia solutio hæc, tametsi plana & vera, non omnem forsan scrupulum eximet omnibus: cum eruditis quibusdam Theologis aliter respondemus, nempe Christum Deū ac Dominum nostrū per quoduis quidem opus, quod salutis nostræ

causa

caũſa patrabat: per quamuis rurſum moleſtiã, quam eadem de cauſa ſubibat, vniuerſum orbem redimere potuiſse, ſi vnumquodque ſeorſum in vniuerſi orbis redemptionem offerre lubuiſset. Magnis tamen de cauſis non ſingula ſeorſum, quæ operabatur, & patiebatur, ſed vniuerſa ſimul in vnam perfectam conſummatamque ſatisfactionem ęterno patri obtuliſſe: Ipſumque viciſſim patrem non ſingulas filij ſui actiones & perpeſſiones ſeorſum, ſed omnes ſimul in vnam numeris omnibus abſolutam ſatisfactionis rationem acceptâſse. Atq; ideo mortalium genus ante Chriſtum paſsum & mortuum non ſimpliciter Deo fuiſse reconciliatum, aut à peccatis liberatum, ſed tantùm ſecundùm quid.

Chriſtus per vnumquodq; opus, quod operabatur, vel patiebatur, vniuerſũ orbem redimere poterat, ſi illud in totius orbis precium offerre voluiſſet: magnis tamẽ de cauſis id voluiſſe.

Eccur, inquis, vel hic non ſingulas ſeorſum offerebat, vel ille quoque non ſingulas ſeorſum acceptabat? Vana eſt hęc quęſtio. Quis enim ex omnibus ſenſum Domini ita perſpectum exploratumque habet, vt omnium ſtatim operum illius rationem certò reddere valeat? Dici tamen poteſt, non ſingula ſeorſum, quę operabatur vel patiebatur, ſed omnia ſimul in vnam perfectam, omnibusque partibus & numeris abſolutam ſatisfactionem obtuliſse, quô hac ratione ſaluti noſtræ magis conſuleret, ſuamque erga nos dilectionem apertiùs declararet. Voluit, inquam, non quouis vulgari, ſed præclariſſimo & euidentiſſimo quodam argumento ſuum erga nos incenſum animum ſignificare, eaque incenſi animi ſignificatione noſtrum viciſſim amorem & animum in ſe prouocare. Voluit non ieiunam aut tenuem, ſed copioſam pro nobis redemptionem exhibere. Voluit vno modo, & ſemel debitum, multis varijsque modis ac rationibus nobis deberi. Voluit, ne ſingulas cauſas perſequar, illuſtre ſingularis patientiæ, humilitatis, ac obedientię exemplar ſeipſum nobis proponere. Quare licèt multa non prorſus neceſsaria noſtri cauſa pertulerit, nihil tamen pertulit fruſtra, aut inutiliter, aut ſuperuacaneò.

Diuinorum operum certa ratio reddi nõ poteſt.

Graues cauſæ, cur Chriſtus tã multa humani generis cauſa voluerit pati.

Christus sanguinis sui preciū nō omnibus simpliciter, nec omni modo, nec omni mensura; sed certis, & certo, & definita.

Et quemadmodum hæc voluit, cùm tamen secùs velle, & facere quoq; ipsi licuerit: ita mortis perpessionisq; suæ meritum, sanguinisq; sui precium, non omnibus simpliciter, nec omni modo absolutè prodesse voluit quoque, sed certis, ac certo. Noluit enim illud prodesse adultis ab omni opere ociosis, aut media, quibus illud applicari solet, & applicari quoq; debet, aspernantibus: aut in capitali scelere extinctis: aut peccatis obstinatè seruientibus: aut calcato spiritu, eiusdemq; libertate, carnis libertatem impigrè sectantibus. Nec infinitè vllis omnino, sed definitè, & limitatè, videlicet pro cuiusque merito ac dispositione. Nam quòd eandem ad numerum Christi iustitiam per fidem in nos deriuari, & quasi transfundi nugantur Sectarij, id iam antè, quantum oportuit, refutatum est: & secundùm se vsque adeò insulsum, & à ratione alienum est, vt nulla omnino refutatione indigeat.

Insulsum imputationis commentū.

Tertium Antagonistarum contra eandem Christi satisfactionem argumentum.

Qui debitum proprio nomine contractum integrè exoluere non potest, multò ille minùs alienum ad iustum exoluet. Nam, vt suprà explanatum est, integra satisfactio cōstat opere vel precio aliâs indebito. Atqui Christus homo pro collatis in se beneficijs, par Deo reddere nequibat. Quandoquidem dijs, parentibus, ac præceptoribus, si Philosophum audimus, paria rependere nemo mortalium valet: maximè verò Deo, cuius beneficia ipsa gratiarum actione crescunt: quippe cùm illud ipsum, quo gratias habemus, vel agimus, non aliunde obueniat, quàm ab ipso. Quibus accedit munera, quę gratis omnino Christo obtigerant, non fuisse communia, aut vulgaria; sed singularissima, & omnium, quę in hominem cadere possunt, simpliciter maxima. Siquidem inter alia & ipsum quoque personale esse, quod simpliciter est infinitum, accepit. Non ergo ad exactam iustitiæ rationem, vel ad iustum simpliciter pro nobis satisfecit Christus, sed tantùm ad iustum legale.

Dei beneficia ipsa gratiarū actione crescunt.

Munera in Christi humanitatem collata summa.

Tertij huius argumenti discußio.

Hæc ratio plura sumit, vt vera, & certa, quæ tamen, vel falsa sunt, vel certè dubia sunt. Ponit primò eiusdem operæ esse, alienum munus explere, vel debitum exoluere, & proprium: & tamen sępe id fallit. Poteſt nanq; munus vel debitum, quod mihi explendum vel exoluendū incumbit, tantæ molis ac difficultatis esse, vt illi nequaquam par sim: alterius contrà tam leue & expeditum, vt multò illi maior existam. Ponit deinde patis facultatis esse, æquas ꝑ acceptis beneficijs gratias referre, & pro contractodebito, vel conflata noxa satisfacere: & tamen, vt quiuis per se facilè intelligit, aliud est, æs alienū suo alteriúsve nomine conflatum dissoluere, aliud pares pro acceptis beneficijs gratias referre. Fieri enim potest vt conflata aliena nomina multò minora sint, quàm accepta beneficia. Exemplo, quod dicimus, planum fiat. Certum est, si emptionis, aut locationis, aut alterius ciuilis contractus ratione parenti, vel pręceptori aliquid debeam, me ad iustum, imò etiam supra iusti rationem exoluere illud posse: & tamen neutri eorum pro acceptis beneficijs par facilè rependerim: Alteri nanque debeo ipsum esse: alteri verò ipsum benè esse, quod æquè præstans censeri queat, atque ipsum esse.

Non eiusdem est semp operæ, suum & alienum munus explere.

Non paris est semper facultatis, contractum debitū exoluere, & pares pro acceptis beneficijs gratias referre, vel etiā habere.

Ad eundem itaque modum, quia multis partibus minora erant, quæ offenso numini propter scelera nostra debebātur, quàm, quę naturę humanæ, quam Verbum assumpserat, obtigerant: Licèt Antagonistę donaretur pro amplissimis illis susceptæ naturę prerogatiuis secūdùm absolutam iustitię normam satisfacere nequiuisse, adhuc pro scelerum nostrorū ratione ad exactam iustitiæ bilancem satisfacere potuisset. Adde huc, debitum culpæ, vt & pœnæ quoque, ipsa solutione, vel satisfactione è medio tolli, planeque induci: at vero ἰυχαριςίας debitum, ipsa gratiarum actione crescit. Nam, vt in argumento rectè tangebatur, ipsamet gratiarū actio nouo nos beneficio Deo obstringit. Demum extare potest creatura, quæ pro sua, vel alterius noxa nihil quicquam debeat. Vt autē aliqua extet,

Minora erant nostra debita, quàm beneficia in Christi humanitatē collata.

Ipsa gratiarū actio nouo nos beneficio obstringit.

Nulla est, nec esse potest creatura, quæ nõ debeat Deo gratiarũ actionem pro acceptis beneficijs: at multæ sunt, quę ratione culpę nihil illi debẽt. Nullus mortalium plura debet Deo, q̃ Virgo mater.

quæ pro acceptis beneficijs nullam debeat gratiarum actionem, id planè est impossibile. Imò verò quô vnaquæque earum extiterit pręcellentior, donisque cœlestibus cumulatior, eô Deo Opt. Max. est obæratior. Vnde Virgo mater multò plura debet Deo, quàm vllus omnino hominum, aut Angelorum.

Quanuis ergo donaretur, vt disceptationis causa Antagonistæ modò donabatur, Christum Redemptorem nostrum, pares acceptis beneficijs gratias agere, vel habere nequiuisse: adhuc hinc ręctè inferri non posset, pro debitis nostris cumulatè satisfacere non potuisse. Mitto hîc, vt vnigenitus Dei filius ad absolutè perfectam iustitiæ ratione satisfaceret, opus non fuisse, vt sua morte ad eum nos statum perduceret, aut dignitatis gradum eueheret, in quo nihil omnino deberemus. Sat enim erat, si in eum nos locum restitueret, vnde culpa nostra excideramus. Imò verò tanto copiosiùs pro nobis satisfecit ille, quô plurium ac maiorum beneficiorum debitores nos constituit.

Vt plenè pro nobis satisfaceret vnigenitus, opus non erat vt in eũ statum nos eueheret, in quo nihil deberemus.

Et quemadmodum perfectæ satisfactionis ratio illam ab omni omnino debito immunitatem non exigebat, sed neque ex parte nostra ferebat quoque: ita eadem quoque non deposcebat, vt Verbum homo factum id nostri causa Deo patri offerret, quod nullo prorsus iure aut titulo ad ipsum attinebat. Fieri enim hoc non poterat, cùm absolutum ille rerum omnium dominiũ obtineat, & ita obtineat, vt se ab illo exuere aut denudare nulla prorsus potentia valeat. Sat autem erat, & quidem abundè sat erat, si mortem, quam ille nulla iustitiæ lege debebat, nostræ salutis gratia patienter toleraret, vitamque tot malis, laboribus, cruciatibus, atque doloribus, quorum ipse debitor non erat, exercitam, cœlesti patri pro nobis offerret: Quatenus, quæ illius erant per vniuersale dominium, eiusdem quoque fierent per voluntariam filij sui, propter nos nostramque salutem passi, oblationem.

Aequa satisfactionis ratio nõ deposcebat, vt id Deo exhiberetur, quod nullo iure ad illum attinebat. hoc enim erat impossibile, vt q; absolutus rerũ omniũ dominus existat.

Ponit

Ponit eadem tandem argumentatio vt certum infirmæ huius ſtructuræ fundamentum, Chriſtum Seruatorem noſtrum pro collatis in ſe beneficijs ad iuſtū ſatisfacere nequaquam potuiſſe: & tamen hoc adeò non eſt certum, vt omnino quoque ſit falſum. Poterat enim vnico ſolo voluntatis actu pro vniuerſis beneficijs in ſe collatis cumulatè ſatisfacere. Nihil enim acceperat, propter quod vllam omnino ſatisfactionem, aut gratiarum actionem debebat. Collata erant ſanè multa pręclara naturę aſſumptę dona: at ea interim illum debitorem non conſtituebant, vt quę aliunde petita non eſſent, ſed ex hoc in illam proximè dimanâſſent. Totum enim ille à ſeipſo petebat, & quo ſatisfaciebat, & quo merebatur, & quo gratias agebat, & quo aſſumptam naturam exornabat. Siquidem omnia patris, præter paternitatem, non ex libero dono, ſed naturaliter illius ſunt. Et vt nihil horum eſſet, adhuc tamen non video cur magna ratione dici defendique non poſſet, vnicum illum ſalutis noſtrę vindicem Chriſtum Ieſum, quādo incredibili incenſus amore ſe, ſuamque vitam vltro in cruce obtulit, non ſolùm debitis à nobis contractis par dependiſſe, verùm etiam gratijs, prerogatiuis, ac beneficijs omnibus naturæ abs ſe ſuſceptę quocunque modo impenſis. Erat enim oblatio illa in cruce infiniti ponderis, cùm in ratione ſatisfactionis, tum in ratione quoque gratiarum actionis. Obtulit nanque ſeipſum totum, & quicquid in ſeipſo erat. Seipſo autē toto nihil maius habebat, nihil melius à Deo acceperat. Nihil enim ille à Deo acceperat, quod, vel ipſe non eſſet, vel in ipſo non eſſet. Quia ergo totum illud, quod acceperat, integrè & in ſolidum nulla ſibi parte reſeruata reſtituit, fit, vt pro omnibus beneficijs, non quouis modo, ſed perfectiſſima ratione ſatisfecerit. Quòd ſi aliud nihil omnino pręter promptā voluntatem obtuliſſet, adhuc oblatum in vtroque genere immenſi precij & efficacitatis extitiſſet. Sed debitum, vt paulò antè aſſerebatur, ipſa gratiarū actione creſcit? Creſcit in nobis, qui omnia, quę quouis modo habemus, aliūde accipimus: & quidem

Filius Dei nihil debebat, neque ratione ſui, neque ratione naturæ aſſumptæ. Sed neq; debere quoque poterat.

Oblatio Chriſti in cruce fuit infiniti pōderis, & in ratione ſatisfactiōis, & in ratione rurſum gratiarū actionis.

Gratiarũ actione beneficia in Christo nõ crescunt: in nobis necessariò crescunt

dem necessariò in nobis crescit. Nam ipsa quoque gratiarum actio, est nouum quoddam beneficiũ. In Verbo autem, quod omnia & singula à seipso petebat, & petit, crescere non poterat, nec potest.

Porrò autem cùm Philosophus asserit, nullum mortalium dijs, parentibus, ac preceptoribus par reddere posse, id asserit quod in humanis perpetuò verum est, atque ideo generatim sumptum simpliciter admitti potest. In Verbo autem incarnato id locum non habet: tum quia persona infinita est, tum maximè quia nullo debito obstringi potest. Nam etsi Pater Filiũ generet, non liberè tamen illum generat, vt hominem liberè creat: sed merè naturaliter & necessariò. Neque enim in Patris potestate positum est Filium non gignere. In humanis autem parentes non necessariò generant, sed liberè. Quare filij hominum parentibus suis plurimum debent: filius autem Dei patri suo nihil quicquam debet. Itaque cõmune illud & protritum in Scholis axioma hîc fallit. Certum est enim Virginem matrem multò plura debuisse filio suo Christo, quàm Christus filius debebat sanctissimę Virgini matri: non ob id solũ, quòd secundùm naturam illam creâsset, verùm ob id etiam, quòd liberè ex illa natus esset. poterat enim alteri eam maternitatis prerogatiuã indulgere. Quanuis ergo humana natura precisè ac seorsum secũdùm se sumpta, pro acceptis beneficijs, & gratijs, quantas debebat, gratias referre non potuerit: potuit tamen pares, vel etiam maiores referre, vt Verbi hypostasi innixa erat. Ad postremum argumẽti membrum respondetur, esse diuinum, vnionísve gratiam, neque nobis, neque personæ quoque fuisse communicatum, sed naturæ tantùm assumptæ. Naturam autem non satisfecisse, sed personam. Et quanuis totum illud, quod natura obtinebat, debito obstrictum esset: ipsa tamen persona ab omni debito immunis erat. Atque ita nihil est, quòd tertium argumentũ nos conturbet, aut contra Christi satisfactionem instiget.

Pater in diuinis Filiũ non liberè, sed naturaliter generat: atque ita hic illi ratione generationis nihil debet.

Plura debebat Virgo mater filio, q̃ filius matri.

Vnionis gratia neque nobis, neq; Verbo fuit cõmunicata, sed tãtùm naturæ assumptę: hęc autem nõ satisfaciebat p se, sed p̃sona.

Quartum

Quartum eorundem argumentum.

At vrges porrò: Vbi lex vel præceptum, ibi & debitũ quoque & obligatio obtinent. Vbi autem proprij debiti ratio militat, ibi plena pro altero satisfactio locum non habet. Neque enim ære illo, quod Titio debeo, id, quod Mæuio debebam, iure exoluere valeo. Atqui Christus Dominus mortem, & legis obseruationem, & cætera, quæ mortem antecesserant, patri debebat. Siquidem expresso patris mandato, & pati, & mori, & legem, non solùm naturalem, sed & Mosaicam quoque explere, & obseruare tenebatur. Legimus enim oportuisse illum pati, & ita intrare in gloriam suam. rursum: Ad mortem vsque obedientem factum esse. demum: Non venisse vt legem solueret, vel, vt suam voluntatem faceret, sed vt legem adimpleret, eiusque, qui illum miserat, voluntati morem gereret. Nihil ergo reliquum erat illi, quod in plenam pro peccatis nostris satisfactionem offerre posset.

Christus mortis & obseruationis legis mandatũ acceperat.
Luc. 24.
Phil. 2.
Matth. 5.
Ioan. 6.

Quarti huius argumenti refutatio.

Ad hoc respondent quidam, neque imperitè, summam illam filij cum patre concordiam atque consensionem præcepti ac legis nomine designari. Quorum sententiæ inter alios & ipse quoque Cyrillus, exponens illud Euangelij, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre. disertè astipulatur. ait enim: Beneplacito patris filius passus est. Neque ab extrinseco aut aduentitio filius nouum à patre mandatum accepisse intelligendus est, quod priùs non habuerit: sed in Verbo vnigenito est omne patris mandatum. Cùm autem filius accepisse dicitur, quod substantialiter habet, non potestas minuitur, sed generatio ostenditur. Pater enim filio, quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit. Hæc ille, & rectè. Certum est enim propriam mandati rationem necessariò quandam disparitatem includere. Est enim maioris mandare, minoris iussa capessere. Atqui filius, vt huiusmodi, nec

Summa filij cũ patre concordia præcepti nomine significatur.
Ioan. 10.
Cyril. ad cap. 10. Ioan.
Propria præcepti ratio disparitatẽ ponit.

patre minor, nec patre infirmior erat, sed in omnibus, & per omnia ipsi par erat. Quare nullis ille paternis legibus tenebatur tanquam inferior: sed si qua lege, aut mandato tenebatur, ea ratione tantùm naturæ assumptæ tenebatur: quanuis ne hoc quoque satis propriè.

Sed & dato quoquè Christum Dominũ proprij præcepti, legísve vinculo constrictum fuisse, adhuc tamen hinc consequens non fieret, ad iustum pro nobis satisfacere non potuisse. Nam, vt ex politicis manifestum est, lex iustæ satisfactionis rationem non infringit. Planum est enim, qui alterius debitum spontè vel iussus in se suscepit, satisfactionis lege teneri: & tamen, ea lege vel obligatione non obstante, ad exactam iustitiæ rationem nomina, quæ in se receperat, dissoluere potest. Quanuis ergo Christus Dominus, cùm liber alioqui esset, nostrum in se debitum verè transtulerit: Sacris enim literis proditum est, maledictum factum esse, quô nos à legis maledicto liberaret: tum legi vltro se subiecisse, quô eos, qui sub lege erant, redimeret: tum serui denique forma suscepta vsque ad mortem morigerum dictoque parentem extitisse: per hoc tamen non præpediebatur, quô minùs cumulatam satisfactionem in medium adferre posset.

Lex iustæ satisfactionis rationem nõ infringit.

Gal. 3. *Gal. 4.* *Phil. 2.*

Quòd si cui hæc non placent, is breuiter responsum habeat, debitum legis, vel obedientiæ, vel charitatis, iustitiæ debito nihil quicquam, quod eius cumulum exaggeret, solutionémve eiusdẽ aggrauet, adiungere prorsus: Vna nanque eademque ad numerum solutione, si iusta, fuerit, integrè satis fit omnibus illis debitis. Qui enim creditori soluit centum, quos tantùm debebat, vna simul opera, & iustitiæ, & legi, & obedientiæ, & charitati satisfacit. Christus autem nullo omnino iustitiæ debito ex sese obstrictus tenebatur. Nihil enim ille peccauerat, nihil suppliciorum promeritus fuerat, sed quicquid ex se debebat, hoc solo obedientiæ iure, vel charitatis lege debebat. Hoc autem obedientiæ debitum, quî conflauerit, quoque modo cumulatam

Debitum legis, obedientiæ, vel charitatis, iustitiæ debito nihil oneris adiũgit.

Christus nulla iustitiæ lege tenebatur, sed solũ charitatis & obedientiæ

tam illius ſatisfactionem non impediuerit, paucis ſic accipe:

Homo propter peccatum, in quod ſpontè, deliberataque animi voluntate ſeſe coniecerat, debebat centum millia talenta, quorum ſolutionem creditor magna cum ſeueritate vrgebat: ex ſe autem ne vnum quidem denarium exoluere poterat. Hîc iam, vt pia quadam meditatione animo concipere licet, pater ad filium: En homo tantam ſummam debet, & nihil, quo tantum æris exoluat, poſſidet. Ne igitur homo pereat, tu fili, licèt nulla iuſtitiæ lege ad id teneare, communis noſtri plaſmatis miſertus humanam naturam poſſes aſsumere, eaque aſsumpta pro homine ſatisfacere. Filius porrò, cùm hominis ſalutem æquè ardenter ſitiret ac pater, alacri promptoque animo patris, imò communi omnium decreto paret. Suſcepta itaque humana natura, homoque factus ſudat pro homine, patitur pro homine, crucifigitur pro homine, moritur tandem pro homine: Patiendoque & moriendo pro homine centuplo plus exoluit, quàm debebat homo. Quis iam dicere audeat, cœleſte decretum, vel ardens filij in obediendo, & procurando hominis ſalutem ſtudium impedimento illi fuiſse, quô minùs ad contracti debiti æqualitatem ſatisfaceret? Profectò ſi debitum obedientiæ, vel legis, iuſtam ſolutionem infirmaret, nullus vnquam iuſtè ſatisfacere poſset: quippe cùm hoc debitum illi perpetuò indiuulsè cohæreat. Quicunque enim obſtrictus eſt debito iuſtitiæ, ſimul quoque obſtrictus eſt debito legis, vel obedientiæ, quanuis non contrà. Chriſti itaque Domini obedientia, humilitas, ſubiectio, & ſi qua id genus ſunt alia, copioſam illam redemptionem non infirmant, ſed confirmant: non euertunt, ſed ſtabiliunt: non obſcurant, ſed illuſtrant.

Cõmune ſacroſanctæ Triados decretũ Chriſti ſatisfactionẽ non infirmat, ſed amplificat.

Quintum argumentum.

Argumentari & in hunc quoque modum quiſpiam poſſet: Si, quæ filius Dei in humani generis liberationem obtulit,

tulit, conflatis à nobis debitis paria erant: quorſum ergo modò pro hoc, modò pro illo, modò pro omnibus tanta animi contentione, tantoque ſpiritus ardore deprecabatur? Nam qui ad exactam iuſtitiæ rationem, quod ſuo, vel alterius nomine debebat, exoluit, is precibus, quibus creditoris gratiam emereatur, aut exaſperatum offenſi animi deliniat, non indiget. Illis, qui ſoluendo non ſunt, opus eſt precibus, non ijs, qui opibus affluentes, debitum ſupra debitum exoluunt. Et ne quis hîc fortè cauſetur deprecantis perſonam prę ſe tuliſſe veriùs, quàm ſeriò oràſſe, occurrit Apoſtolus, non quouis modo peccatorum noſtrorum remiſſionem, & gratiam, cęteraque ad vitam nobis ſalubria, vel neceſſaria à cœleſti patre efflagitâſſe aſſerẽs, ſed valido clamore, & lachrymis. Qui, inquit, in diebus carnis ſuę preces ſupplicationesq; ad eum, qui poſſet eum ſaluũ facere à morte, cum valido clamore & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Hæc ille, quibus cæteri Apoſtoli & Euangeliſtæ conſentanea concionantur.

Qui totũ integre, quod debebat, exoluit, nulla indiget creditoris gratia.

Christus Dominus ſeriò ardenterque ſalutis noſtræ cauſa orauit. Heb. 5.

Solutio argumenti quinti.

Sed hæc quoque ratio, quę de cumulato Chriſti merito, plenaque ac perfecta eiuſdem ſatisfactione ſuprà conſtituta ſunt, non eneruat. Nam etſi non orantis ſolùm perſonam ſuſtinuerit, ſed & verè quoque & prolixè ſæpe orauerit, (ſiquidem in oratione Dei pernoctâſſe, & aliâs crebrò orâſſe legitur) non ea tamen de cauſa orabat, quòd meritorum ſuorum ponderi diffideret, aut quòd de ſatisfactionis ſuæ virtute, aut perfectione dubitaret; ſed quòd de noſtra indiligentia, & indignitate ſolicitus eſſet. Quanuis, inquam, Chriſtus Dominus ardenter ſæpe cœleſtem patrem rogaret, nunquam tamen rogabat, quô is filij ſui merita veluti conflato debito ſecundùm ſe imparia, aut diluendis criminibus noſtris ex ſe minùs idonea vel efficacia, pro ſua clementia veluti paria & idonea admittere dignaretur: Eiuſmodi enim orationẽ fundere non poterat.

Luc. 6. 12. Matth. 26. Marc. 6. 14.

Chriſtus non orabat, quòd meritorũ ſuorum ponderi diffideret, ſed q; de negligentia & indignitate noſtra ſolicitus eſſet.

poterat. Certò enim nôrat, quęcunque agebat, vel patiebatur, ea cœlesti patri summè grata, summeque ad quiduis obtinendum efficacia existere. Rogabat autem, vt, quę in se, & secundùm se plenissima, & efficacissima, modisque omnibus iustissima erant, vel in omnibus simpliciter suam vim & energiam sortirentur, vel certè in omnibus electis. Nam pro obstinatè sceleratis, ac ad finem vsque impijs, vel non orâsse credibile sit, vel certè non absolutè orâsse. Aliâs enim & ipsi quoque salute potirentur: quippe cùm pater nihil deneget filio, quod is absolutè efflagitat.

Christus neque orabat, neque orare poterat patrem, quò ea acceptaret quæ salutis nostræ causa operabatur, vel patiebatur. Christus non eodem modo preces fundebat pro præscitis, quo pro electis.

Dixerim credibile fieri, Christum Deum ac Dominum nostrum paternæ volũtatis, quam implere venerat, oppidò gnarum, mortem & crucem suam pro electis, & in electis suis non solùm sufficientem esse voluisse, verùm etiam efficacem: pro alijs autem, & in alijs, quos propter scelera sua à patre reiectos certò intelligebat, & ipse proinde mundum appellat, ait enim: Non pro mundo rogo, sed pro eis, quos dedisti mihi: optâsse quidem efficacem esse, non simpliciter tamen & absolutè pro ijs obtulisse, vt qui sua vi, suoque fine in eiusmodi hominibus frustratum iri exploratissimum haberet, non certò quoque sciri. Nam quî salutis nostræ vindex in illos affectus fuerit, quos ad mortem vsque nequam & impios fore præuidebat, quid've, vel precum pro ipsis fuderit, aut operum eorundem causa exhibuerit, id nobis liquidò non constat. Certò tamen statui potest infelicem illorum vicem ex animo doluisse. Nam qui propter Hierosolymorum excidium vsque adeò dolenter ac tenerè illachrymatus est, cum ex tot animarum iactura maximum doloris sensum cepisse veri simillimum est.

Ioan. 17. Christus præscitos mundũ quidẽ appellat. Quî autẽ erga eiusmodi affectus fuerit, id certò non constat.

Orabat itaque filius Dei, vt, quam ex se vim & energiam mors & crux illius continebant, eam validè in nos exererent. Orabat, vt, quę ex merito illius debebantur cumulatè, cumulatè quoque nobis obuenirent. Orabat, vt se verum perfectumque hominem ostẽderet. Orabat, quó aduersus blasphe-

Orationum, precũ, & supplicationum Christi multę graues causę.

mam Iudæorum insultationem, se Deo aduersum non esse, clarè aperteque declararet. Orabat tandem, vt pręclarū orandi exemplum nobis proponeret. Nec enim Christus tantùm vt Redemptor venerat, verùm etiam vt vitę, morumque magister, ac doctor. Quòd igitur filius Dei & crebrò orâsse, & pro sua pietate vel reuerentia exauditus legitur; id plenissimo illius merito nullum præiudicium parit. Non enim rogabat, quô illud in se, vel secundùm se perfectum vel efficax existeret: vtrunque enim secundùm se erat: sed quô in nobis eiusmodi esset. Quemadmodum & Catholica quoque Ecclesia petere interdum solet, vt Christi Domini Sacramenta efficaciter id pręstent, quod significant. Non quòd de eorū virtute ambigat, sed quòd de nostra indignitate, & indispositione formidet. Qualis autem erat oratio, talis erat & exauditio quoque.

Filius Dei datus nobis nō solùm vt Redemptor, verùm etiam vt morum doctor.

Qua ratione Ecclesia oret vt Sacramenta præstent, quod significant.

Argumentum sextum.

Instant sextò eiusmodi ratione: Satisfactio ad absolutam iustitię trutinam exhibita, excludit omnē creditoris gratiam, omnemque eiusdem misericordiam, & liberalitatem: Christi autem meritum & satisfactio diuinam liberalitatem, & gratiam non excludunt, sed necessariò includunt. Non solùm singularem illam hypostaticæ vnionis, quam principalem, vel fundamentalem appellare licet; sed & alteram quoque illam, quam communis, vel habitualis nomine designare solent. Erat enim insignis liberalitatis & gratiæ, quòd cœlestis pater tot illum virtutum pręsidijs muniret, totque donorum ornamentis cumularet, gratijsque ac pręrogatiuis augeret.

Satisfactio absolutè iusta excludit oēm creditoris gratiam & misericordiam.

Solutio sexti argumenti.

Ad hanc argutationem paucis responderi potest, creditoris liberalitatem cum iustæ solutionis ratione non pugnare. Potest enim debitor, magna antè creditoris munificentia vsus, totum quod debebat, ad iustum, imò etiam supra iustum exoluere. Exemplo id vno ostendamus: Debebat Plato rerum omnium inops Socrati auri talenta decem,

Creditoris liberalitas non pugnat cum satisfactionis iustitia.

cem, quæ proinde Plato ne minima quidem ex parte ex suis censibus exoluere valeat. Socrates porrò, hominis miseriç inopiæq; penè extremç misertus, vnicā gnatam cum viginti talentorum dote vltro ipsi in vxorem tradat. Iam si Plato ex insperato vxore amplissimaque dote auctus, ex dotali pecunia socero suo Socrati renumerat vndecim, aut duodecim auri talenta: certum est Socratem creditorem post eam renumerationem nihil ampliùs à Platone quondam debitore exigere posse, etsi summa seueritate cum illo agere vellet. Soluit enim Plato totum illud, quod debebat, integrè, & aliquid etiam eo ampliùs. Erat tamē singularis gratiç & beneuolentiç, quòd filiam, tam egregiè dotatam, tam nullius fortunæ sortisque homini in coniugium traderet.

Pari ergo modo licèt homo contractū à se debitum exoluere nequaquam posset, nisi misericordiarum pater vnigenitum filium suum admirabili quodam vinculo humanæ naturæ vnitum mundo donaret: Eo tamen in Redemptorem, & doctorem orbi semel donato, humanæque naturç tanquam legitimæ sponsæ indissociabili nexu semel copulato, non solùm conflato debito par dependere potuit, & reipsa quoque dependit, sed aliquid etiam eo maius. Deindè verò esto, humana natura eximiam in se Dei benignitatem liberalitatemque hoc ipso experta sit; quòd tantis gratiarum ac charismatum opibus cumulata, in diuinam hypostasim assumpta fuerit: filio tamen Dei, qui verè pro nobis satisfecit, nulla omnino gratia obtigit. Nam cùm per assumptam naturam dignitatis gradum, aut statum non mutaret, neque mutare posset; debebatur illi, vt, quamcunque tandem naturam sibi adiungeret, illa Deo infinitè grata, atque adeò ad merendum & satisfaciendum infinitè valida esset.

Homo per Christū multò plus exoluit, quàm debebat.

In humanam naturam plurima beneficia collata, in filiū Dei nulla omnino.

Imò verò licèt Christi Redemptoris anima nullam inhærentem, habitualem've gratiam sortita fuisset, adhuc Verbi incarnati pathemata & opera Deo Opt. Max. infinitè grata, in-

Quãuis Christi anima habituali gratia fuiſſet destituta, adhuc illius opa Deo extitiſſent infinitè grata.

ta, infiniteque ex conſequenti ad merendum & ſatisfaciendum fuiſſent efficacia. Quandoquidem Chriſti humanitas eiuſmodi ſanctificantis inhærentis ve gratię munere deſtituta, cœleſti ſponſo adhuc arctiùs familiariusq; fuiſſet vnita, quàm vlla omnino creatura, per quamcunque, vel quantamcunq; gratiam vniri ipſi poſſit. Et quemadmodum filius Dei citra vllam inhærentem gratiam, propter eximiam ſuppoſiti dignitatem, perfectè pro nobis ſatisfacere poterat: ita, vt quibuſdam placet, licèt ea, quæ ſalutis noſtrę cauſa operabatur, ex hypoſtaſeos excellentia & dignitate nullum merendi aut ſatisfaciendi robur habuiſſent, ſed ex ſola infuſa gratia liberoq; arbitrio, prout in cęteris iuſtis fieri ſolet; adhuc per eiuſmodi officia ad rei ęqualitatem ſatisfacere potuiſſet: Siquidem gratiam, cuius virtute ſatisfaciebat & merebatur, non ex alio, ſed ex ſeipſo petebat: Id quod in nullam puram creaturam conuenire poterat. Hęc illi.

Opinio quorundã de efficacitate gratiæ Chriſti.

Verùm hæc opinatio non eſt ſatis certa, nec ſatis fortaſſis, quę recipiatur, idonea: Quandoquidem cùm habitualis hæc gratia non fuerit tanta, quin maior conferri potuerit, ſi non vni, certè grandi hominum multitudini: conſequens fieret, vel vnum iuſtum, vel grandem iuſtorum multitudinem pro omnibus mortalium omnium peccatis ad iuſtum ſatisfacere potuiſſe: & tamen hoc iuſtè & rectè antè negatum fuit. Eſt ſanè aliquid, ex ſe habere gratiam, ſed non eſt hoc tantum, vt ob id opinationem hanc admittere nos oporteat. Sed ſatisfaciebat, inquiebas, per gratiam, quam acceperat, ergo non ex condigno? Satisfaciebat ſanè per illam, ſed non per illam ſolam, vt ſæpe iam dictum eſt. Aut certè non per illam, prout in eſse habitus, aut qualitatis ſumebatur: ſed prout ſumebatur ſecundùm patris acceptationem: Atqui ea gratia, vel acceptatio Chriſto ſatisfacienti erat naturalis: Naturaliter enim dimanabat ex vnione Verbi ad humanam naturam. Quare licèt ex eo quòd Verbum vnitum eſset humanę naturę, non neceſsariò conſequeretur illud ens, vel illa qualitas, quæ

Chriſtus ſatisfaciebat p gratiam, ſed non per gratiam ſolam, nec per illam quoque vt gratia ſpiritalis quædã qualitas eſt.

Gratia vt dicit cœleſtis patris acceptationem, erat Chriſto naturalis.

quę appellatur gratia: naturaliter tamen & necessariò sequebatur, vt omnes illius actiones à Deo acceptarentur, eidemq; gratæ essent. Siquidem persona operans naturaliter erat accepta & grata: Et huc tendunt, qui Christi gratiam in esse gratiæ infinitam, in esse verò qualitatis finitam esse dicunt.

Gratia Christi in ratione qualitatis finita, in ratione gratiæ infinita.

Argumentum septimum.

Sed esto, ais, nulla ex parte precij psoluti interuenerit gratia: at summæ citra vllā ambiguitatem gratiæ & liberalitatis erat, ꝙ ęternus pater Christi Domini nostri sudores, eiusdēq; perpessiones, tartarearū pœnarū loco admittere non recusabat, ad hoc enim nulla lege cōpellebatur. Non enim obligatur creditor diuersum specie in solutū recipere, verbi gratia, frumentum, si debetur aurum, vel argentū: aut vice versa aurum vel argentum, si debetur frumentū: præcipuè verò Deus, qui ad extra nihil necessariò amat, aut acceptat, sed iuxta sanctissimę ac liberrimę voluntatis suæ beneplacitum omnia contingenter, & liberè: Atqui genus nostrum sempiternos gehennę cruciatus debebat.

Creditor non obligatur diuersum specie in solutū accipere.

Deus ad extra nihil acceptat, aut amat necessariò, sed omnia liberè.

Solutio septimi argumenti.

Ad hoc argumentum in partē responsum est iam antè. Dictum est enim, & quidem magna probabilitate dictum est, hominem per se primò, & proximè inferni tormenta non debuisse, sed integram tantùm synceramq; ad Deū conuersionem, hoc est, obedientiam, honorē, & reuerentiā, quas res legis prę-uaricatione Deo, quod in se erat, nefariè ademerat. Siquidem præcipua peccati ratio consistit in actuali vel habituali à Deo auersione: Cui (vt communis Scholæ sententia habet) proximè non debetur pœna sensus, sed pœna tantùm damni. Ex illa tamen auersione, honorisque, obedientiæ, ac reuerentię iniusta subtractione, tartareę pœnę reatus necessariò consurgit, debitorē tantisper obstringens, dū id, quod per peccatū abstulerat, per se, aut per alterum in solidū restituat. Restituit autem per vnigenitū Dei filiū. Hic enim hominū causa homo factus, maiorē sua obedientia, & humilitate, honoris & obseruantiæ

Quicquid homo per peccatū Deo abstulerat, hoc totum p Christum illi restituit.

cultum Deo detulit, quàm homo sua superbia,& inobedientia, eidē,quod ad se quidē attinebat,detraxerat. Veruntamen ne non copiosa apud ipsum redēptio extaret,nō fuit contentus ea honoris,famę,reuerētię,ac obseruātiæ restitutione, sed insuper omne quoque pœnarum ac cruciamentorum genus, imò verò mortem ipsam nostri causa experiri voluit:atq; ita non solùm honorem honore, verùm & pœnā pœna pensauit.

Sed & dato quoque, quod argumentum sumebat: puta id, quod Christus Dominus exoluit,non eiusdē omnino rationis extitisse cum eo,quod debebatur: hinc tamē non cōficitur ad exactam iustitię rationē non fecisse satis.Nam de perfectę satisfactionis ratione non est,vt creditor id suscipere teneatur, quod exoluitur,sed vt id integrè depēdatur, quod simpliciter debetur: siue, vt iuxta precij æqualitatem tantum soluatur, quantū iure debebatur: ita vt creditor nihil eo amplius quod exhibetur,iustè exigere possit. Impertinēs est itaque ad rem, obligatus'ne pater fuerit ad id acceptandum, quod filius in iniuriarū compensationē offerebat, an secùs. Sat est,Christum Redemptorem multò plus citra vllam comparationem restituisse, quàm per hominem fuerat ablatum : maiorisq; precij extitisse,quod obtulit ipse,quàm quod homo abstulerat.

De perfectæ satisfactiōis ratione vnum hoc est, vt id integrè depēdatur, quod debebatur, siue specie cōsentiat, siue dissentiat.

Adde, cùm id, quod in contracti debiti solutionem hîc dependebatur,ab eo dependeretur, qui patri infinitè gratus erat, eidemq; per omnia ęqualis: quod filius dependebat,non potuisse patrem in solutionem non admittere: ne, quod perabsurdum est,Deus id nollet admittere,quod idem ad numerū Deus vellet offerre. Tandem vt penès patrem,& filium, & Spiritum sanctum erat,hoc vel illud in compensationem,vel satisfactionem admittere,vel acceptare: ita penès eundem filium vt Deum erat,hoc vel illud in redēptionis nostrę preciū offerre.At Deus,aiebas,nihil necessariò acceptat ad extra: fuit ergo peculiaris gratiæ,ꝙ filij sui sudores in nostrā satisfactionem admitteret. Næ absolutè nihil vult extra se. Posito tamen,aliqd extra se velle, nō potest quoq; id nō velle, quod absolutè & necessa-

Pater nō poterat reijcere quod filius offerebat, quod cunque tandē obtulisset.

necessariò ad illud, quod formaliter volebat, naturaliter cõsequitur: Vt si vult hominẽ, vult etiam animal, & corpus, cæteraque, quæ ad hominis integritatẽ deposcuntur. Ad rem propositam: Licèt Verbum humanam naturam liberè assumpserit, posita tamen eiusmodi assumptione, non potest assumptum infinitè non amare, omniaque illius opera infinitè non approbare, qualiacunque ea demum extiterint.

Etsi Deus extra se nihil velit, tamen si qd eiusmodi liberè velit, non potest id non velle, qđ necessariò ad illud consequitur.

Brentiani argumentum hoc, quod de pœnis tartareis obijcitur, facili negotio expediunt. Defendunt illi enim filium Dei incarnatum ipsissimas inferorũ pœnas, cùm in corpore, tum etiam in anima pertulisse: Atque ideo contractum à nobis pœnarũ debitum non secundùm ęqualitatem solùm dependisse, verùm etiam secundùm speciem. Sed sanè eiusmodi infernalem de Christi Domini nostri satisfactione doctrinam, infernalibus illis Theologis libenter relinquimus: nobis de Christi Domini nostri œconomia, sanctitate & innocentia saniora edoctis, compertissimum est, filium Dei ipsa inferni tormenta, nec passum esse, nec pati vlla ratione potuisse. Constat enim eiusmodi pœnam, præter cruciatus, qui extrinsecus adferuntur, complecti pœnam damni, diuinęque visionis priuationem: tum atrocissimum rursum conscientiæ vermem ex iugi patratorum scelerum memoria natum. At Christus à primo ortus sui instanti clarè perfecteque Deũ videbat, omnisq; peccati & doli expers erat: Impossibile est ergo aliquando pertulisse inferni pœnas. Mitto hîc, tartareos cruciatus vt causam propriã & necessariã ponere capitalẽ noxã, eamq; ꝓpriam, atq; adeò inter Deum & inferni cruciatibus mancipatum capitalẽ inimicitiã. Talismodi aũt inimicitia, & animorũ abalienatio inter patrem & filium nequaquam intercedebat. Erat enim vnus ille inter omnes, in quo patris Spiritus infinita quadam suauitate & iucunditate conquiescebat. Sed nec vllo quoq; casu, aut rerũ euẽtu intercedere poterat: vt q innocẽtiam & sanctitatẽ suã nullo peccato amittere posset. Summã illã indelebilemq; Christi innocentiã nõ solùm impugnant,

Brentianis filius Dei ipsissimas inferorum pœnas sustinuit.

Infernalis Brentianorũ de Christo doctrina.

Inferni pœna ponit propriam noxam, eamque capitalem.

sed aptè quoq; negãt Caluiniani tamen,& Brentiani & Melanthonij. Blasphemãt enim, Christũ Dominũ in cruce desperâsse, atq; ideo illud Dauidicũ, Deus meus, Deus meus, vt qd dereli-
Psal. 21. „ atq; ideo illud Dauidicũ, Deus meus, Deus meus, vt qd dereli•
" sti me? valido clamore ingeminâsse. Sed hoc çquè tartareè atq; alterũ illud. Nã si filius Dei in cruce desperauit, vt isti blasphemo ore eructãt: ergo mũdi huius principẽ nõ debellauit, neq; nos ab improba illius seruitute asseruit: sed miserè ab illo deuictus superatusq; & sauciat⁹ succubuit: neq; oĩs doli & sceleris exps, planeq; innocẽs, & impollutus, & à peccatoribus segregatus mortẽ ꝓ nobis oppetijt, sed horrendo peccato obstrictus: Siquidẽ peccatorũ omniũ pessimũ, peneq; maximũ, est desperatio. At tędet cũ horrẽdis istiusccmodi portẽtis plurib⁹ agere.

Christus in cruce nec desperauit, neque desperare potuit.
1. Pet. 2.
Heb. 7.

Argumentum octauum.

Vrgent octauò: Si Deus ac Dominus noster Iesus Christus ea plenitudine & perfectione satisfecit, quam vos prædicatis, aut ergo satisfecit vt homo, aut vt Deus. Nõ vt Deus, quia tũc nec solus satisfecisset: siquidem opera trium diuinarum hypostascon ad extra sunt indiuisa, & indiscreta: Nec ad exactam iustitiæ amussim fecisset satis: quandoquidem perfecta iustitię ratio eiusdem ad seipsum constare non potest. Ratio enim iustitię non est ad seipsum, sed ad alterum: Deus autem vnus est. Nec rursum satisfecit vt homo: nam secundùm naturam assumptam quęuis illius actio tam externa, quàm interna erat finita, cùm non esset rei infinitæ, sed finitę, & intra certos quidditatis limites conclusæ.

Opera externa Trinitatis sunt indiuisa.
Eiusdem ad seipsum nulla est iustitia, Autag. sententia.

Solutio octaui argumenti.

Et hæc quoq; argumẽtatio maiori ex parte iã antè soluta est. Assertũ est enim, & euidẽter quoq; ostensum est, filiũ Dei, neq; pręcisè satisfecisse vt hominẽ, neq; pręcisè rursũ vt Deum, sed vt Deũ hominẽ: Satisfecit enim ꝑsona diuina: sed non secundùm diuinã naturã. Demonstratũ est nihilosecius falsò asseri Verbũ incarnatũ nullã peculiarẽ, sibiq; propriã in illis functionibus, ac ꝑpessionibus, quibus redẽpti, & in pristinã libertatẽ restituti sumus, efficientiã habuisse, & vtrunque rectè.

Christus satisfecit vt Deus homo.
Christus satisfecit & passus est solus: non Pater, nec Spiritus sanctus.

Planum

Planũ est namq; Christũ Redemptorẽ per ea,q̃ in natura humana,nõ Patris,aut Spiritus sancti,sed suę hypostasi vnita perpessus & operatus est,proximã redẽptionis nostrę causam extitisse. Satisfecit itaque Deus,sed non secundùm deitatem,sed secundùm humanitatẽ. Satisfecit & homo quoque, sed non in hominis persona,sed in hypostasi diuina, atque ideo infinitè.

Christus Deus satisfecit, sed non secũdùm deitatẽ: satisfecit rursum Christus homo,sed nõ in hominis persona.

Sed & falsò quoque sumitur eiusdem ad seipsum nullã extare iustitiam,neque extare posse: potest enim, modò tamen vnus ille creditoris simul & debitoris personã induat: quemadmodum vsu venire id solet, dum vnus quispiã ex vniuerso mercatorum collegio, damno cõmuni æri illato ex proprijs censibus sarto,postea ex ęquo cum collegis lucri partẽ capit. Hic enim,vt damnum omnibus illatum solus refundit,debitoris; vt aũt ex re sua impensa iam sarta & instaurata cum cæteris emolumentum accipit,creditoris personam sustinet. Et vt maximè in cęteris locum id nõ haberet,in Christi tamen œconomia habet,& quidem opportunũ & necessarium habet. Hic vnus enim inter omnes,quotquot sunt,fuerũt, aut erunt vnquam, ita vna ad numerũ persona existebat,vt tamen propter geminam naturam,quam in vna illa persona sustentabat,duarum vicẽ verè gereret, duarumq; munia verè perfecteq; obiret,ac duarum tandem attributa & prędicata verè proprieque admitteret. Verè enim & propriè patibilis dicebatur & impatibilis:finitus rursum & infinitus:seipso minor,seipso maior,& quicqd demũ eiusmodi alterutri naturę rectè attribui potest.

Eiusdem ad seipsum extat iustitia, modò is geminã personã sustineat.

Propter geminam naturam Christus duarũ personarũ vicẽ verè gerebat,duarũque munia vere obibat.

Quæ ergo,inquis,actionum Christi ratio erat? quæ earundem discrimina? Vna hęc paucis: Omnes & singulæ, quæ secundùm diuinitatem in Verbũ cadebant,illæ entitatiuè erant infinitæ,illiq; cum Patre,& Spiritu sancto communes:quę autem in illud conueniebant ratione naturę assumptę,illę in genere rerum & quidditatiuè erant finitæ,eidemq; propriæ.Neq; enim Pater passus est aliquando,aut Spiritus sanctus mortuus, sed solus Filius. Hic vnus enim mirabili quodam modo extra seipsum egrediens,& tamen intra se manens,factus est homo,

Christi actiones secũdùm diuinitatẽ infinitæ,illique cum Patre & Spiritusancto communes: secũdùm humanitatẽ aũt finitæ,illique propriæ.

qui debebat: idemq; manēs, quod erat, hoc est, Deus, & factus, quod non erat, videlicet homo, sibijpsi vt Deo factus est debitor. Atque ita vnus idemque, non secùs ac si gemina hypostasi substitisset, simul debitor & creditor, simul soluens & solutionem exigens erat. Decuit nanque vt contractum ab se debitum homo solueret per seipsum, & non per alium. Patet ergo quî personæ vnitas, neque integræ satisfactioni, neque merito quoque aduersetur condigni.

Christus simul debitor & creditor, simul soluens & solutionē exigens.

Argumentum nonum.

Instant nonò: Non minorū est virium pro seipso satisfacere, quàm pro altero: sicut quoq; non minoris, imò maioris difficultatis est, alteri cuicūque, quàm sibijpsi mereri. Sibi enim iustùs ex condigno mereri potest, alteri ex congruo tantùm. Atqui si Christus homo pro humanę naturę imbecillitate in aliquod capitale flagitiū cōcidisset, nō potuisset secūdùm integrā iustitiæ rationē pro seipso satisfacere, ergo neq; pro nobis quoq; ad iustū simpliciter satisfecit, aut satisfacere potuit.

Iustus sibi ex condigno, alteri ex congruo mereri potest.

Solutio noni argumenti.

Rationis huius vis nulla est prorsus. Multò nanq; citra vllā comparationē plus mereri potest innocens, sanctus, & impollutus alteri quantumlibet impuro, ac scelerato, quàm improbus scelerosusq; peccator sibijpsi. Et quanuis Christi humanitas quandiu Verbo associata maneret, peccare non posset: Nam vt persona operās infinitè erat grata, ita oīa illius opera Deo infinitè placebant: Attamen dato, quod argumētum sumit, ꝓfectò, qui ꝓ alijs ad iustitię legē satisfecit, idem ille & suę quoq; humanitatis debitū integrè, & ad rei ęqualitatē exoluere potuisset. Nulla enim apparet ratio, cur filius Dei id pro se suáve natura præstare non potuerit, quod præstitit pro alijs.

Plus mereri potest iustus alteri non iusto, quàm iniustus sibijpsi

Qui pro alijs satisfecit, pro se quoq; satisfacere potuisset, si quo debito obstrictus fuisset.

Argumentum decimum.

Christi Domini satisfactio passim in Scripturis emptionis & redemptionis nomine designatur. Atqui eiusmodi locutiones sunt improprię & metaphoricę: Siquidem nullus hîc apparet emptor, nullus venditor, nulla merx, preciū nullū: ergo Ver-

Christi satisfactio emptionis & redēptiōis nomine significatur.

Verbum incarnatũ nõ propriè satisfecit, sed tantùm impropriè & imperfectè, & per consequens non ad rigorem iustitiæ.

Solutio argumenti.

Ad hunc cauillũ paucis dici potest, eiusmodi locutiones esse proprias, Scripturisq; & Patribus maximè familiares. Quod autẽ ad contractus partes attinet: Venditor in hoc cõmercio non est diabolus, huic enim nullũ verum ius in hominẽ competebat, vt qui per meram fraudẽ & imposturã Dei peculium inuasisset: sed Deus Trinitas, huius enim iustitia lęsa fuerat. Emptor, Christus Dominus: illius nanq; hęreditas facti sumus. Precium, nõ aurum, aut argentũ, aut aliquid aliud eiusmodi, sed preciosus vnigeniti filij Dei sanguis. Merx, populus gentium, cęteriq́ue, qui salute potiuntur. iuxta illud Psalmistæ: Postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Appellatur aũt contractus hic emptio, propter precij ęqualitatem: redemptio verò & liberatio, propter seruitutem, quam genus mortaliũ seruiebat peccato & diabolo. Nã etsi is nullã iurisdictionẽ in hominẽ haberet, Deus tamen permisit illi vt suã in hominem tyrannidẽ exerceret: & iustè id permisit, tum quia in diaboli potestatẽ vltro sese cõtradiderat: tum maximè, quia ꝓpter insignẽ suã inobedientiã, vt eiusmodi tortorem pateretur, iure optimo promeritus fuerat.

In humani generis Redemptione venditor Deus Trinitas: emptor, Verbum incarnatum: preciũ, Christi sanguis: merx, homo.

Psal. 2.

Cur humani generis liberatio appelletur emptio, cur item redemptio.

Argumentum vndecimum & postremum.

Argumentantur tandem hunc in modum: Si Christus Dominus cumulatè, & supra condignũ pro omnibus mortalium omniũ peccatis satisfecit, cur ergo non omnes saluantur? cur miseri mortales tot ærumnis, ac cladibus passim premuntur? cur deniq; Deus Opt. Max. nõ solùm peccatorũ detestationẽ, accuratamq́; eorundẽ confessionẽ, verùm etiã pręceptorum obseruationẽ, & iustã de admissis sceleribus satisfactionẽ exigit? Hęc enim omnia, & alia pręterea multa his cognata, cum copiosa illa satisfactione, & meritorum Christi plenitudine non satis constare posse videntur. Non ergo ad exactam illam, & seueram iustitię rationem pro nobis ab eo factum est satis.

Solutio

Solutio argumenti postremi.

Hic aries in eo tractatu ex instituto retundetur, quē de nostra satisfactione adornamus,& hunc propediem,si Dominus permiserit, consequetur: nunc obiter dixerim,Christum Dei filium gratiam,& gloriā, & peccatorū remissionem, & cętera omnia,quibus ad hęc obtinenda pręparamur, vel adiuuamur, plenissimè,iustissimeq; nobis promeritū esse: Nec ideo tamen omnes saluos fieri.Cur ita? Quia nō omnes ea præsidia & media adhibere student, quibus passionis Christi vis & meritū in mortaliū animos transfundi debet.Nec enim Christus Dominus ideo mortuus,suppliciaq; adeò dira perpessus est,quò nos ociosam, atq; ab omni studioso opere feriatam vitam duceremus: sed quò ipsius exēplo excitati,& auxilio nixi in virtutum studio impigrè curreremus,ijsq; antidotis & pharmacis, quæ ipse nō absq; ingentibus sumptibus sudoribusq; in peccatorū nostrorum expiationem comparauit,piè, religiosè,& tempestiuè vteremur.Quia ergo non pauci isthæc neglectui,alij etiā contemptui ducunt,non obstante meritorum Christi magnitudine, & multitudine, fit vt plurimi fine, ad quem conditi erant, frustrati in omnem æternitatem pereant. Sed de hoc argumento suo loco fusiùs.

Christus, & gratiā, & ea omnia, quibus præparamur ad gratiam, nobis promeritus est.

Causæ, cur nō omnes cumulatæ satisfactiōis Christi participes fiant.

Constat ex his ergo,quicquid contra cumulatam illā Christi Satisfactionē adfertur, id totum inualidum infirmumq; esse,nec satis idoneum, quod vlla illā ex parte obscuret, nedum conuellat,aut euertat. Constat nihilosecius multò plus commodi nobis attulisse Christi Redemptoris humilitatē & obedientiam, quàm incōmodi primi parentis nostri superbiam & rebellionem.Cōstat tandem catholicos Scriptores longè maiorem vim & energiam tribuere Christi merito, & satisfactioni,quàm eisdem tribuant hæreticorum duces. Illi, qui tantum salutis nostrę causa thesaurum æterno Patri exoluit,& obtulit, sit honor, & gloria, & gratiarum actio in perpetuas æternitates.Amen.

Nihil adfertur ab Antag. quod plenam Christi satisfactionē vlla ex parte labefaciat.

LAVS DEO.

DISPV-

DISPVTATIO DE MAIESTATE HOMINIS CHRISTI,

IN CELEBRI ACADEMIA INGOLstadiana ad normam veræ piæque doctrinæ per Theses explicata, aduersus impias Iacobi Andreæ Schmidelini Theses, de hac eadem hominis Christi Maiestate, Tubingæ propositas publicéque defensas.

Aequus iudicet Lector, & veritatem contra falsitatem ingenuè tueatur.

PRAEFATIO.



Ircunferuntur dogmata quædam, authore Schmidelino, de Maiestate hominis Christi, non quæ Apostoli docuerunt, sed noua planè & perniciosa, & cum Christi, Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, & cum omnium denique totius Ecclesiæ Catholicæ Patrũ doctrina ex diametro pugnantia. Quoniã verò Apostolus grauiter monet, ne doctrinis varijs & peregrinis abducamur, iubetque doctri- Heb. 13.

 nam,

1. Tim. 6. nam, quæ ſecundùm pietatem eſt, tueri ſaluā in Eccleſia: operam nos, neque inutilem, neque à profeſſione noſtra alienam, ſumpturos exiſtimauimus, ſi aduerſus nouos & impios Schmidelini errores, veram & orthodoxam Eccleſiæ ſententiam vindicaremus. Proponimus ergo Theſes, vt ille fecit, ſed meliore fide tractaturi graue hoc & ſcitu dignum Argumentum. Ac duplicem quidem ordinem Theſium poſuimus, vt primùm haberet lector totiùs negotij, quod pleriſq; forſan obſcurum videbitur, neceſſariam explicationem: deinde verò, vt de Schmidelini ineptijs, imò aperta & horrenda impietate, boni omnes rectiùs iudicarent. Quare Theſes alias explicatorias, alias confutatorias fecimus.

Hunc noſtrum laborem, quiſquis es veritatis ſtudioſus, boni vt conſulas per Chriſtum rogamus. Ingolſtadij calendis Iulij, Salutis Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimoquarto.

EX

EX VINCENTIO LIRINENSI
ANTIDOTVM ADVERSVS PROFANAS HAERESVM NOVITATES.

CVm primùm mali cuiusque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem sui sacræ legis verba furari, eaq; fallaciter & fraudulenter exponere: statim interpretando Canoni, Maiorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud quodcunq; exurgat nouitiũ, ideoq; profanum, & absque vlla ambage ꝓdatur, & sine vlla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica, sanctè, sapienter, constanter viuentes, docentes & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.

EX EODEM VINCENTIO.

HÆretici diuinæ scripturæ testimonijs vtũtur, & vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quæq; sanctæ legis volumina. Siue enim apud suos, siue alienos: siue priuatim, siue publicè: siue in sermonibus, siue in libris: siue in conuiuijs, siue in plateis: nihil vnquam penè de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conetur. Et paulò pòst: Sed cùm cœperint illas voces, non iam proferre tantùm, sed etiã exponere: nec adhuc iactare solùm, sed etiam interpretari: tũc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur: tunc nouitium virus exhalatur: tunc profanæ nouitates aperiuntur: tũc primùm scindi sepem videas: tunc transferri Patrum terminos: tunc Catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant ij, quos percutit Apostolus Paulus in secunda ad Corinth. dicens: Nam eiusmodi, inquit, Pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurant se in Apostolos Christi. Quid est, transfigurant se in Apostolos Christi? Proferebant Apostoli Psalmorum authoritates, proferebant & illi: proferebant Apostoli sententias Prophetarũ, & illi nihilominus proferebant. Sed cùm ea, quæ similiter protulerant, interpretari non similiter cœpissent, tunc simplices à subdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruersis, tunc postremò veri Apostoli à falsis Apostolis discernebantur.

THESES EXPLICATORIAE DE MAIESTATE HOMINIS CHRISTI.

I.



CVm omnis hæc de Maiestate hominis Christi disputatio ex hypostatica duarum naturarum in Christo vnione peti debeat & intelligi, res ipsa postulare videtur, vt ante omnia discrimen, quod inter hypostasin & naturam intercedit, hoc loco repetamus & animaduertamus. Quod sanè discrimen si negligatur, non minus erit nobis periculi, quàm plerisque accidit in illo veterum Hęresiarcharum albo, qui inter hypostasin & οὐσίαν non distinguentes, in varios, eosque pudendos & impios errores impegerunt.

Eusebius H. E. li. 10. c. 29. Theodoretus cont. Sabell. Damascenus lib. 3. cap. 3. Boem. in lib. de duab nat. S. Maximus in quadã oratione. Anastasius Monachus Sinai.

2. Sic Arriani dum ex personarum trinitate, naturarum trinitatem inferunt: Filium à Patre, & Spiritum sanctum ab vtroque ἑτεροούσιον astruunt. Ediuerso Sabelliani, quoniam ex vna τριάδος οὐσίᾳ vnam subinde hypostasin colligunt, non solum Filium, sed & Patrem & Spiritum sanctum incarnatos ac passos esse confingunt. Sic & Nestoriani, dum ex duabus Christi naturis duas in Christo hypostases faciunt, non καθ' ὑπόστασιν, sed κατὰ συμβεβηκὸς Deum cum homine coniungunt. Contrà verò, Eutychiani, dum ex vna Christi hypostasi vnam quoque naturam deducunt, vnam tantùm οὐσίαν, quemadmodum & vnam personam in Christo Domino constituunt atque definiunt.

3. Nec sanè dissimilis fuit Monothelitarum inscitia, qui dum vnam duntaxat in Christo personam contra Nestorium: duas verò naturas, contra Eutychetẽ rectè profitentur: rati tamen, ad personæ vnitatem, proprietatis quoque & operationis vnitatem esse necessariam, quô Nestorij hæresin declinent, vnam tantùm

tantùm vtriusque naturæ proprietatem atque operationem, ob personæ vnitatem in Christo constituunt, atque ita vtriusque naturæ proprietates non minùs imperitè quàm impiè confundunt.

4. Quanuis verò natura, substantia, essentia seu οὐσία (quæ promiscuè in hac tractatione, veterum more, passim vsurpabimus) varias sortiantur significationes, si quis exactè nomina peruestiget, hîc tamen pro eo sumuntur, quod definitione, qua, quid res est, explicatur, comprehenditur.

5. Natura itaque seu οὐσία ab hypostasi, quam Latini Theologi personę vel subsistentis nomine solent appellare, eo distinguitur, quòd natura solam rei quidditatem complectitur, quę ex se quidem multis indiuiduis est cõmunis, totamque οὐσιώδη singulorum perfectionem continet, cuiusmodi est, humanitas. Hypostasis verò dicitur indiuiduum, quod à cæteris omnibus eiusdem naturæ singularibus, quadam proprietate discretum, ita per se & in se existit, vt nulla ratione in altero sustentetur, aut sustentari queat, vt Petrus, Iohannes, &c.

Hier. in Sym. explanat. ad Damasum. Basilius cõtra Eunomium. Theodoretus contra Sabel. Damascenus lib. 3. c. 3. & 4. Eusebius H. E. lib. 10. c. 29. Talassius Hecaton. 4. Ansel. de incarnat. verbi c. 5. &c.

6. Vbi ne vocum ὁμωνυμία generet obscuritatem, accuratè discernendum est inter eas proprietates, quas προσωπικάς, & eas, quas οὐσιώδεις vocant. Nam in explicatione personæ, non de essentialibus, sed de personalibus locuti sumus.

7. Ex hac porrò distinctione id cumprimis manifestum euadit, quanam ratione, vnam quidem οὐσίαν contra Arrium, & tres hypostases contra Sabellium, in sacrosancta Triade profiteamur: eò nimirum, quòd vna tantùm eademque simplicissima in augustissimo illo Trinitatis mysterio communis essentia reperiatur, quæ totam in se deitatis continet perfectionem: tres verò proprietates personales, quibus tres personæ constituuntur ac inter sese distinguuntur.

Conc. Nicen. Cõstantin. 1. Ephe. 1. Chal. Constã. 2. & 3. Nicen. 2. Latera genera. &c.

8. Veruntamen sanctissimę Trinitatis sacramentum planè est incomparabile, adeoque rerum naturam, omnemq; mentis humanę, imò & angelicæ capacitatem in immensum excedit, in eo, quòd essentia illa in tribus diuinis personis subsi-

Damasc. lib. 1. c. 11. &c.

ſtens, non ſpecie aut ſola ratione, vna, ſicut in creaturis vſu venit, ſed vna ſit penitus atque ſimpliciſſima.

9. Hinc & illud fit perſpicuum, aliud eſſe, quędam in vnam eandemque naturam vniri, aliud verò in perſonę vnitatem coagmentari. Illa ſiquidem in natura dicimus vnita, quæ in vna conueniunt οὐσίᾳ, ſiue id fiat abſque vlla concretione, mi-ſtione aut conuerſione, vt in diuinis perſonis inuenitur: ſiue ſola compoſitione, vt in hominis ex anima & corpore conſti-tutione: ſiue denique intercedente mixtione aliqua, confuſi-one aut conuerſione, vt in elementorum tranſmutatione & mixtorum productione accidere conſtat.

10. At verò illa in hypoſtaſi vnita eſſe dicimus, quę ad eum modum ſunt coniuncta, vt eâdem prorſus exiſtāt ſubſiſtentia: Cuius generis eſt animi atque corporis in vno aliquo homi-ne compoſitio. Præterquam enim quòd hæc tanquam partes eſſentiales ad naturæ vnius perfectionem coëunt, in vna quoque perſona connectuntur, cùm vna vtrique communis ſit ſubſiſtentia.

11. Iam verò vt ad rem ipſam aliquantò propiùs accedamus, veramque & Catholicam de duarum naturarum in Chriſto vnione ſententiam explicemus: Credimus inprimis, vnanimique conſenſu profitemur Chriſtiani, duas naturas, diuinam, inquam, & humanam, in vno Chriſto hypo-ſtaticôs vnitas eſſe: eam autem vnionem ideo cum ſancta & Apoſtolica Eccleſia hypoſtaticam ſeu perſonalem appellamus, quòd duæ illæ naturę ſecundùm ſubſiſtentiam in Chri-ſto vnitæ ſint, vt ſacroſanctę generales Synodi iampridem definiêre. Sic enim in Epheſina Synodo decretum eſt: Carni ſecundùm ſubſiſtentiam vnitum eſt Dei Patris Verbum. Et in quinta Synodo generali: Sancta verò Dei Eccleſia, vtriuſque, ſcilicet Neſtorij & Eutychetis, perfidię impietatem eijciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſten-tiam. Et ſequenti Canone: Si quis non confitetur Dei Verbum

In epiſt. ad Neſtorium & Anath. 2.

c. 4.

c. 5.

bum carni ſubſiſtentialiter vniri, & propterea vnam eius ſubſiſtentiam vel vnam perſonam, & ita ſanctam Chalcedonenſem Synodum vnam ſubſiſtentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti confiteri, talis anathema ſit. In Decretis etiam Synodalibus Martini primi ſic habetur : Si quis non con- c.6. fitetur ſecundùm ſanctos Patres propriè & verè ex duabus naturis deitate & humanitate ſecundùm ſubſiſtentiam vnitis, inconfusè & indiuiſè eundem & vnum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum eſſe, ſit condemnatus. Et in ſexta Synodo ſic legitur : Aſſerimus duas eius eſſe naturas Act.17. in vna eius radiantes ſubſiſtentia. Ad eundem ſanè modum cęteræ Synodi & Patres vnionem perſonalem intellexerunt.

12. Nec ita tamen naturas illas in vna hypoſtaſi vnitas exiſtimare decet, quaſi ex duabus ſubſiſtentijs, humana videlicet & diuina, tertia coaluerit aliqua, quæ partim diuina ſit, partim humana : Non enim adiectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ (vt cum quinta Synodo loquamur) ſan- c.5. cta Trinitas ſuſcepit ex incarnato Dei Verbo, ſed vna eſt duntaxat eademque indiuidua in Chriſto Domino ſubſiſtentia, ipſius nimirum Verbi propria, quæ propter immenſam Verbi perfectionem atque virtutem, hypoſtaticôs humanam ſuſtentat naturam, quam propria (vt ſic dicamus) perſonalitate deſtitutam, ſibi aſciuit atque coniunxit. Vnde Damaſcenus : Ipſius Verbi hypoſtaſis, vtriuſque natu- lib.3 c.9. rarum hypoſtaſis exiſtens, nullam inſubſiſtentem eſſe permittit, neque alterius eſſe hypoſtaſeos. Neque quandoque quidem huius, quandoque verò illius, ſed ſemper vtriuſque indiuiſibiliter & inſeparabiliter eſt hypoſtaſis : tota huius, & tota illius, impartibiliter & pleniſſimè. Non enim in propria ſubſiſtentia ſuſtentata eſt Dei Verbi caro, neque in alia hypoſtaſi facta eſt, quàm in Dei Verbi hypoſtaſi, ſed in ipſo ſuſtentata & ſubſiſtens potiùs, neque ſecundùm propriam ſubſiſtens hypoſtaſin facta eſt. Quapropter neque

neque insubsistens est, neque Trinitati superaddit hypostasin. Hæc ille.

13. Atq; hinc iam absque vlla difficultate intelligitur, quanta humanitatis cum diuinitate sit vnio. Non enim tanta est, quanta trium personarum in vna essentia diuina, neque tam parua etiam quàm ea est, quæ in solius gratię, gloriæ, virtutis, authoritatis, dignitatis aut potestatis communicatione consistit, aut quæ alio quouis accidentario modo efficitur. Nam neque persona, in qua vniuntur, neque naturæ ipsę, accidens aliquod censeri debent aut possunt.

Syno. Ephes. Cõstant. &c. Alexander.

14. Imò si rem, in qua vnio hęc facta est, penitiùs intueare, haud facilè parem in rerum natura comperias vnionem. Etenim diuina illa subsistentia, in qua naturæ conueniunt, si per se consideretur, rerum omnium, quæ existere possunt, est simplicissima: quanuis si naturas ipsas vnitas spectes, composita quodammodo dici queat, eô quòd in duabus subsistat naturis.

15. Est autem hæc vnio vsque adeò singularis, vt nullo prorsus exemplo satis commodè explicari queat. Nam licèt vnio animi cum corpore, vt cætera omittamus, nonnullum cum diuina illa vnione affinitatem habere videatur, & idcirco ad eandem explicandam à sanctis Patribus interdum assumatur, quatenus in vtraque vnione duæ res diuersæ in vna hypostasi sine vlla mixtione, confusione ac conuersione sustentantur: tamen si rem omnem rectè perpendas, longissimo hęc distant interuallo: animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectę sunt essentiæ, sed vnius essentiæ partes: diuina verò & humana natura in Christo, êssentię sunt, sic integræ atque perfectę, vt nulla ratione vnam tertiam essentiam absoluere possint.

Athanasius in Sym. Synod. Ephe: Cyril de Incarnat. August. tract. 78 sup Ioan. Gregor. Nazianz. Epist. ad Celidon. Lyrinen. Damascenus li. 3. c. 3. &c.

16. Hæc quibusdam erunt obscura fortasse, sed scitu sanè digna, vt ex hac personalis vnionis explicatione confutetur impius. Sabellius, & intelligatur non Patrem, qui solus ingenitus est, nec Spiritum sanctum, qui ex Patre

Filioque

[a]Filioque procedit, sed solum Filium, Dei[b] verbum, Deum verum de Deo vero, genitum, non factũ, Patri ὁμοούσιον, in plenitudine temporis hominem factum esse, nobis non modò ὁμοούσιον, sed etiam per omnia similem absque peccato, eumq; solum pro nobis passum fuisse.

17. Nam etsi vna omnino Patris & Filij & Spiritus sancti οὐσία sit & ἐξουσία, Maiestas quoque & dignitas, [c] non tamen in essentia aut quacunque essentiæ perfectione siue essentiali aliqua proprietate, (quę omnia toti Trinitati sunt communia) sed in solius Filij hypostasi, qua à Patre & Spiritusancto re ipsa distinguitur, vnionem illam factam esse cuncti in Ecclesia profitentur.

18. Quòd si in sola essentia aut in essentiali aliqua perfectione vnio illa facta fuisset, tota vtique Trinitas incarnata (quod sentire sit nefas) pari ratione affirmaretur: cùm essentia & quæuis essentialis perfectio in tribus illis personis ex æquo reperiatur.

19. Liquet etiam ex iam dictis insaniuisse Nestorium Nestorianique dogmatis sectatores omnes, cõtra quos cum Ephesina Synodo apertè profitendum est, non duas Christi personas, aut duos filios, alterum videlicet Dei, alterum Virginis Matris, totidem've Christos, sed vnam duntaxat personam, vnum Filium, vnumque Christum, qui verus Deus & verus homo sit, constituendum & adorandum esse: quia non duas, sed vnam tantummodo hypostasin in eodem Christo agnoscimus ac veneramur.

a Cõc. Ephe. in Epist. ad Nestoriũ. Lateran. Lugd. Floren. Toletan. 3.4.6.8.11. Brach. 3. Anglic. 2. Horm. Epist. 1. Leo 1. Epist. 91. Athan. sermone de imagine Iesu in Beryto, recitato in 7. Synodo actio. 4. & in symbolo. Hilar. lib. 2. de Trinit. Didymus lib. 2. de spiritusancto. Amb. lib. 1. de Spiritusancto c. 10. Basilius cont. Euno. Augustin. lib. 15. de Trinita. c. 26. Epipha. in ser. angyroto &c.

b Ioan. 1. Gal. 4. Heb. 2.4. Con. Nicenũ. Constã. 1.2.3. Ephe. 1. Chalced. &c.

c Con. Tolet. 6. c. 3. vbi sic habetur, solus Filius suscepit humanitatem in singularitate personę, id est, in eo quod propriũ est Filio, non q͛ cõmune est Trinitati. Vide Lirinen. ꝑpe finem, vbi connumerat Patres, quorum beata illa Synodus doctrinam tenens de fidei regulis pronunciauit.

20. Ex his præterea, confirmamur in Christiana & necessaria confessione, quam approbauit sacra Chalcedonensis Synodus contra Eutychetem, nimirum: Vnigenitum Dei filium in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuisè, inseparabiliter existere, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem, sed potiùs salua vtriusque naturę proprietate. Quandoquidem non conuersione diuinitatis in carnem, aut

Synod. Eph. 1. Constatin. 2. Atha. Symbo. Aug. 1. de Trinit. c. 7 Lirinens. Damas. lib 3. c. 2. Alcuin. lib. 2. de Trin. c. 3. &c.

a Lirin. Damasc. lib. c. 5. Maximus de duabus Christi naturis. Leont. Byzãt. c. 1. cõtra Seuerum.

aut carnis in diuinitatem, sed assumptione humanitatis in Deum, non confusione, aut transfusione substantię, aut vnius tertię naturę compositione, sed vnitate personę, siue subsistentiæ, vnus est manetque Christus, in duabus subsistens naturis.

b Psal. 134. Matth. 26. Marc. 7. 14. Luc. 2. 22. Phil. p. 2. Hebræ. 2. &c. Cõstan. 2. c. 7 Martinus 1. in suis decretis Synod. c. 9. Vide Epistolã Agathonis receptam in 6. Synod. vbi citat. Amb. August. Dionys.

21. [a] Itaque sicut in Deo vna est substantia & tres personę: ita in Christo vna est persona & duæ substantiæ siue naturæ.

22. [b] Ex quo illud etiam contra Monothelitas euidenti ratione consequitur, vt, quemadmodum in Domino nostro Iesu Christo duas naturas indiuisè inconuertibiliterque vnitas esse confitemur, ita & duas proprietates duasque naturales operationes (vt sextę Synodi verbis vtamur) indiuisè, inconuertibiliter, incõfusè, inseparabiliter, in eodem Christo agnoscere debeamus, ac venerari, alteram videlicet humanam, alteram verò diuinam.

Are. Leonẽ 1. Greg Naziã. Atha. Grego. Nyss. Chryso. Cyril. Hilar. Iustinũ Philosophum, Euphemiũ Antioch. Episc.

23. Quod profectò Monothelitę minimè negauissent, si Philosophiæ præceptionibus mediocriter saltem fuissent instructi. Nam ratione naturali perspicuum est, essentiales seu naturales proprietates ac operationes, non ex personę, sed ex naturæ seu formę vnitate & distinctione, vnitatem & distinctionem sortiri. Id quod supernaturali quoque Trinitatis exemplo apertè confirmari potest, vbi propter naturę vnitatem, vna essentialis proprietas vnaque operatio in tribus illis sacrosanctis personis reperitur, secundùm illud Theologicum axioma: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Conc. Tol. 6. c. 1. Tolet. 11. in ꝓfes. fidei.

August. 1. de Trinita. c. 4. Damasc. lib. 3. c. 4. Greg. Nyssen. tomo 5. contra Eunomium.

24. Atq; hinc rursus manifestum euadit, de neutra in Christo natura alterius proprietates dici posse, manet enim inconfusa in Christo tam carnis, quàm diuinitatis proprietatũ contemplatio, cùm vtraque natura absq; vlla confusione, mixtione aut conuersione proprietates suas distinctas omnino incolumesque retinuerit.

25. Quapropter sicut humanitas, diuinissima hac vnione diuinam naturam non reddidit infirmam: ita nec natura diuina huma-

humanitatem omnipotentem effecit, cùm nec forma serui, Dei formam in Christo ademerit, nec forma Dei formam serui minuerit, vt D. Leo eleganter dixit.

26. Verùm quanuis post admirandam hanc vnionem duæ in Christo naturæ earumque proprietates, distinctæ impermixtęque perstiterint: tamen, quoniam vna est persona Christi in illis duabus naturis subsistens, eidem Christo velut vni eidemque personæ ascribimus voces omnes, tam diuinas quàm humanas, quę vel in Euangelicis, vel Apostolicis scripturis, vel in Patrum monumentis passim reperiuntur: tametsi inter se pugnare videantur, & reuera pugnent, propter naturarum, quas concernunt, diuersitatem.

27. Et hęc ipsa personæ vnitas, in causa est, vt, quæ Dei sunt propria, sæpe in Scripturis ascribantur homini: ea verò quę carnis sunt propria, attribuantur Deo.

28. Vnde non potest non apertè constare, quòd verè prorsus & Catholicè vnus & idem Christus, Deus & homo dicatur, idemque mortalis & immortalis, Patri æqualis & minor Patre, Creator & creatura, omnipotens & infirmus, vbique existens & certo loco circunscriptus, æternus & in tempore natus. Demum ob hanc eandem personæ vnitatem, & hominem Dei filium, Creatorem etiam & omnipotentem: e diuerso verò Deum, Virginis filium, passum quoque & crucifixum, rectissimè confitemur. Non enim interest (inquit Leo) ex qua Christus substantia nominetur: cùm inseparabili manente vnitate personę, idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre deitatem.

29. Quę cùm ita sint, non est Grammatica tantùm, seu verbalis ἰδιωμάτων κοινωνία in persona Christi: in natura verò, ne Grammatica quidem seu verbalis fieri potest. Siquidem vni & eidem Christi personæ, in qua naturæ sunt vnitæ, vtriusque naturę attributa re ipsa conueniunt, cùm eadem sit hypostasis vtriusque naturę: in neutra verò natura, alterius

Epistola ad Flauianum in Chalced. Synodo recepta, quæ eiusdem est cum Synodo ipsa authoritatis. Synod. Ephe. Anathem. 4. &c.

Con. Hispal. 2. c. 13. Ambr. lib. 2. de fide ad Grat. Imper. cap. 4. August. 1. de Trin. c. 7. Epistola ad Dardanum. Leo. Epist. 95. Lirinen. Damas. lib. 3. c. 3. & 4. Cyril. Ioan. 3. Beda Ioan. 3. Theophyl. & Rupertus. &c. ibidem. In Epist. ad Palæstinos.

Ijdem qui suprà.

proprietates insunt, sed nec inesse queunt: cùm neque in natura, neque in naturæ proprietate aliqua vnio aut confusio facta fuerit, aut etiam fieri possit.

30. Accuratè ergo obseruandum est, quę nomina personam, & quę naturam significent, ne ex verbis aut malè prolatis, aut falsò intellectis, error in re tanta perniciosissimus fortè oriatur. Nam cùm hæc naturarum vnio in persona facta sit, non in natura, nominibus non naturam, sed personam significantibus perpetuò vtendũ est ad idiomatũ cõmunicationem.

31. Propterea enim enunciatoines hę veræ sunt & catholicæ, Homo est Deus, omnipotens, immortalis, impatibilis: Item, Deus est homo, infirmus, mortalis, patibilis: falsæ sunt itidem hæ, simul & hæreticæ: Humanitas est Deus vel deitas: Humanitas est omnipotens, immortalis, impatibilis: Item, Deitas est homo, vel humanitas: Deitas est infirma, mortalis. Neque id alia sanè ratione, quàm quòd modò concretis, modò abstractis vtamur nominibus, quæ in concreto sumpta ὑπόστασιν, in abstracto verò οὐσίαν significant, si ad vim & proprietatem sermonis attendamus. Vnde sic ait Damascenus: Diuinitatem dicentes, non de illa nominamus ea, quæ humanitatis sunt propria: neque de carne, id est, humanitate prędicamus ea, quæ diuinitatis sunt propria. Non enim dicimus deitatem aut passibilem, aut creatam, neque dicimus carnem, id est, humanitatem increatam. At verò de ὑποστάσει, siue ex vtraque, siue ex vna naturarum eam nominemus, vtriusque naturarum propria illi adijcimus. Hæc Damascenus.

Lib. 3. c. 4.

32. Cæterùm licèt vni & eidem Christi personæ, vtriusque naturę proprietates & operationes, indiuisè & inseparabiliter adscribantur, tamen (vt rectè monet Leo) intelligendum est, & syncerę fidei contemplatione cernendum, ad quę prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo diuinitatis. Enimuerò necesse est (teste Cyrillo) reddere Deo quę sunt Dei, & humanitati, quæ ei debentur, [g] ne id, quod crea-

In Epist. ad Leon. Imper.

Citatur ab Anast. Archiep. Antioch. in 6. Syn. actio. 10.

g Cyril. 23. ser

creatum eſt, ad diuinam deducentes eſſentiam, aut id, quod eſt diuinę naturæ, ad locum qui creaturis cõgruit, deponentes, in aliquem incidamus errorem. mone theſaurorum.

33. Non enim alio ex fonte Arrius, Paulus Samoſatenus, Photinus, & cęteri id genus hæretici ſuos hauſerunt errores, quàm ex præpoſtera peruerſaque eorum intelligentia, quę in Scripturis ſacris Chriſto attribuuntur: quòd neſcierunt aut noluerunt inter ea ſecernere, quę ratione diuinitatis, & quæ ratione humanitatis, de vno eodemque Chriſto paſſim dicta leguntur. Hinc Athanaſius contra Arrium ſcribens: Vtriuſq; igitur naturæ opus (inquit) noſcentes, & vtraque ab vna perſona agi videntes, rectè credemus, & nũquam errabimus. Nec aliud ferè idem beatus Pater contendit, quàm vt prædicta diſcretio inter Chriſti attributa conuenienter adhibeatur. Huc etiam illud ſancti Ambroſij ſpectat: Seruemus (inquit) diſtinctionem diuinitatis & carnis: vnus in vtraque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura eſt: & ſi idem loquitur, non vno ſemper loquitur modo: intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis paſſiones, quia quaſi Deus, loquitur quæ ſunt diuina, quia Verbum eſt: quaſi homo, dicit quæ ſunt humana, quia in mea ſubſtantia loquebatur. Sic quoque Gregorius Nazianzenus ijs verbis admonet: Vno aũt capitulo moneo, vt altiora quidem adſcribas diuinitati, humiliora autẽ naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis noſtrę aſſumpta eſt. Nec diſſentit his D. Auguſtinus dicens: Diſtinguamus, quid in Scripturis ſonet, ſecundùm formam Dei, & quid, ſecundùm formam ſerui. Quid autem, & propter quid, & quid ſecũdùm quid, dicatur, prudens & diligens & pius Lector intelliget. Et ibidẽ: Non itaq; immeritò Scriptura vtrunq; dicit: & æqualem Patri Filium, & Patrem maiorem Filio: illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam ſerui, ſine vlla confuſione intelligitur.

Aug. ſer. 166. — lib. 4. — In diſput. cõtra Arrium. — lib. 2. de fide ad Gratianũ Imp. cap. 4. — In ſermone de Filio. — lib. 1. de Trinitate c. 13. — lib. 1. de Tri. cap. 7.

34. Et hîc locum habet regula catholicæ fidei, cuius Beda poſt Auguſtinũ meminit: Cùm aliqua in Scripturis dicũtur de 1. ad Cor. c. 15 1. de Tri. c. 11.

Filio,quibus demonstratur quòd Patre sit minor, ea secũdù m humanitatem intelligantur. Cùm verò ea dicuntur, quibus Filius Patri demonstratur ęqualis, secundùm quod Deus est accipiantur,nec aliter sanè Patres omnes docuêre.

35. Ex quibus omnibus manifestè deducitur, eos grauissimè errare,naturarumque proprietates cõfundere,qui contra Patrum omnium definitionem & consuetudinem, vel humana diuinitati adscribunt,vel humanitati diuina.

36. Superest vt concludamus ex superioribus genuinam,sanam & orthodoxam de Maiestate hominis Christi sentẽtiam, quę breuiter in eo consistit: Dominum nostrum Iesum Christum,in forma Dei,ęqualem esse cum Patre,imò eandẽ omnino gloriam, Maiestatem, potentiam, sapientiam, &c. sicut & ὀυσίαν communem habere, eademque Maiestate & prouidentia, qua Patrem, rebus omnibus & singulis, etiam minimis ὀυσιώδως præsentem adesse. Sic Catholici credimus,& ingenuè profitemur.Vnde Ambrosius ait: Eadem Verbi gloria,eadem Patris gloria est,sicut scriptum est:Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.Ita igitur secundù m diuinitatem, Dei Filius suam gloriam habet, vt Patris & Filij vna sit gloria. Non est ergo minor in claritate, quia vna gloria : non minor in diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in Christo est.

Philip. 2. Sapien. 8. Lib. 2. ad Gratianũ cap. 4. Philip. 2.

37. Addimus etiam, eundem Dominũ nostrum Iesum Christum, propter inexplicabilem illam, & arcanam naturarum vnionem, nulla ratione secundùm humanitatem diuinitati ęqualem euasisse:quin potiùs non sola essentia,sed etiam gloria, Maiestate, potestate,cæterisque attributis omnibus & proprietatibus Deo minorem permansisse:vt vniuersi Patres,diuinis scripturis instructi,vnanimi consensu profitentur.Ita enim humana natura donis gratuitis in Christo exornata est,vt creaturæ tamen limites nullatenus excesserit.

Ioan. 14.

38. Non tamen hinc sequitur, in Christo Domino, nihilo plus dignitatis aut eminẽtiæ, quàm in quibuslibet alijs hominibus inueniri. Nam inter diuinam illam altitudinem seu excellen-

cellentiam,& eam dignitatem, quę communi hominum generi obtingere solet, singularis quędam eminentia intercedit, quam soli Christo propter vnionem illam hypostaticam, secundùm humanitatem, vt par est, attribuimus.

39. Nec ea quidem ratione Christum, secũdùm naturam assumptam, redigimus in sanctorum angelorum aut beatorum hominum ordinem, vt eum illis vlla ex parte (quod ad dona gratuita attinet) adæquemus. Absit hæc impia suspicio: quin illum singulari quadam gloria & honore coronatum, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & super omne nomẽ, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, agnoscimus ac veneramur. Psal. 8. Heb. 2. Ephes. 1. Philip. 2.

40. Nam solus is est primarium fundamẽtum, Caput omnis Ecclesiæ, Primogenitus in multis fratribus, in omnibus primatum tenens, Mediator Dei & hominum, in quo instaurata ac pacificata sunt omnia, siue quę in cœlis, siue quę in terris existunt, Dominus omnium, Legislator & iudex viuorum & mortuorũ. Et ne multis: Solus is ita plenus gratia & veritate, tantisq; Spiritus sancti donis repletus, tanta Maiestate, gloria, potestate & authoritate cumulatus est, vt nulla gratia, nulla veritas, nullũ Spiritus sancti donũ, nec maior Maiestas, gloria, potestas, aut authoritas in hac ipsa Christi humanitate desiderari queat. Quippe quę affatim sortita sit, q̃ natura finita, qualis ipsa post ꝑsonalẽ illã vnionẽ ꝑmansit, sortiri aut capere potest. 1. Cor. 3. Ephes. 1. Rom. 8. Colos. 1. 1. Tim. 2. Ephes. 1. Roma. 10. Iacob. 4. Acto. 10. Ioan. 1. Esaiæ 11. Lucæ 4.

41. Quæ sanè dignitas, & incomparabilis eminentia, quanuis ab immensa Dei celsitudine quàm longissimè distet, tamen in alia creatura nulla, quæcũque tandem illa sit, locum vllum obtinet. In cæteris enim, etsi gratiæ & Spiritus sancti dona reperiuntur, non tamen coaceruatim & cumulatim, vt in Christo, sed diuisim, & iuxta mensuram donationis Christi, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Ioan. 1.

42. Excellit igitur Christus secundùm humanitatem Maiestate, potestate, gratia & gloria, cæterisq; bonis gratuitis, creaturas omnes, & mirum in modum excellit, sed manet nihilominus

minus

minus secundùm eandem humanitatem creaturæ limitibus
Ioan.14. 1.Cor.15. circunscriptus,& minor Patre,eidemque subiectus,qui omnia
ei dedit atque subiecit.

Matth.28. Ioan.3. Ephes. 1. 43. Atq; hæc est omnis illa ἐξουσία in cœlo & in terra, hic Spiritus non ad mensuram, hæc sessio ad dexteram Patris, quæ Christo, quatenus homo est, attribui sentiunt Orthodoxi.

44. Neque tamen negamus ex his iam allatis Scripturæ locis vel alijs similibus, æqualem cum Patre potestatem, Maiestatem, gloriam, aut quiduis aliud diuinæ naturę proprium, Christo attribui posse, & à quibusdam Patribus in explicatione Scripturę attributum esse: Sed adhibeatur necesse est, Catholicæ fidei regula, quā ijdem Patres diligenter obseruant, vt istiusmodi omnia de Christo secundùm diuinitatem interpretemur, ne perperam alioquin, quisquis diuinitatis propria, humanæ naturæ admiscuerit, vtriusq; naturæ proprietates, cum Monothelitis confundat. Atque hactenus si fortasse prolixè, at certè quidem non inutiliter explicata sunt, quę ad Christi Maiestatem & gloriam ritè cognoscendam inprimis conferunt.

THESES CONFVTATORIAE
ad impias Schmidelini opiniones disijciendas & explodendas.

I.

NVnc vt alterum caput, quod in confutatione aduersarię opinionis est positum, aggrediamur. Non potest sanè vllo modo constare, quod Schmidelinus nouus Theologus nouis Thesibus firmare & persuadere
1.Tim. 1. conatur, in quibus quid loquatur, aut de quibus affirmet, prorsus ille non intelligit, vt ex his quę in explicatorijs Thesibus constituimus satis constat, & iamiam clariùs euincemus.

Thesi. 20. 21. 24. 34. 2. Definit personalem vnionem, vt sit communicatio plenitu-

nitudinis omnis deitatis. De hac, inquit, Apostolum ita loqui: 2.
In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Et iterum:
In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.
Plenitudinem verò diuinitatis vocat, totius præsentiæ Dei se- 20.
cundùm ἐνέργειαν in Christum effusionē, ita vt iam extra ipsum
nihil, sed in homine, & per hominem Christū omnia in omni-
bus operetur. Et postea eandem diuinitatis plenitudinem ap- Thesi. 19.
pellat æqualitatem Maiestatis, gloriæ & potentiæ cum Ver-
bo, ita vt humana in Christo natura, non iam potens tantùm Thesi. 19.
sit, sed etiam omnipotens, humana, inquam, natura, non sola
diuina, propterea quòd diuinitas realiter (vt ipsius verbis no-
bis loqui liceat) suas proprietates humanitati communicaue-
rit, suasque perfectiones in eam effuderit, & quasi transfude-
rit, & hac sola ἰδιωμάτων κοινωνίᾳ hypostaticam vnionem defini-
endam esse docet. Igitur si mirabilem huius authoris senten- Thesi. 24.
tiam recipiamus, nihil erit aliud hypostatica seu personalis
duarum naturarum in Christo vnio, quàm quædam totius
energiæ diuinę in humanitatem effusio, aut quędam æqualis
potentiæ, gloriæ & Maiestatis communicatio.

3. His iactis porrò fundamentis, quæ sunt verè putrida, pro-
greditur ad colligendū humanam Christi naturam, ex vi per- Thesi. 34.
sonalis illius vnionis, eadem omnino Maiestate, qua diuini-
tatem, corporaliter vbique adesse præsentem. Vt omittamus
alia eiusdem farinę deliramenta, quę hic Neotheologus atte-
xit postea, vt absurdum vnum ex alio deducat.

4. Iam ad fabricandam hāc egregiam (si superis placet) per-
sonalis vnionis doctrinam, nullius Concilij definitionem, nul-
lius Patris sententiam, nullam rationem, authoritatem deni-
que nullam, hic supercilij Artifex producit, sed vno tantùm Colos. 2.
Scripturę loco fraudulenter exposito, hoc phantasma suum Thesi. 21.
adumbrare conatur, & non tam persuadere, quàm fidei arti-
culum sua solius authoritate id efficere sperat.

5. Verùm, vt simul & imperitia & impietas noua coarguatur:
Primùm ostendemus istiusmodi potentiæ & Maiestatis vnio-

nem,aut plenitudinis diuinitatis communicationem, qualem ille fingit, minimè factam fuisse, imò ne fieri quidem vllo pacto potuisse. Tum vt concedamus factam illam fuisse, tamen eam nec personalem esse, nec ad personalem constituendam sufficere docebimus. Postremò Christum secundùm assumptam naturam non vbique, sed in cœlo tantùm, & in Eucharistię Sacramento pręsentem adesse planum faciemus.

6. Quòd igitur humana in Christo natura parē aut eandem cum diuina potētiam, Maiestatem, gloriam, aut quamuis aliam perfectionem sortita non fuerit, ex eo manifestè constat, quòd naturę post hypostaticam illam vnionē, absque vlla permixtione, confusione, aut conuersione, proprietates suas saluas & distinctas retinuerint, vt ex Concilijs & Patribus suprà docuimus: ita nimirū, vt nec humanitati, diuinę proprietates: nec diuinitati, humanę adaptari queant. Id quod nulla cōstare ratione posset, si diuina natura suas proprietates humanitati communicâsset, aut illas in humanitatem effudisset aut transfudisset. Id enim alteri dicitur communicari, quod alteri commune efficitur. Id autem quod duobus ex æquo commune factum est, alterius proprietas dici non potest. Vnde non aliud profectò sacris Concilijs aut Patribus est, naturarum proprietates in Christo confundere, (vt docti nôrūt) quàm vel humanas ascribere diuinę naturæ, vel e diuerso diuinas humanæ, vel easdem vtrique attribuere, quemadmodum iste palàm facit.

7. Hoc verò incommodum hic Theologaster subodoratus, Thesi. 25. errori suo patrocinium aucupatur hac oratione. *Cum (inquit) dicitur, vnionem duarum naturarū in Christo factam hypostaticam, seruatis vtriusque naturæ proprietatibus, sobriè admodum intelligendum* Thesi. 24. *est & explicandū. Neque enim ita diuinitas Verbi sua energia, quæ ipsa est simplicissima, sese intra se continet, vt nullam in naturam humanam quasi transfundat perfectionē, quin potiùs humanitas plenitudinis omnis particeps diuinæ naturæ, duarum naturarum in Christo, hac sola ἰδιωμάτων κοινωνία, hypostatica vnio definienda est.* Hæc ille, fidus scilicet & sobrius admodum interpres, qui lucem inferre vult veneran-

dis sanctorum Patrum & Conciliorum decretis: sed clariora illa sunt, quàm vt aliena, & falsò emendicata luce indigeant, vt ex his, quæ suprà copiosè citauimus, satis constat. Quòd si adhuc plura & clariora desideras testimonia, quæ ex diametro cum huius Nouatoris doctrina pugnent, audi Hieronymum sic loquentem: Illorum quoque similiter execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quę erant deitatis in hominem demigrâsse, & rursum quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa, vt quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione, vtraque exinanita substantia, deitatis scilicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata. Hactenus ille. Audi iterum Damascenũ: Diuinitatẽ, inquit, dicentes, non de illa nominamus, quæ humanitatis sunt, propria: neq; de carne, id est, humanitate prædicamus ea, quæ deitatis sunt propria. Hęc Damascenus. Sic quoq; reliqui Patres loquũtur.

In Thesibus explicatorijs.

In Symb. expla. ad Dama.

lib. 3. c. 4

8. Quod vt clariùs intuearis, adde: Quòd si vna eademque in Christi Domini humanitate & diuinitate potentia constituitur, vna etiã cõstituenda erit operatio. Rursum, si diuina natura suas ꝓprietates & attributa in humanitatẽ effudit aut transfudit, (vt iste somniat) sequetur & illud necessariò, vt vnũ, communemq; vtriusq; naturę intellectum & voluntatẽ defendamus, cùm hęc ad naturales diuinę essentię proprietates pertineant, & vnum & idem omnino cum omnipotentia existant.

Thes. 17. 19.

9. Quare huius sententia hac in parte non modò falsa est, verùm etiam damnatã Monothelitarũ hęresin sapit, cùm vtriusque naturę proprietates atq; operationes in Christo cõfundat impiè. Atq; hinc forsan accidit, vt cùm aliarum priscarum, & iam olim profligatarũ hęresum in suis Thesibus meminerit, nullam tamen omnino Monothelitarũ fecerit mentionem.

Thes. 1. 3. 22. 25

10. Quòd autem vult diuinitatem per proprietatum suarum seu perfectionum communicationem, effusionem, aut quasi transfusionẽ, humanę naturę esse coniunctam: Quid est hoc aliud tandẽ, quàm affirmare humanitatẽ in vna aliqua, vel in

 omnibus

omnibus diuinę naturę perfectionibus, quę tribus personis communes sunt, diuinitati esse coniunctam?

11. Hic illi opponimus Oecumenica Cõcilia & orthodoxos Patres, quorum est vna eademque semper in hac re sententia, ex diuinarum Scripturarum authoritate pendens, nimirum: Naturarum in Christo vnionem, non secundùm essentialem aliquam diuinitatis perfectionem, toti Trinitati cõmunem, sed secundùm subsistentiam, quę Verbo propria est (vt antè quoque non semel meminimus) factam esse.

Ephesin. 1. Constan. &c.

12. Et quis inter Christianos adeò sit rudis rerumque omnium ignarus, qui creaturam vllam, quantalibet excellẽtia prædiram, omnipotentem esse statuat: aut in gloria & Maiestate, aut in quacunque alia perfectione eam exęquet creatori? Facit hoc tamen Schmidelinus, dum humanam Christi naturam, quam creaturam esse fatetur, non solùm in omnipotẽtia, sed etiam in gloria, sapientia, Maiestate, & authoritate, Patri Deo audet exæquare.

Thesi. 2. Thesi. 26. 27.

13. Nec intelligit, in quamcunq; tandem partem sese proripuerit, se captũ & comprehensum teneri, vt elabi non possit, quin hac sua καινοδοξία concedere cõstringatur, duas esse naturas omnipotẽtes: duos item creatores: creaturã ipsam, creatorem esse, & omnipotentẽ: Deniq; creatorẽ quendam recentẽ, & nouũ in tempore factũ esse. Verùm hęc omnia, cum expressis sacrę Scripturę testimonijs, cum Apostolorũ, & Conciliorũ Symbolis, & cum perpetuo totius Ecclesię consensu planè pugnant. Et vbi legas probatũ vllum authorẽ, qui vel somniauerit alium, prę ter Deum, creatorem & omnipotentem esse?

Genes. 1. Exod. 15. Psal. 61 80. Esa. 42. 43. 45. 1. Tim. 6. Symb. Apost. Atha. Nicen. Const. Ephes. &c.

14. Quapropter pijs & mediocriter peritis rerum sacrarum, persuasum id semper fuit, Christum secundùm naturam diuinam, creatorem esse, & omnipotentem, per quem omnia facta sunt: At secundùm humanitatẽ non creatorẽ esse, sed creaturam: non infinitę virtutis aut omnipotentẽ, sed infirmum, humilẽ, sitientẽ, esurientem, flentẽ, tędio, pauori, sudori, tristitiæ, morti, alijsq; miserijs, & afflictionibus humanis obnoxium, vt qui

Ioan. 1. Ibidem. Colos. 1. Galat. 4. Marc. 14. Philip. 2. Ioan. 4. Matth. 4.

qui verè lãguores nostros ipse tulerit, & ꝑpter viscera mise- Ioan.11.
ricordię suę dolores nostros in sua carne portauerit, vt à tyran- Luc. 19. Marc.14.
nica dęmonis seruitute nos liberaret: vt etiam per omnia Luc.22. Matth.26.
fratribus assimilatus absque peccato, infirmitatibus nostris Esa.53.
compati posset, & eis qui tentantur auxiliari. Quæ omnia si Lucæ 1. Heb.4.
mul cum omnipotentia, cæterisque diuinis perfectionibus in Ibid.2.
vna natura existere neutiquam possunt. Ex quibus proinde sancti Patres duas Christi naturas colligebant.

15. Quòd si Christus secundùm humanitatem potentia & cęteris naturę diuinæ perfectionibus, diuinitati æqualis est, iam neque Patri vsque ad mortem obediens, neque Matri & Philip.2. Lucæ 2.
Iosepho subditus esse, neque sibi vel nobis mereri, neque Me- Hebræ.2.
diator Dei & hominum esse aut dici potuit. Siquidem hęc & 1.Tim.2.
id genus similia, quę in Scripturis passim occurrunt, inæqualitatem sonant, non solùm in essentia, sed etiam in potentia, vnde hæc opera proficiscuntur.

16. Et quidem vel ex hoc solo apertè conuinci potest humanitatem Christi haud esse omnipotentem, quòd plurima possit Deus, & ante ipsam etiam Christi humanitatem conditam potuerit & fecerit, quę humanitas nulla ratione efficere potest, nec vnquam potuit. Etenim vt cætera innumera omittamus, non potuit humanitas ipsa se fingere, neque resuscitare, neque se nunc potest in nihilum redigere, non est igitur humanitas diuinę naturæ in potentia vllo pacto exæquanda.

17. Qui ergo cum Schmidelino errare nolint, Paulum ducem sequantur, & vtrasque naturæ proprietates & operationes, ita distinguant, vt tribuant, humanitati quidem, infirmitatem: diuinitati verò, virtutem, in qua Christus Dominus 2.Cor.13.
prædestinatus est Filius Dei. Et sicut duas voluntates & duas Rom.1.
itidem operationes, singulas in singulis naturis esse credunt cum Ecclesia: ita quoque duas virtutes seu potentias, alteram infinitam in diuinitate, alteram finitam in humanitate, sine vlla permixtione, cõfusione, trãsfusione, effusione vel infusione, cũ eadẽ sancta & Apostolica Ecclesia simpliciter cõfiteantur.

Matth. 28. Psal. 8. Ephes. 1. Ioan. 3.

18. Abutitur autem quibusdam Scripturę locis nouus iste Macarius, vt probet humanitatem potentia, authoritate, Maiestate, gloria, scientia & sapientia diuinitati æqualem esse. Tametsi enim largiamur illi, quòd in citatis locis aliqua cum Deo æqualitas Christi designetur: hinc tamen non sequitur illud, humanitatem diuinitati æqualem esse. Aliud enim est, si dicas (vt antè declarauimus) Christo omnem datam esse potestatem in cœlo & in terra, aliud humanę eius naturę donationem eam factam fuisse. Nam personæ diuinæ, quę Christi nomine significatur, omnipotentia & quęcunque alia diuina perfectio verè ascribi potest, creatæ verò naturæ, qualis est Christi humanitas, non potest.

Esa. 9. Philip. 2. Ioan. 1. Ioan. 10. Hebr. 1.

19. Certè si omne illud, quod vel in Scripturis sacris, vel in Patrum monumentis, quocunque modo Christo ascribitur, humanitati Christi statim tribuatur, profectò & Catholicè affirmare licebit, humanitas Christi est Deus, increata, æterna, per quam omnia facta sunt, vnum & idem cũ Patre, splendor Patris & figura substantiæ eius, quoniam hęc omnia de Christo verissimè prædicantur.

Colos. 2.

Hunc locum citat ad idem probandum Paulus Monothelita.

20. Imprudentiùs verò & insulsiùs colligitur: Apostolus asserit plenitudinem diuinitatis in Christo corporaliter inhabitare, & omnes in eo thesauros sapientiæ & scientię reconditos esse, igitur plenitudo diuinitatis, id est, æqualis gloria, Maiestas, sapientia & potentia, humanitati Christi est communicata, & in eam effusa, aut quasi transfusa: ita vt iam humanitas Christi, verè sit & dicatur omnipotens, sicut ipse Deus, humana, inquam, natura, non sola diuina, æqualique gloria & Maiestate cum Deo ipso prędita.

21. Hic monendus est Lector, vt obseruet, pęrsonam Christi cum natura manifestè ab hoc Theologo confundi, quandoquidem ex eo, quòd quippiam in Christo esse dicitur, concludit, idipsum quoque in eius humanitate statui oportere.

22. Deinde, vt fingamus Apostolum dixisse, plenitudinem diuinitatis in humanitate Christi corporaliter inhabitare, omnesque

omnesque thesauros sapientię & scientię diuinę in eadem humanitate reconditos latere, quod à Diuo Paulo dictum non est, tametsi Catholicè id affirmari posse nouerimus, cùm tota & plena diuinitas humanitati personaliter sit vnita, & in ea lateat abscondita. Cæterùm falsò inde colligitur, ergo ęqualis Maiestas, sapiētia & potentia &c. humanitati Christi est communicata, ita vt humanitas dicatur omnipotens, quemadmodum Deus. Eodem enim argumentationis genere deduceretur, Deitatem naturę humanę communicatam esse, ita vt humanitas Deus verè dici possit, sicut omnipotens: cùm verissimè asseueretur diuinitatem ipsam in humanitate Christi corporaliter inhabitare. Pręsertim cùm nihil sit aliud Deitatis plenitudo, quàm Deitas plena atque perfecta.

23. Adde, quòd cùm anima rationalis in corpore humano corporaliter inhabitet, nō solùm hypostatica vnione illi coniuncta, sed etiam essentiali: si huius authoris explicationem sequimur, integrum erit inferre, animam cum omnibus suis facultatibus & affectionibus, ad eum modum corpori communicatam esse, vt corpus perinde atque anima intelligens sit & volens, arte Mathematica & Medica, cęterisque scientijs prȩditum. Quis autem nisi stultus id fateatur?

24. Imò verò cùm domos corporaliter inhabitemus, sequetur etiam nos illis ita communicatos esse, vt eisdem proprietatibus & perfectionibus domus affectę dicantur, quibus nos ipsi affecti sumus. Qualis ergo est authoris huius explicatio, qua pro eodem inhabitationis & communicationis nomen audet vsurpare?

25. Nec obstat, quòd aliter diuinitas in humanitate habitet, nimirū hypostaticè cū illa cōiuncta. Nā licèt id verū sit, nō ideo tamē consequitur, idē esse, aliqd in altero corporaliter inhabitare, & illi cōmunicatū aut hypostaticè coniunctū esse. Vnde Cyrillus sic ait: Neq; idē fuerit dicere, Verbū factum fuisse hominē, & putare, Deum habitare in homine, etiāsi, vt est, vera beati Pauli vox est, ꝙ complacuit in ipso habitare omnem pleni-

Contra Theodoretum Nestorianum.
Colos. 2.

1.Cor.7.8. plenitudinem deitatis corporaliter. Sed vnum inquit esse Deum Patrem & Filium Dominum Iesum Christum, per quem omnia. Et hinc est quòd Nestorius, qui hypostaticam diuinitatis cum humanitate vnionem reijciebat, libenter eo testimonio vteretur, quòd videret aliud esse, aliquid in altero inhabitare, & illi hypostaticôs coniunctum esse.

26. Quocunque ergo modo hic interpretetur Scripturæ testimonia, siue de persona, siue de natura Christi, nullum inde firmum satis præsidium petere poterit, cùm vtrouis modo accepta, longè quidem aliter explicari debeant, & à Patribus secùs explicentur, quàm ab hoc authore intelliguntur.

27. Nec tamen ideo, quòd diuinitas proprietates suas humanæ naturę non communicauerit, consequens est, Grammaticam tantùm seu verbalem idiomatum diuinæ naturæ communicationem in persona Christi fieri, vt hic homo inferre conatur: eadem enim omnino ratione conuinceretur, idiomatum humanæ naturę communicationem, cum persona diuina nullatenus esse factam. Nam vt fides orthodoxa docet, & Schmidelinus quoque apertè confitetur, humana Christi natura proprietates suas diuinę naturæ nullo pacto communicauit.

Thesi. 15.

Thesi. 19.

28. Sicut ergo Deus dicitur hominis Filius, infirmus, crucifixus, mortuus & sepultus &c. propter naturam humanam sibi personaliter vnitam: ita etiam homo Christus, Dei Flius appellatur, omnipotens, æternus, immortalis &c. non propter aliquam effusionem aut transfusionem, sed propter inconfusam vnionem, qua humana natura cum diuinitate coniuncta est in vnitate personæ.

29. Dicet aliquis inter idiomatum diuinorum & humanorum communicationem multum interesse discriminis: quoniam diuina non solùm voce, sed etiam re ipsa de humana natura dicuntur, humana verò idiomata, nō re, sed voce tantùm diuinitati ascribuntur, id quod haud obscurè quidem & ille

hisce

hiſce verbis ſubindicat: *Diligenter verò diſcernendum eſt, inter idiomat a humanæ naturæ, quæ propter vnionem perſonalem diuinæ tribuuntur, & idiomata diuinæ naturæ, quæ propter eandem vnionem humanæ aſcribuntur. Humanitas enim diuinitatem non aſſumpſit, ſed ipſa aſſumpta eſt à diuinitate in vnitatem perſonæ, quam infirmam reddere non poteſt: etſi verè & rectè dicitur perſona, quæ Deus & homo eſt, laborare & mori. Cùm econtra humanitas à diuinitate perficiatur, quæ realiter ſuas proprietates humanitati communicat, vt ſit non modò viua, ſed viuificatrix quoque, non potens tantùm, ſed etiam omnipotens: humana inquam natura, non ſola diuina.* Hęc ille inſignis ſcilicet diſputator. Theſi. 19.

30. Primùm hîc explicandum erat apertiùs, de perſona, an de natura loquatur, nam vtranque paſſim more ſuo confundit, & vtriuſque vocabulis citra vllum delectū abutitur. Quòd ſi de natura loquatur, vt ſanè loqui videtur, non minùs falſum eſt, quod ait, diuinas proprietatę humanę naturæ realiter eſſe communicatas, quàm ediuerſo, communicatas eſſe humanas diuinę naturę, vt ex his quæ antea diximus liquidò conſtat: etenim nec voce nec re ipſa vnius naturę proprietates alteri conueniunt, nec de altera dici queunt. Nec minùs repugnat, humanam naturam diuinis affici proprietatibus, quàm diuinitatem humanis infirmitatibus obnoxiam fieri.

31. Si verò de perſona diſſerit, vt ibidem quoque facit, dum inquit: *Etſi verè & rectè dicitur perſona, quæ Deus & homo eſt, laborare & mori:* non minùs & id falſum eſt, ſcilicet idiomata humana, voce duntaxat, non re ipſa, de perſona, quę reuera diuina & humana eſt, affirmari, cùm vni eidemque perſonæ vtriuſque naturæ attributa re ipſa conueniant. Quòd autem fieri nequeat, vt voce & non re ipſa humana idiomata de perſona Verbi enūcientur, id ex peruulgato illo Philoſophi dicto clarè intelligitur: Ab eo, quòd res eſt vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa. Vnde omnibus compertum eſt nō poſſe aliquid voce de altero affirmari, ſi res ipſa aliter habeat, quàm voce ſignificetur.

32. Ex eo verò, quòd humanitas diuinitatem non aſſumpſe-

rit,sed ipsa assumpta sit à diuinitate in vnitatem personę,& diuinitas infirmari nequeat, humanitas autem à diuinitate perficiatur: nequaquam sequitur, ipsam Verbi personam, infirmitates humanas nō sustinuisse, aut humanam naturam ęquè perfectam esse, atque diuinam: sed hoc tantùm hinc inferri potest: nihil imperfectionis ex ea vnione diuinitatem accepisse,humanitati verò maximam accessisse perfectionem,qua particeps, non ęqualis effecta est diuinę naturę, vt D. Basilius his verbis docet: Humana Domini caro,ipsa participauit deitate,non propriam debilitatem diuinitati distribuit.

Concione de Natiuit.

33. Vnde, quod ad naturas ipsas attinet, rectè quidem hoc discrimen statui potest, quòd ex hypostatica diuinitatis cum humanitate vnione, nihil omnino imperfectionis diuinæ obtigerit naturæ,humanæ verò magna quædam & singularis excellentia obuenerit.Sed interim hęc perfectio,quæ ex vnione illa humanæ accessit naturę, non est idioma diuinum, sed humanum,non quidem naturale,sed gratuitum.

34. Quantum verò spectat ad idiomatū communicationem in persona,citra vllum omnino discrimen,& diuina homini,& humana Deo,tanquam vni & eidem personæ,in diuina & humana natura subsistenti, non voce tantùm, sed & re ipsa rectissimè attribuuntur,cùm vna reuera sit Dei & hominis persona.At verò idiomata diuina neque voce neque re ipsa naturę humanę possunt ascribi, sicut nec humana diuinę, quòd,secundùm sacrorum Conciliorum sanctiones & Patrum traditionem, naturæ semper distinctæ & impermixtę cum suis proprietatibus permanserint.

35. Nunc vide obsecro huius Theologi imperitiam impiam, & impietatem imperitam, qui dum nouum quoddam & hactenus inauditum discrimen comminiscitur, ab omni Christiana veritate in re tanta discedit. Nam attributa diuina palàm humanæ ascribit naturę, ediuerso verò humana non reuera, sed voce solùm diuinæ personæ accommodat.

36. Iam illud est expediendum,& seruata quidem methodo: huius-

huiusmodi Maiestatis, potentię, sapientiæ communicationem, quam iste confingit, ne fieri quidem potuisse. Primùm enim certissimũ est, nullius omnino proprietatem, in alteram naturam seu speciem transferri posse. Etenim vt eruditè Cyrillus dixit, & ratio ipsa dictat: Quorum operatio & virtus indifferenter vna est, ijs necesse est speciei vnitatẽ seruare. Quis enim diceret aptitudinem ad disciplinas capiendas, ad ridendum, ad ratiocinandum, quæ hominis propria, lapidi aut trunco infundi posse? Multò minùs verò diuina proprietas, quæ infinita est, naturæ finitę & creatę poterit communicari: cùm in confesso sit, quòd res finita certisque terminis cõclusa, rem infinitam & immensam intra se capere nequeat. In prosphonetico ad Theodosium.

37. Adhęc cùm Dei potentia, sicut & scientia, & quęlibet eius perfectio, ipsissima & simplicissima eius sit essentia, vt etiam vltro aduersarius fatetur, euidenti & necessaria collectione efficitur, si diuina omnipotentia &c. humanæ naturæ fuerit communicata, quemadmodum ille somniat, ipsissimam quoque & simplicissimam Dei essentiam eidem naturæ humanæ fuisse communicatam: ita vt humanitas sit facta Deus, sicut omnipotens. The. 51.

38. Præterea cùm idem hic ἐξουσία, potentia, gloria, & Maiestate, humanitatem diuinitati exęquet, fateri vel inuitus debet, οὐσία quoque, essentia, natura atque substantia, humanã Christi naturam diuinitati ęqualem esse: cùm hęc omnia in Deo sint vna eademque simplicissima Deitatis natura.

39. Hinc quoque colligitur, idem prorsus esse, si dicas, diuinitatem realiter suas proprietates humanitati communicâsse, ita vt diuinę naturę proprietates de illa verè prædicentur, ac si dicas, diuinitatem semetipsam humanitati communicâsse, ita vt ipsa diuina natura de humana affirmetur: & vnionem proinde duarum naturarum in Christo, non in persona, sed in natura factam esse.

40. Nec aliud esse potest humanam naturam omnipotentem euasisse, quàm creaturam esse transmutatã in creatorem

ac Deum, quod nec fieri, nec intelligi vlla ratione poteſt, cùm
Pſal.101. Malach.3. Hebræ.1. neque Deitas in humanitatem, nec humanitas in Deitatem conuerti queat aut commutari.

41. Quæ cùm ita ſeſe habeant, non poteſt hic aduerſarius, quicquid etiam garriat, à damnata Eutychianorum hæreſi excuſari, qui duas Chriſti naturas impiè iuxtà ac imperitè confundebant: nam, vt oſtendimus, diuinas in Chriſto proprietates, quas tamen prorſus idem cum ipſa diuina eſſentia eſſe fatetur, cum humana natura manifeſtè confundit atque permiſcet.

42. Quod cùm nouus hic Eutyches quadantenus animaduertiſſet, & abſurdiùs ab ſe dictum nonnihil mitigare vellet,
Theſi.22. hæc verba inſeruit: *Neque verò hac reali plenitudinis omnis diuinitatis communicatione, natura humana cum diuina miſcetur, aut, ſicut quibuſdam videtur, planè aboletur, ſed quod diuinæ per eſſentiam eſt, id humanæ ſuo modo per accidens communicatur.* Quibus quidem verbis non ſanat hic homo, ſed aperit magis & peſtilentiorem reddit morbum animi ſui; nouasq; euomit abſurditates, tantum abeſt vt diluat obiectum argumentum.

43. Nam ſi illa plenitudinis diuinitatis communicatio per accidens eſt, vt loquitur, ſequitur vnionem hypoſtaticam, quæ, ſecundùm Eutychiani huius ſententiam, in illa plenitudinis communicatione ſita eſt, per accidens eſſe. Verùm id falſò aſſeri, inde colligas licet, quòd hac ratione fieret, vt Chriſtus Deus eſſet per accidens, & ipſa quoque diuinitatis plenitudo accidens quoddam eſſet: & reliquę etiam diuinę perfectiones, quæ cum plenitudine diuinitatis idē prorſus exiſtunt, accidentia quędam haberentur. Sed hæc tam impiè quàm abſurdè affirmari, nemo ſanæ mentis dubitare poteſt.

44. Iam verò vt ad illud quoque progrediamur, licèt hęc Maieſtatis, poteſtatis, authoritatis & glorię vnio fieri aliquo modo potuiſſet, aut etiam reipſa facta foret, ita vt in ea ſola, non in eſſentia, duę in Chriſto naturæ vnitę fuiſſent, tamen hypoſtaticam vnionem non efficeret.

45. Nam

45. Nam,vt suprà multis ostendimus,Patres omnes cōstanter asseuerant vnionem hypostaticam esse vnionem in subsistentia,nō in aliqua essentiali proprietate toti Trinitati communi: Idiomatum verò cōmunicationem in persona, vnione illa personali naturę ordine posteriorem esse, eamque iam factam necessariò consequi. Ideo enim dicunt vtriusque naturæ idiomata de vna eademque persona Christi affirmari, quia illę duę naturę in vna Christi persona sunt vnitæ: quod profectò constare nō posset, si ipsamet idiomatum communicatio personalem efficeret vnionem. In Thesibus explicatorijs

46. Quòd autem sola illa potestatis & Maiestatis cōmunicatio,qualem iste fingit, ad hypostaticam vnionem non sufficiat, docet Ephesina Synodus in hęc verba: Non potest vnire naturas (de vnione hypostatica loquitur) sola dignitatis aut potestatis ęqualitas,Et rursus: Dicere Deum & hominem sibi inuicem velut dignitatis & authoritatis vnitate coniunctos, nouitas vocis est,& nihil aliud. Sic illa Synodus. Epist. ad Nestorium.

47. Quæ res vt per similitudinē illustretur, si fortè Princeps aliquis, quocunque modo in Maiestate, potestate & authoritate alteri sit ęqualis, non inde consequitur, vtrunque Principem in eandem coaluisse personam: sicut nec ideo duo Apostoli, quod exemplū Synodus eadem in rem pręsentem adducit, vna persona dici possunt, quòd paris fuerint potestatis, authoritatis, aut dignitatis. In Epist. ad Nestor.

48. Quòd si Paulo credimus, Christus sua obedientia vsque ad mortem, humanitatis suę exaltationem promeruit & Maiestatem. At si Maiestatis cōmunicatio hypostaticam perficeret vnionem, fieret sanè vt sua passione suam quoq; cum diuinitate,promeruisset vnionem: quod ridiculum est asserere. Philip. 2. Heb. 2.

49. Imò cùm Christi corpus ante resurrectionem non fuerit gloriosum, sed patibile, & mortale : manifestè sequitur, anteq̄ Christus resurgeret, sacratissimum eius corpus diuinitati hypostaticè vnitum non fuisse, si quidē, vt hic homo vult, in glorię & Maiestatis communicatione vnio hypostatica consistit.

50. Prętere a,ſi in illius poteſtatis & Maieſtatis communicatione,hypoſtatica Chriſti vnio cōſtituitur,non poterit vlla ratione Deus naturam aliquam in perſona ſibi copulare, quin eiuſcemodi poteſtatē &c. ei impartiatur.Quod ſanè nemo admittet,niſi qui diuinā omnipotentiam ignoret, & quid hypoſtatica vnio ſit planè nō intelligat.Cōſtat enim corpus Chriſti etiam in triduo, cùm iam rationali animo eſſet deſtitutū,hypoſtaticôs diuinitati coniunctū fuiſſe:quod tamen gloriæ,poteſtatis,Maieſtatis,ſapientiæ, & ſcientiæ diuinę capax minimè fuiſſe,nullus, niſi qui ratione caruerit, ambigere poterit.

51. Iam ſi hic author putat,corpus aliquod,pręſertim animę rationalis expers,omnes aut aliquas diuinas perfectiones capere poſſe: inſignis ſanè cuiuſdam inſcitiæ notam euadere nequit.Sin verò eas capere non poſſe cenſuerit,vt res ipſa habet: illud euitare nō poterit,quin aſſerat corpus Chriſti, præſertim in triduo, Diuinitati vnitum haudquaquam remanſiſſe, imò nec remanere potuiſſe. Sed id falſum eſſe & hæreticum, Theologus nullus ignorat.

52. Adhęc, cùm Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus,nō modò ęqualis, ſed vnius planè & eiuſdem ſint poteſtatis, Maieſtatis, authoritatis & gloriæ,cùm etiam eadē prorſus diuinitatis plenitudo in tribus illis perſonis reperiatur: ſi poteſtatis &c.vnitas,æqualitas, aut κοινωνία vnam perſonam conſtitueret, vt hic vanè fingit,non iam tres,ſed vnam tantùm hypoſtaſin in Deo eſſe, cum impio Sabellio,fateri prorſus cogeremur.

53. Prętere a, cū poteſtas diuina & reliqua attributa omnia, in tribus illis diuinis perſonis vnum & idem omnino exiſtant, ex eodem illo principio apertè deduceretur, Patrem & Spiritumſanctum ęquè incarnatos ac paſſos eſſe atque Filium, ſi quidem vnio facta ſit in re toti Trinitati ex æquo communi.

54. Quam abſurditatem cùm Sabellius effugere nō poſſet, hoc ſuæ Sectæ nomen promeruit, vt ipſius ſectatores omnes, Patripaſſiani appellarentur. Quamobrem cùm hic etiam Author ſuo commento in Sabellij ſe hęreſin prętipitet,non videmus,

mus, quo pacto Patripassiani nomen effugere queat.

55. Postremò, vnionē illam potestatis, Maiestatis &c. hypostaticam neutiquam esse, in ipso Trinitatis mysterio clarè conspicitur. Etenim tres illæ diuinę Personę in potestate quidem, Maiestate, & reliquis perfectionibus quàm maximè sunt vnitæ, totamq; deitatis plenitudinem habent, cùm nihilominus inter se verè & personaliter sint maneantque distinctæ.

56. Igitur sola potestatis, virtutis, aut Maiestatis communicatio, quæcunq; tandem illa sit, hypostaticam vnionem efficere nulla ratione potest. Quod ex eo etiam apertè deducitur, quòd potestatis, virtutis, aut Maiestatis, in genere consideratæ, communicatio, ad id nō sufficiat: cùm potestas, virtus & Maiestas nihil minùs quàm hypostasin significent.

57. Vnde in Ephesina Synodo Nestorius condemnatus est, quòd hac sola Maiestatis, honoris & potestatis seu virtutis cōmunicatione duas Christi naturas vniret, duasq; proinde personas, ac totidem filios in Christo constitueret. Verba porrò Synodi sic habent: Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnitionem, sola societate coniungens ea, quę secundùm dignitatem est, vel etiam authoritatē aut potestatem, & non magis conuentu, qui per vnitatem factus est, naturalem, anathema sit. In quinta etiam Synodo generali hęc ipsa Nestorij hæresis hisce verbis damnatur: Si quis dicit secūdùm gratiam vel secundùm operationem vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatē honoris, vel secundùm authoritatem aut relationem aut effectum aut virtutem, vnitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, &c. anathema sit.

Anathematis. 3.

c. 4.

58. Dubium iam ex his nulli esse potest, Schmidelinum insignem esse Nestorianum, cùm nullam aliam Dei & hominis in Christo vnionem agnoscat, quàm eam, quæ Maiestatis, authoritatis, potestatis, virtutis seu energiæ communicatione, aut effusione efficitur: vt his ipse verbis disertè cōfitetur. *Neq; imaginanda (inquit) aut fingenda est alia Dei in Christo, quàm in creaturis reliquis omnibus, quo ad οὐσίαν, diuinitatis p̄sentia. Quæ vt in creaturis*

Thes. 20.

Similes loquēdi formulæ passim in actis Synodi Ephesinæ à Nestorianis vsurpatæ leguntur.

ἐνέργεια discernitur, quod alia in alijs agat, & operetur: ita in Christum tota effunditur, vt iam extra ipsum nihil, sed in homine & per hominem Chri-
Thesi. 21. *stum omnia in omnibus operetur. Atque hæc est communicatio plenitudinis omnis deitatis, de qua idem Apostolus loquitur: In quo, inquit, sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Et iterum: In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Hactenus ille, apertissimè Nestorizans, nisi quòd in eo hebetior & Nestorio imperitior videri potest, quòd nesciat eam solam coniunctionem, ad illam προσωπικὴν ἕνωσιν efficiendam, non sufficere, id quod neutiquam ignorabat Nestorius.

59. Iudicent ergo æqui & boni omnes de hoc Nestoriano, & animaduertant quęso, qua fronte audeat Maiestatem hominis Christi, nō solùm obscurare, verùm etiam vtrique Christi naturę, quàm plurimum derogare: Humanę quidem, quia sola virtutis seu potestatis, & nescio qua Maiestatis vnione, quam ipse fingit, eam cum Verbo coniungit. Diuinæ verò naturæ non minùs detrahit, quia humanitatem ἐξουσίᾳ, potentia, gloria atque Maiestate, diuinitati hic ineptus censor exæquat. Tum, vtrique naturę simul in hoc maximam vim irrogat & iniuriam, quòd eas earumque proprietates insulsè permiscet, atque confundit.

60. Grauiùs adhuc peccat & à sacrilegij crimine defendi nō potest, qui ad hęc sua perniciosa tantaque impietate referta aliaq; plura insana dogmata confirmanda, non veretur sacræ
In Pręfatione legis verba furari. Sic ab initio, vt alijs veritatis & antiquitatis ignaris faciliùs imponeret, quędam Vincentij Lirinensis verba, suis pręfixit Thesibus. Tum nō minùs impudenter quàm arroganter ausus est polliceri eam se doctrinam repetiturum, sincereq; declaraturum, quam nobis Prophetæ, Apostoli, primitiuę Ecclesię Patres, Martyres & Confessores tradiderunt. At in progressu nullum ex his omnibus suorum dogmatum profert comprobatorē cuius se patrocinio tueatur. Hoc demum est, sinceram veritatis & Euāgelij doctrinam vindicare.

61. Quid multa? Si volumus noua huius Veteratoris impiaq; figmen-

figmēta inter se aliquo pacto cohærere, illud etiā admittamus oportet, vt veteres & olim damnatæ hæreses, quamuis inter se maximè disiunctæ atq; dissectæ, in orbē veluti postliminio reuocentur, & veluti ab ipsius Orci faucibus iterū resuscitētur.

62. Etenim, vt manifestè conuicimus, hic Sectarius in Christo cum Monothelitis proprietates confudit: cum Eutychete naturas in vna essentia coniungit: cum Nestorio personas distinguit ac separat: cum Sabellio Patripassiano Patrem & Filium & Spiritumsanctum in persona vnit, totamque, vt sic dicamus, incarnat Trinitatem.

63. Nec opus est vlla hîc noua censura aut condemnatione. Iudicârunt de hac causa celeberrimæ Synodi, & pronunciârūt anathema his omnibus, qui veterum impietatum essent cum Schmidelino propagatores aut sectatores. Constan. 1. 2. 3 Ephes. 1. Chalce.

64. Nec potest hic Author, vt omnium harum hæresum notam euadat, ad illud perfugium se recipere, quòd initio dixerit, se duas naturas personaliter in Christo vnitas agnoscere, cùm postea illud ipsum suo modo interpretatus, damnatis illorum hæresiarcharum opinionibus apertè suffragetur. Neq; enim satis est (vt Ephesina Synodus testatur) fidem voce duntaxat confiteri, nisi rectè quoque eam interpreteris. In Epist. ad Nestor.

65. Sed quid tandem ad impias & absurdas has opiniones renouandas impulit Schmidelinum? Non id sanè, vt Christi hominis Maiestatē extolleret, sicut Thematum illius titulus pollicetur, sed vt sacrosanctæ Eucharistiæ dignitatem & excellentiam, quoad eius fieri posset, obscuraret, omnesque Sectarios, plurimùm inter sese dissectos atque diuisos, contra Christum Christique sponsam Ecclesiam Catholicam hac ratione vniret ac coarmaret. Ad Lectorē.

66. Huc vt perueniret, viam putauit expeditissimam sibi fore, si contra communem Ecclesiæ Apostolicæ sensum probare posset, Christi humanitatem corporaliter vbique præsentem adesse. Ex hoc enim principio, mox sequebatur, nihil singulare aut admirabile in hoc Eucharistiæ Sacramēto accidere, quan-

tum ad pręsentiam corporis & sanguinis Christi attinet, quod non in cęteris itidem rebus omnibus & creaturis vsu veniret. O artem verè Sathanicam, quæ postea nobis apertiùs detegenda erit atque refellenda.

67. Nunc ordo postulat vt demonstremus Christi humanitatem non esse vbiq; corporaliter pręsentem, quemadmodũ hic Theologus pręcipuè cõuincere studet. Et hac quidem sola ratione ductus. *Cùm diuinitas (inquit) in vnitatem personæ assumpserit hominẽ, cuius ratio & definitio est plenitudinis Dei cõmunicatio, in quo omnis Deitas corporaliter inhabitat: sequitur, ipsam quoque humanitatem Christi vbiquè præsentem esse. Et iterum: Restat tertia Maiestatis ratio, qua sine corporis extensione & diffusione, humanitas Christi à Verbo ita perficitur, vt eadem Maiestate res præsentes habeat rebusq; præsens sit, qua diuinitas.* Hæc Schmidelinus.

Thesi. 34.

68. Vbi primùm obserua quòd Vbiquetarius iste, vt alibi, sic nũc etiam nullam Scripturę authoritatem, nullum ex probatis Patribus aut Synodis testimonium in re tanta comprobanda producit, imò contra luculentas Scripturas, & Patrum sentẽtias vnica solius Lutheri Magistri sui authoritate, nescio quàm fideliter recitata, contentus, & vnica ratione humana fultus, causam agit atque concludit. Ita qui maximè Scripturis gloriari solent, & ab omnibus illas exposcũt, sine Scripturis sua sæpe somnia venditant.

69. Quòd si rationem ipsam velimus expendere, falsum reperiemus antecedens quod assumit, in eo nimirum sensu, quo ipsemet superiùs illud explicauit. Nomine enim vnionis personalis & plenitudinis diuinitatis inhabitationis, nihil aliud intelligit, quàm totius diuinę ἐνεργείας in Christum effusionem, aut diuinæ potestatis, authoritatis &c. communicationem. Quam quidẽ sententiã erroneam esse, multis antè argumẽtis comprobauimus. Deinde, vt antecedens illi maximè cõcedamus: non hinc conficitur, humanitatẽ perinde atque diuinitatem Christi vbiq; adesse pręsentem. Quandoquidem ex eo, quòd duo Principes paris sint omnino Maiestatis, authorita-

tis

tis & poteſtatis, malè colligitur, ſicubi alter eorum fuerit, ibidem ſtatim alterum quoque conſtituendum eſſe.

70. Sed nec ideo aliquid aliquo in loco οὐσιωδῶς exiſtere cõuincitur, quòd in eo vel operari poſſit, vel re vera operetur, quod eſt, potentia eſſe in loco, vt Philoſophi vocant. Nam & Solem certa quadam parte orbis ſui cõtentum ac circunſcriptum eſſe cõſtat, qui tamen in toto hoc ſublunari orbe operatur, ac proinde potentia ſua ibidẽ adeſt, vbi ſecundùm ſuã eſſentiam nõ eſſe, certiſſimũ eſt. Sic ambiguũ nõ eſt, quin quilibet Princeps toti ſuo regno poteſtate adſit, q tamẽ ſecundùm eſſentiam totum regnũ neq; occupat, neq; occupare poteſt.

71. Iam ſi ſpectemus veram hypoſtaticam Chriſti vnionem, quę multò maior eſt, quàm fictitia illa ſolius energiæ & poteſtatis cõmunicatio, neque ſic etiam colligitur, humanitatem Chriſti in omnibus rebus corporaliter eſſe, vt omnes verè docti nôrunt. Satis nanque eſt ad hypoſtaticam naturarum vnionem, ſi diuina humanę ſuam communicauerit ſubſiſtentiam, ex quo id tantùm conficitur, aliquo in loco humanitatem eſſe, in quo ipſa etiam adeſt diuinitas.

72. Sicut etiam ad hoc vt anima rationalis corpori ſit vnita, neceſſe non eſt, vt vbicunque ſit anima, ibidem & corpus exiſtat. Nam ſic fieret, vt caput eſſet in pede, & pes in capite, & in quauis alia corporis parte, cùm anima ipſa tota ſit in toto corpore, & tota in quauis parte ipſius.

73. Quòd ſi hoc argumentationis genus hîc nequaquã procedit, cùm tamen anima & corpus nõ in hypoſtaſi ſolùm, ſed etiam in natura ſint vnita: multò minùs in vnione duarũ naturarũ in Chriſto procedet, vbi ſola vnio hypoſtatica reperitur. Rectè ergo & prudẽter Aug. de Chriſti humanitate loquens, dixit: Nõ eſt conſequens, quod in Deo eſt, ita ſit vbiq; vt Deus. *De præſentia Dei ad Dardanum Ep. 57*

74. Hæc ſufficere poterant, præſertim cordato lectori, ad planè refellendã huius noui Vbiquetarij & Sectarij argumentationem, ſiue aſſumptum, ſiue illationem expendas. Nam & antecedens apertè falſum, & conſecutionẽ ineptam eſſe ſatis

oſtendimus. Vt tamen veritas magis eluceſcat, & omnis dubitandi occaſio ſubmoueatur, apertis Scripturę ſanctorumque Patrum teſtimonijs, perſpicuis etiam rationibus, ex fidei fundamentis deductis, palàm faciemus, Chriſtum ſecundùm aſſumptam carnem non vbique pręſentem adeſſe, eâdem, qua diuinitatem, Maieſtate, neque pręſentem aliquando fuiſſe.

75. Diſtinctionem tamen, ob varias quæ hîc ſe offerunt quęſtiones, pręmittemus, ne dum vnum errorem extremum confutamus, alterum illi oppoſitum confirmare videamur. Siquidem alia quæſtio eſt, An ex eo quòd humanitas Verbo vnita eſt, vbique corporaliter ſit præſens eâdem Maieſtate, qua ipſa diuinitas. Alia verò, An ea ipſa Chriſti natura per Dei omnipotentiam in pluribus locis, vel vbique locorũ poſſit exiſtere. Alia denique, An Chriſti humanitas talem aliquam poteſtatem ſit ſortita, qua ſe ipſam vel vbique, vel in pluribus locis valeat collocare.

76. Hîc ergo non diſputamus, An humanitas Chriſti omnipotentia diuina in pluribus locis exiſtere poſſit, id enim poſſe fieri, imò re ipſa quotidie accidere, minimè dubitamus: ſed hoc quęrimus atq; ſpectamus, ex hypoſtatica illa naturarum vnione nequaquam conſequi, Chriſti humanitatẽ aut vbique, aut in multis ſimul locis exiſtere: ſed quò id fiat, nouo opus eſſe miraculo. Illud pręterea conſtanter tuemur atque defendimus, humanã Chriſti naturã nec ſemper fuiſſe, nec nunc quoque corporaliter vllo pacto vbique eſſe pręſentem, neq; eiuſmodi aliquam in ea facultatem eſſe, qua ſe vbiq; ſiſtere valeat.

77. Atque rem ita habere, vel hinc facile ſit colligere: quòd caro aſſumpta, propter hypoſtaticam cum Verbo vnionem, naturales ſuas proprietates & affectiones neutiquam amiſerit, nec proprietatem aliquam diuinam acquiſiuerit, vt ſuprà latè commonſtrauimus. Certo autem loco circunſcribi ac definiri, inter naturales corporis affectiones recenſetur: ſicut & poteſtas ad exiſtendũ vbique ad diuinas pertinet proprietates.
lib. 3. cap. 3. Vnde Damaſcenus, poſt illam vnionem, incircunſcriptum, id
eſt,

est, diuinitatem, mansisse incircumscriptum: & circũscriptum, id est, humanitatem, circunscriptum mansisse asserit. Non est enim, inquit, coextensa caro cum eius incircunscripta diuinitate. Idem ferè Gregorius Nazianzenus & alij Patres de eadem Christi humanitate docent. Ibidem c.7. Epist. ad Celidon August. de præf. Dei. Marti. 1. c. 4. &c.

78. Huc accedit, quòd potentia ad existendum, & re vera existere vbique, soli Deo ita est proprium, vt nulli alteri attribuatur. Sola nanque diuinitas, vt Damasceni verbis vtamur, est infinita, incircunscripta, incompræhensibilis: cætera verò certo quodam loco definiuntur. Hinc Alcuinus dixit: Solius diuinitatis fuit, loco non contineri. Et Fulgentius: Hæc est Trinitas vnus Deus, qui sicut potuit solus vniuersa condere, sic potest omnia solus implere. lib. 1. c. 17. lib. 3. de Trinita. c. 16. lib. de immensitate diuinitatis Filij Dei.

79. Hoc autem omnibus vsque adeò certũ semper fuit atq; persuasum, vt Ambrosius, tanquam firmissimo argumento, Spiritussancti diuinitatem contra Eunomium probare volens, in hæc verba loquatur: Cùm omnis creatura certis naturę suę sit circũscripta limitibus, quomodo quis audeat Spiritumsanctum creaturam appellare? qui non habet circunscriptam determinatamque virtutem, qui & in omnibus & vbique semper est: quod vtique diuinitatis & dominationis est propriũ. Hæc ille. Et Cassiodorus super illa verba: Quò ibo à Spiritu tuo &c. Cùm tali prędicatione vbique Spiritumsanctum esse noscamus, dubium non est, Spiritumsanctum coæternum & coæqualem Patri & Filio reperiri. Hieronymus: Ex quo intelligimus Deũ esse, qui totus vbique sit. Si ergo Christi humanitas non est circunscripta, sed vbique semper omnibus rebus creatis adest, vt hic Vbiquista docet, non est creatura sed Deus, vt colligunt Ambrosius, Hieronymus & Cassiodorus, quia solus Deus vbique est. lib. 1. de Spiritusancto. In Psal. 138. Ibidem. Thesi. 54.

80. Adhæc, si Christus Dominus secundùm humanitatem, propter hypostaticam naturarum vnionẽ, in omnibus rebus existeret, vt ipse Deus, fieret sanè, vt à primo cõceptionis suæ momento, vbique fuisset, in cœlo, in terra, in mari, in inferno:

ſiquidē ab eo tēpore humanitas diuinitati pſonaliter vnita eſt.

81. Sed aliter Scriptura nos docet, dum affirmet, Chriſtum ſuper terram & mare ambulâſſe, totam Galilęam circumiuiſſe, ex vno loco in alium ſubinde commigrâſſe, & ianuis clauſis ad diſcipulos introijſſe; nec falſum eſſe poteſt illud, Gaudeo propter vos quia non eram ibi: item, Surrexit, nō eſt hîc. Non enim verè moueri aut motu defatigari poteſt, aut ab aliquo loco abeſſe, quod omnem occupat locum, quocunq; demum id modo fiat. Vnde Athanaſius ſic ait: Eius eſt ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circunſcribitur, & eum in quo erat deſerens locum, vt ad eum vbi non erat veniat. Ambroſius quoque de eadem Chriſti humanitate loquens, in hæc verba docet: Neque enim Deus de loco ad locum tranſit, qui vbique ſemper eſt, vt homo eſt qui vadit, ipſe eſt qui venit. Et Gregorius Nyſſenus: Qui dicit, Vado, localem diſceſſum ſignificat. & paucis interiectis: Quod autem per omnia graditur, & in omnibus exiſtit, & omnia continet, non habet quò diſcedat, eô quòd à diuina plenitudine nihil eſt vacans. Et S. Maximus: In ſanctis Euāgelijs de Domino ſcriptū eſt: Poſtridie voluit Ieſus ire in Galilęam. Ire nimirum voluit, quatenus ibi non erat: Non erat autem humanitate, diuinitate enim vbique eſt. Quid ad dilucida hęc Scripturę & Patrum teſtimonia reſpondebit Schmidelinus? niſi fortè cum Manichæo dicat & ſentiat omnes motus & operationes Chriſti non veras, ſed phantaſticas fuiſſe.

Matth 4. 14. 4. Ioan. 20. Ioan. 11. Marc. 16 &c. In diſputatione cōtra Ariū ſuper illa verba, Vado ad Patrem. De fide ad Gratia. lib. 2. cap. 4. Tom. 12. cōt. Euno. In diſput. habita cū Pyrrho.

82. Adde, quòd ſi ab eo tempore, quo Deus incarnatus eſt, eius humanitas vbique exiſteret, apertè cōſequeretur, illum, priuſquam ex matre Virgine naſceretur, extra maternum vterum corporaliter fuiſse, & poſtquam in lucem editus fuit, in vtero nihilominus, ſicut antè erat, remanſiſse, & ex vtero proinde materno exiuiſse nunquam. Id autem conſtat abſurdum eſse, & verę natiuitatis rationi planè contrarium.

83. Iam ſi Chriſtus vbiq; pręſens corpore aderat, ergo vbiq; loquebatur, vbique patiebatur: ſiquidem vnum & idem os,

cadem

eadem lingua, idem corpus non poteſt in vno, nec in diuerſis locis actiones illas exercere, & ſimul ab ijſdem vacare.

84. Deniq; Scriptura & omnia Fidei Symbola cõclamant, Chriſtum poſt mortẽ ad inferos deſcendiſse, & poſt ſuã reſurrectionem ad cœlos aſcendiſse, non quidem ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm humanitatẽ, ſecundùm quam Chriſtum tunc nondũ in cœlis fuiſse Patres omnes ſimpliciter & abſque diſtinctione vlla conteſtatur. Vnde ſic ait Cyprianus: Aſcendit ergo ad cœlos, nõ vbi Verbum Dei antea nõ fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlis, & manebat in Patre: ſed vbi Verbum caro factum non ſedebat. Et Gregorius: Cùm Chriſtus per humanitatem aſcenderet in cœlum, per diuinitatem terram pariter continebat & cœlum.

Aug. ad Dardan. Hieron. Beda. Theop. Haymo. Sedulius. Anſel. gloſſa in Eph. 4. Cyprian. in expoſitione Symbo. idem quoq; habes in Symb. Ruffini. Gregor. hom. Mat. 16.

85. Quare vniuerſus Patrum chorus, locum illũ Ioan. 3 Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcẽdit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo: non aliter exponit, quàm Filium hominis ratione deitatis, ꝓpter idiomatũ in perſona cõmunicationẽ, tum tẽporis in cœlis fuiſse, cùm adhuc in terris nobiſcũ verſaretur: quemadmodũ etiã propter eandem ἰδιωμάτων κοινωνίαν, Deus paſsus, mortuus & ſepultus rẹctè dicitur. Hinc Auguſtinus: Secundùm hominem in terra erat, non in cœlo vbi nunc eſt, quando dicebat: Nemo aſcendit in cœlum: quanuis ſecundùm quod Filius Dei erat, eſset in cœlo, ſecundùm verò quod Filius hominis erat, adhuc eſset in terra, nondumque aſcendit in cœlum. Et Chryſoſtomus: Filium hominis hoc loco non carnem, ſed à maiori ſubſtantia totum ſeipſum, vt ſic dicam, intelligit. Hic nanque ei mos eſt, vt nunc à diuinitate, nunc ab humanitate totum nuncupet. In eundem quoque ſenſum Beda loquitur: Non, inquit, caro Chriſti deſcendit de cœlo, neq; ante tempus aſcenſionis erat in cœlo, niſi quia vna Chriſti perſona eſt in duabus exiſtens naturis. Damaſcenus etiam eiſdem conſentit, dicens: Propter vnitatem perſonę Filius hominis ante paſſionẽ ſe in cœlis eſse confeſsus eſt. Et Fulgentius: Vt immenſitatẽ diuinitatis ſuę in terra poſitus demon-

Ioan. 3.

De præſentia Dei ad Dard. & tract. 12. ſuper Ioan. ſic ait: Ecce hic erat, & in cœlo erat: hic erat carne, & in cœlo erat diuinitate, imò vbique diuinitate. Idem ſer. 27. ſuper Ioan & Pſal. 75. Homil. 26. ſuper Ioannem. Ioan. 5.

lib. 3. c. 3.

lib. de immenſitate diuinitatis Filij Dei

demonstraret, & secūdùm hominem, quem susceperat, in terra positus, secundùm Deum, quod semper erat, præsentem se etiam cœlo doceret, ait: Nemo ascendit in cœlum &c. Non quia humana Christi substantia vbique fuisset diffusa, sed quoniam vnus idemque Dei Filius atque hominis filius, verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licèt secundùm veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundùm diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cœlum totus impleret & terram. Hęc ille. Idem Theophylactus & reliqui tam Gręci quàm Latini interpretes sentiunt.

Theoph. glossa int. Euthy. Rupertus, Cyril. in Ioan. 3. Hilarius 10. de Trinita. Alcuin. lib. 3. de Trin. c. 13. Ansel. in Eph. 4. & c. Bernar. serm. 18. & 19. In præfatióe.

86. Hîc iam est operæprecium meminisse lectorem, quòd Schmidelinus ipse rectè & verè, Lirinensis personam indutus, pręfatur, horrendum peccatum esse, si quis noui dogmatis author existat vel propagator, cuius Christū, Apostolos & Prophetas non habet authores. Quanto igitur est hoc crimen & piaculum execrabilius, ô Schmideline, censendum? quòd tu cum paucis nouum & tot seculis inauditum dogma contra Christum, Prophetas, Apostolos & omnes Doctores inuehis atque propagas: nempe Christum non solùm ratione diuinitatis, sed etiam ratione humanæ naturę corporaliter vbique pręsentem adesse: cùm hactenus Orthodoxi omnes vnanimi consensu, vnum hoc ratione solius diuinitatis Christo attribuendum esse docuerint, expresseque dixerint eum secundùm humanitatem non esse vbique præsentem.

87. Verùm vt nonnulla Scripturæ loca à nobis allata, & iuxta sanctorū Patrum sensum explicata, peruertat, forsan ad illam triplicis distinctionis, quam construxit, arcem, confugiet. Vult enim vnius eiusdemque corporis Christi triplicem esse considerationem: vnam Physicam, qua ipsum naturalibus proprietatibus & affectionibus subiectum fuit, quod patibile, inquit, appellamus, & eo modo non vbique præsens esse fatetur. Alteram, qua corpus Christi iam est & dicitur impatibile, ratione gloriæ, sed ne hoc quidem modo vbique illud existere asseuerat, sed in cœlo duntaxat. Tertiam Maiestatis, qua corpus

Thesi. 35. Thesi. 36. Thesi. 45. Thesi. 37. Thesi 35.

pus in diuinitatis consortium aßumptū, in pari gloria est, & Maiestate cum Verbo, à quo in vnitatem personę assumptum est, & hac ratione omnibus rebus eâdem Maiestate, qua diuinitatem, corpus Christi præsens adesse decernit. Thesi.31.

88. At incassum laborat noster Vbiquetarius, in hac noua distinctione fabricanda, siquidē ea consistere non potest, cùm illam Maiestatis vnionem, vnde suam illam tertiam considerationem deducere conatur, quô aperta sacræ Scripturę testimonia faciliùs deprauet, atque eludat, satis perspicuè iam antè ostenderimus, falsam & ineptam esse: Patribus verò tam recentioribus, quàm vetustioribus hactenus incognitam prorsus & inauditam esse. Atqui in rebus tanti momenti, maximeque ad fidem pertinentibus, nulli fas sit nouas pro arbitratu suo distinctiones fingere, aut sacram Scripturam, vt beati Clementis verbis vtamur, secundùm proprij ingenij intelligentiam legere aut docere, sed ex Patrum traditione. Etenim non pauca verba passim in Scripturis occurrūt, quę trahi possunt ad eum sensum, quem sibi vnusquisque spontè præsumpsit. Sic Clemens. Imò, vt ait Cyrillus, & experientia ipsa apertè commonstrat, Hæretici omnes de Scripturis diuinitus inspiratis, erroris sui colligunt occasiones, & ea, quę à Spiritu sancto dicta sunt, sua malitia corrumpunt. Epist.5. Epist.ad Paulum Antioch. recitata in Calced. Synodo.

89. Ad rem redeamus. Si ex vnione illa hypostatica Christus Dominus hoc est cōsecutus, vt rebus omnibus secūdùm humanitatē præsens adesset, ergo priusquam in vltima illa cœna Eucharistiā cōfecisset, corpus & sanguis ipsius, in pane & vino prę sentia cōtinebātur, vt nūc in Sacramēto Eucharistię cōtinentur: cùm panis & vinū ante verba cœnæ ꝓlata, res quędam essent. Quocirca secūdùm huius Vbiquistę sententiā, qui corpus & sanguinē Christi in Sacramento Eucharistiæ cum substantia panis & vini simul esse confingit, corpus & sanguis Christi, non aliter nunc in Eucharistia essent, quàm fuissent, etiāsi verba cœnę Dominicę nunꝗ̄ à Christo essent ꝓnūciata.

90. Id aūt quis vnquā dicere vel cogitare ausus fuit præter

hunc Vbiquistam? qui Lutherum tot sectarum Antistitem &
Ad Lectorē. Magistrum secutus, vt ipse testatur, veritus non est, tantam & tam inusitatam blasphemiam, contra vniuersam Ecclesiæ Catholicę traditionem effutire. Et gloriatur adhuc, in illo suo Vbiquëitatis commento Lutherum non parui pendendum robur sententiæ suę posuisse, eundemque constanter affirmâsse, vel ea sola Vbiquëitate, veram corporis & sanguinis Christi præsentiam asseri & confirmari posse, si maximè verba cœnæ nunquam à Christo dicta essent.

91. Quid mirum verò, si nouator iste nihil ibi absurditatis animaduerterit, qui non modò in pane & vino, verùm etiā in hordeo & fœno & quibuslibet rebus, licèt vilissimis, (quod pudor est referre) eodem modo corpus & sanguinem Christi adesse, sicut in Sacramento Eucharistiæ comminiscitur. Verùm facessat impietas, non vt fœnum vel hordeum, iumentorum pabulum, pij omnes habēt Eucharistiam, quam vt panem viuum, qui de cœlo descendit, Angelorum cibum, diuinis honoribus cum sancta Ecclesia summo iure prosequuntur. Ioan. 6. Psal. 77.

92. Tandē vtcunq; imaginetur, & somniādo sensa sua interpretetur, tueri tamē nulla ratione potest, corp⁹ Christi, & vbiq; corporaliter pręsens adesse, & vero Physicoq; ac corporeo motu moueri, cùm id tātùm corporeo motu ferri agitariq; dicatur, qđ ex vno loco trāsit in aliū, vbi priùs nō erat corporaliter.

93. Sed nec vllo etiam modo fieri potest, vt idem Christi corpus in vno eodemque loco circunscriptum sit & incircunscriptum, definitum & indefinitum, visibile & inuisibile, patibile & impatibile, quod tamen iste Neotheologus, modò sibi constet, fateri cogitur.

94. Adhæc ne fingi quidem, animo've concipi potest, corpus Dominicum ante Christum passum in pari gloria & Maiestate cum Verbo vbique fuisse, & nihilominus pati & mori potuisse. Quomodo enim id, quod dolori, passioni, morti, cęterisque humanis miserijs obnoxium est, eâdem cum Verbo, gloria & Maiestate præditum esse, aut dici queat?

95. Quòd

95. Quòd si dixeris, ante resurrectionem corpus Christi non fuisse in omnibus rebus eâdem Maiestate & gloria, qua Verbum, consequens est, ante resurrectionem corpus Christi non fuisse cum diuinitate hypostaticôs vnitum: siquidem, vt tu somnias, in gloriæ & Maiestatis communicatione vnio hypostatica consistit. Alterum itaque Schmideline ex duobus aseras oportet, aut corpus Christi ante passionem æquali gloria & Maiestate cum Verbo pręditum fuisse, quod alicubi haud obscurè doces, aut ipsum ante resurrectionem cum Verbo non fuisse vnitum hypostaticôs: vtrunque autem impium est & hęreticum. Thes. 55.

96. Quocirca qui asserit cum isto Vbiquetario ac pertinaciter defendit, corpus Christi à conceptionis suę tempore, vbique, hoc est, in cœlis, in terra, & in inferioribus terrę partibus, eâdem Maiestate & gloria, qua diuinitatem, corporaliter vbique semper pręsens fuisse, is re vera negat Christum secundùm humanam naturam nouem mensibus in materno vtero fuisse conclusum, & ex eodem in hanc lucem editum: negat eum passum, in crucem sublatum, mortuum, sepultum, iterumque ex sepulchro suscitatum: negat eundem ipsum ad inferos descēdisse, & inde reuersum ad cœlos ascendisse: negat demum ad iudicandum viuos & mortuos tandem aliquando rediturum.

97. Nos igitur cum Ephesino Concilio Christum, vt Deum, omnia replere & repleuisse dicimus, etiam cùm adhuc paruulus esset. Nam quod diuinum est, sine quantitate & mole esse agnoscitur. At secundùm humanitatem Christum vbique esse vel fuisse, cum toto sanctorū Patrum ordine pernegamus. In Epist. ad Nestorium. Cypria. in exposit. Symb. Athā. disput. contra Arrium. Ambro. lib. 2. de Fide ad Grat. c. 4. Gregor. Nys. Tomo 12. contra Euno. August. de præsen. Dei ad Dardanum. Tract. 12. super Ioan. &c. Gregor. Nazianz. Epist. ad Celidon. Gregor. 1. Hom. Mar. 16. Maxim. disput. cum Pyrrho. Beda Ioan. 3. Theophyl. Ioan. 3. Cassio. Psal. 338. Euth. Ruper. Ioan. 3. Alcuin. lib. 3 de Trinita. c. 13. Ansel. Ephe. 4. Damasc. lib. 1. c. 17. & 3. c. 3. Ruffi. in suo Symbolo. Bernar. Serm. 18. 19. Fulgen. lib. de immensitate Filij Dei &c. Petr. Lombard. 3. lib. d. 22.

98. Nec ideo tamen, quòd Christum secundùm corpus vbique esse inficiamur, consequens est, eum facta nostra, nostras've cogitationes ignorare, aut secundùm humanitatem

assumptam apud Deum & Patrem pro nobis non intercedere, aut nullam rerum nostrarum curam gerere. Quin imò licèt absens corpore sit, ita tamen perfectè in sua diuinitate, quæ nusquam deest, nostra omnia nouit ac perscrutatur, vt nihil eum latere queat, nec secùs [a] pro nobis interpellat, nostraque gubernat, & [b] quæ ad salutem nostram faciunt, procurat & operatur, ac si corpore præsens adesset.

a Rom. 8.
b Hebr. 7.
c Conc. Tur. 1. c. 13. in rescripto Ioan. Hierosf. Episc. & Episc. qui sub illo sunt, recitato Syn. Const. 2. act. 3. & Marian. ibidē. Conc. Cabilonē. c. 1. 6. Synodo, actione 13. in Liturg. sancti Iacobi, Basilij, Chrysostomi &c.

99. [c] Sed nec ipse solus rerum humanarum, tametsi absens corpore sit, cura tangitur, verùm etiā Sancti & Beati omnes ad paternam hæreditatem iam admissi, pro nobis intercedunt, quicquid veteres & noui Vigilantiani obstrepant, resque nostras multò meliùs ac feliciùs procurant, quàm si corpore eos præsentes haberemus.

Thesi 38.39.

100. Vbi nobis prætereundum non est quod alicubi Schmidelinus ita loquitur: *Humanitas Christi eadem Maiestate res præsentes habet, rebusque præsens est, qua Diuinitas, & si alio modo fiat in Diuinitate, quàm in humanitate, quia humanitas manet creatura.* Hęc ille. Qui cauto silentio tegit, quisnam ille modus esset, videbat enim Deum non aliter vbique præsentem existere, quàm illimitatum, & incircunscriptum, totum in toto mundo, & totum in singulis eius partibus, quo omnino modo humanitatem vbique pręsentem esse priùs astruxerat. Quare non alio modo humanitatem omnibus rebus adesse, quàm diuinitatem, ex eius principijs rectè concluditur.

Thesi. 41.
De præsentia Dei ad Dardanum.

101. Illud autem diuina quadam prouidentia effectum videri potest, vt ad explicandam suam illam humanitatis Christi Vbiqueitatem, nullius Patris sententiam aut exemplum attulerit, præterquam vnius Augustini, qui istum ex professo errorem impugnat atque refellit. Vnde & nullum iste citat locum peculiarem, vbi Augustinus hoc doceat, quod ipse illi fallò tribuit, sed tantùm allegat Lutherum sic asserentem.

102. Ostendimus hactenus ex sacris literis, Concilijs, Patribusque, & totius Ecclesiæ Catholicę consensu, quid sit hypostatica naturarū in Christo vnio, quantaq; Christi Maiestas & eminen-

eminentia, vnde manifestè deduximus, Christum secundùm corporalem humanitatis pręsentiam nõ esse omni in loco, eadem Maiestate, qua Deus: id quod Schmidelinus Vbiquetarius, tanquam accommodatissimum omnis erroris & absurditatis operculum, ex falsa hypostaticę vnionis intelligentia imperitissimè colligebat. Illud vnum superest explicandum, vbinam locorum Christus Saluator noster secũdùm pręsentiam corporalem contineatur.

103. Quod vt faciliùs expediamus, primùm omnium, corpus Christi bifariàm considerari posse meminerit lector: Vno quidem modo vt visibile & circunscriptum est, ea nimirũ forma, qua Christus in hoc mundo conuersatus & in cœlum assumptus est. Altero verò vt inuisibile & incircunscriptum, qua ratione spiritale quodammodo dici potest. Nam licèt verũ corpus sit, & idem planè numero, cum illo quod nunc in cœlis à Beatis conspicitur, tamen sic consideratum neque videtur, neque in loco est, vt res corporales esse solent.

104. Priori modo in cœlis tãtùm Christus Dominus modò habitat, non quidem totius cœli ambitũ suo corpore implens, non enim dilatatur neq; in immensum diffunditur, aut multiplicatur, huiusmodi enim humani corporis veritati omnino aduersantur, vt etiã hic Author asseuerat: sed certam quãdam cœli partẽ secũdùm quantitatis suę modũ occupans, quemadmodum & cætera Beatorum corpora olim occupabunt. Thes. 37.

105. Huc spectat, quod alicubi dicit Augustinus: Christus (inquit) visibilem hominis formam accepit, non solùm natus in ea, sed etiam ascẽdit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris in ea. Et alibi; Christum Dominũ vbique pręsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in loco aliquo cœli propter veri corporis modum. Atque hoc eodem modo Scripturę & Sancti omnes loquuntur, cùm Christum in cœlis tantùm existere, aut circunscriptum esse asseuerant. 2. lib. contra Max. De præsentia Dei ad Dardanum.

106. Constat mediocriter eruditis, cœlum illud Beatorum domicilium, locum esse corporeum, & sicut cætera corpora

quantitate affectũ, quanuis qualitatibus illis destituatur, quæ locum Physicum constituũt atq; naturalem. Quapropter vel inuitus aduersarius fateatur necessum est, in cœlo locum esse, non quidem Physicum seu naturalem, sed Mathematicum & cœlestem, nisi dicere maluerit, Beatos omnes nusquam esse, qui non alibi quàm in cœlo illo continentur.

107. Nec tamen Christum cæterosque beatos vni cœli parti, veluti conchas marinas scopulis, affixos, aut veluti stipiti alligatos teneri existimabimus, hæc enim conditio miserrima foret, & cum glorificatorum corporum felicitate planè repugnans, tantum abest vt hoc illis proprium sit & necessariũ, vt

Ad Lectoré. noster Vbiquista somniat. Sed pro liberrima volũtate sua cœlites moueri posse, & interdum etiam moueri, intrepidè profitemur. Cuius modi autem motus talium corporum sint futu-

Lib. 22. de Ciuitate Dei. cap. vlti. ri, temerè definire (inquit Augustinus) nõ audeo, quod excogitare nõ valeo. Tamen & motus & status sicut & species ipsa decens erit. Certè vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritũ possit decere nec corpus. Hæc Augustinus.

108. Sanctorum porrò felicitati non repugnare, quòd in loco sint aut de loco in locum moueantur, ex eo liquet, quòd quocunq; tandem ferantur, priuari non possunt summo æternoq; bono, Deo scilicet, quem intra sese possident felicissimè.

Heb. 1. Genes. 16. Tob. 5. &c. Luc. 1. 2. &c. 109. Hinc est quod scriptura sacra testatur, administratorios illos spiritus, in ministerium aliquod missos, ad nos sæpe descendere, & nobiscum manere eos, qui nostræ custodiæ sunt addicti: Christum præterea Saluatorem nostrum, post resurrectionem suam, cùm iam perfecta simul animi & corporis bea-


Actor. 1. titudine potiretur, toto quadraginta dierum spatio in hoc mundo hæsisse, varijsq; in locis apparuisse, & tandem ad cœlos ascendisse: Tum multa corpora sanctorum cum Christo re-

Matth. 27. suscitata in sanctam Hierusalẽ introgressa esse legimus, quos tamen, ideo beatitudinem aut nõ habuisse, aut habitam, vel ex toto, vel ex parte amisisse, nemo vnquam rectè putabit. Et hæc

ſatis de priori corporis Chriſti conſideratione dicta ſint.

110. Quantum verò ad poſteriorem conſiderationem attinet, certa fides eſt & ſana confeſſio Orthodoxorum, non nouum aliquem Deũ, aut ex pane aut vino fabricatũ, (vt Schmidelino fingere libet) ſed illud ipſum Chriſti corpus, quod pro nobis traditum eſt, quodq́; in cœlis viſibile eſſe diximus, in ſacroſancto quoq; ac diuiniſſimo Euchariſtię Sacramento, inuiſibile tamen, incircunſcriptũ, indefinitum, id eſt, non localiter, sed Sacramentaliter, (vt dicunt) veriſſimè contineri, ibidemq́; manere, donec ſpecies ſacramentales conſumantur. Theſ. 75. Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. Ioan. 6. 1 Cor. 11. Con. Nicen. 1. Epheſin. 1. Lateran. Florent. Conſtant. Trident. &c.

Præterimus conſultò, ne ſimus longiores, reliquas Schmidelini tam abſurdas quàm impias opiniones, quas ex præclaro illo Vbiquëitatis fundamento colligit atque deducit. Multa ille in ſacroſanctã Euchariſtiam horrenda & blaſphema euomit. Multas in Eccleſiam Catholicam, Catholicæque fidei Profeſſores detorquet calumnias, ſed magis ex more Sectæ & Lutheri lacunis, quàm vt noui aliquid adferat. De quibus non attinet repetere, quæ multi & docti Theologi ſæpe aduerſarijs reſponderunt. Nobis propoſitum fuit ea, quæ ad Chriſti Maieſtatem aſſerendam pertinent, & à Schmidelino perquam iniquè traduntur, ad normam Catholicæ veritatis reuocare & breuiter explicare. Tantùm meminerit Lector, qui ſaluti ſuæ cupit benè conſultum, ne nouis eiuſmodi, qui nunc ſubinde ſparguntur, libellis, omnium errorum & hæreſum ſeminarijs, fidat: quin Eccleſiam potiùs Catholicam & eius probatos authores petat, audiat atque ſequatur.



LAVS DEO.

Sub præſidio THEODORI PELTANI Doctoris Theologi propoſuit, publiceque defendit, M. ALPHONSVS PINEDANVS, Philoſophiæ Profeſſor ordinarius.

